This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

1817
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE

878
L90
P77
1748

ev.

Polignac, Melchior de

ANTI-LVCRETIVS,

SIVE

DE

DEO ET NATVRA

LIBRI NOVEM.

EMINENTISSIMI R. E. CARDINALIS

MELCHIORIS DE POLIGNAC

OPVS POSTHVMVM;

ILLVSTRISSIMI ABBATIS

CAROLI D'ORLEANS DE ROTHELIN

CVRA ET STVDIO EDITIONI
MANDATVM.

AD EXEMPLAR PARISINVM
RECENSVIT
ET
DE POETIS PHILOSOPHIS, ANTIQVIS
AEQVE AC RECENTIORIBVS
PRAEFATVS EST

IO. CHRISTOPH. GOTTSCHEDIVS.

LIPSIAE,
APVD BERNH. CHRISTOPH. BREITKOPF.
M DCC XLVIII.



SERENISSIMAE PRINCIPI

AC

DOMINAE

MARIAE ANTONIAE,

BAVARAE,

REGII POLONIARVM PRINCIPIS

ET ELECTORATVS SAXONICI

HEREDIS

CONIVGI DIGNISSIMAE

DOMINAE MEAE CLEMENTISSIMAE

SACRVM.

Latin
E. Kelsey
3-18-38
35988

SERENISSIMA PRINCEPS REGIA,

DOMINA CLEMENTISSIMA,

Dubitanti nuper mihi, cuiusnam ſub tutela potiſſimum, ingenioſiſſimi POLIGNACI, *R. E. Purpurati, Philoſophi et Poëtae longe doctiſſimi, opus egregium, ANTI-LV-*

 CRE-

CRETIVM, in lucem denuo mittere deceret: nullum ſe mihi obtulit nomen, vel auguſtius TVO, DOMINA, vel ipſi Libro magis honorificum. Ex quo enim diuino prorſus munere, TE, nobis Muſisque noſtris, PRAESIDEM quaſi MINERVAM contigiſſe, gauiſi ſumus: ea profecto animos omnium admiratio, et ſummi ingenii TVI, et virtutum excelſarum, indulgentiaeque erga Litteras omnes, inuaſit et occupauit; vt temperare ſibi vix potuerint eruditi noſtrates, quin cateruatim Dresdam confluerent, CAELESTEM *adeo ſummorum Germaniae ſtemmatum* PROGENIEM, *ac Sereniſſ. PRINCIPIS REGII, SAXONIAE HEREDIS CONIVGEM exoptatiſſimam, coram veneraturi.*

Ac

Ac ille quidem dies, quo primum in vrbem hanc, exſpectata et deſiderata diu, ingreſſa es, quam mitem, quam ſerenam nobis FACIEM TVAM exhibuit! Quanta ſalutantes TE publico nomine, DOMINA, excepiſti gratia! Quam humano et familiari paene alloquio dignata nos es! Parem quaſi TE exiſtimabas, praebebasque omnibus: hoc ſolo maior, quo clementior, benigniorue videbaris.

At, quam admiranda vox illa erat, qua TE, in Saxoniam, litterarum laude florentiſſimam, diſcendi cauſſa veniſſe, DIVINO prorſus ORE pronunciabas! Nonne modeſtia hac incomparabili nouos aliquos honores merebare? praeſertim vbi noueramus omnes, TE, pro more GENTIS

TVAE auguſtiſſimae, iam tum in Bauaria cunctis fauiſſe artibus liberalibus, omnique doctrina, quae TANTAE PROSAPIAE PRINCIPEM deceret, imbutam, ad SERENISSIMVM SPONSVM, MVSAGETAM NOSTRVM, commigraſſe.

Venerabatur inſequentibus proxime diebus, cum aduentum TVVM primum, tum praecipue HYMENAEVM feliciter paullo ante celebratum, Academia noſtra; proque TVA et OPTIMI PRINCIPIS ſalute perpetua, vota publica nuncupabat. Perſonabant aedes eius ſacrae gaudio exſultationibusque communibus, et innumerorum olim ſubditorum Veſtrorum, et alienigenarum, tum forte nundina-

rum

rum cauſſa inter nos commorantium. Audiebas haec praeſens, DOMINA, molliſſimis auribus animoque indulgentiſſimo, quum vbique eandem TVI admirationem deprehenderes. Nulla TE vel affectus noſtri, vel iudiciorum votorumque per aliquot horas protractorum nauſea capiebat: quamuis parum confiſi in patientia TVA, compendia potius elogiorum votorumque, quam vota elogiaque perfecta faceremus. Non enim quantum mereris, ſed quantum ferre poſſet VERECVNDIA *TVA, ediſſerebamus; priuatis reliqua ſermonibus, inter aras focosque domeſticos, reſeruantes.*

In quo pietatis officio publico, TIBI praeſtando, DOMINA, mea licet, quantulacunque opera, vſa tum forte

ſit Academia noſtra: tamen nihil tunc meo, omnia publico nomine praeſtita eſſe ratus, ſegniorem me TVI admiratorem arbitrabar; niſi peculiare, publicumque etiam, meae erga TE deuotionis, aliquando monumentum exſtaret. Suſtinere interea vix poteram, animo obuerſantem tarditatis meae imaginem; ambiguus licet, qua potiſſimum ratione; et SVMMAS ANIMI TVI DOTES, et ſpem Litterarum noſtrarum in TE reuiuiſcentem, orbi Litterato nunciaturus eſſem.

Haec tacito pectore agitanti adfertur Lutetia Pariſiorum, Purpuratorum nuper doctiſſimi, POLIGNACI ANTI-LVCRETIVS, opus cedro dignum, totumque in conuellendis Atheorum paralogismis occupatum.

Ho-

Horum quippe Anteſignanos, EPICVRVM, LVCRETIVMQVE, inſanientis quondam Sapientiae ſi non auctores, incruſtatores ſane propagatoresque, hoc libro ſuo penitus profligauit Auctor eminentiſſimus. Quo ſtatim perlecto, ſane, quam ſum gauiſus! praeſertim, quum meo hortatu ſuaſuue, nouam operis, hoc praeſertim ſaeculo, vtiliſſimi editionem pararet Bibliopola honeſtisſimus. Dignisſimum enim exiſtimabam idem, multis de causſis, SERENISSIMA PRINCEPS REGIA, quod TVO conſecraretur NOMINI in Germania, ab eo, qui forte nihil, quod TIBI offerret, paratum habebat; vel ſi haberet qualemcumque libellum ſuum, eundem TANTA PRINCIPE parum dignum exiſtimabat.

Accipe

Accipe igitur DOMINA CLEMENTISSIMA, ſacrum hunc Philoſophiae ſanioris et Poëſeos elegantiſſimae foetum, eo vultu, qui PRINCIPEM religioſiſſimam, et morum ſanctitate aeque, ac ingenii dotibus ornatiſſimam decet. Religio ipſa quippe omne Poëma hoc, et concepit, et feliciſſimo tandem partu enixa eſt. Peruolue quaeſo librum, in quo Auctoris ſummi pectus, per omnem vitae longioris decurſum diuino quaſi igne inflammatum, poſt fata etiam, caſtiſſima erga ſummum Numen pietate, totum adhuc aeſtuat flagratque; in quo Ratio, ſublimioribus ſuffulta ſcientiis, ſapientiaeque verioris armata telis, hoſtem proſtrauit, non niſi iis pertimeſcendum, qui armis hiſce pugnare nunquam didicerunt;

runt;

runt; in quo denique Poëſis, (cuius facultatem inſignem, in TE, DOMINA, conſpicuam, et plus vno ſpecimine inclutam, publico nuper plauſu teſtimonioque ornauit Academia *leporis italici* Arcadica) *amoeniſsſimos ingenii politisſimi flores, ſeuerioribus Philoſophiae praeceptis plena manu adſperſos, ſupremo Numini lubens conſecrauit.*

Hoc igitur, tanto tamque ſalubri opere, quid dignius TIBI offerri potuerit, TIBI inquam, DOMINA, cuius tenerum pectus, inde primis ab annis, ſui amore imbuit RELIGIO, ego ſaltem non video. Quod dum facio, id ſimul ſtudui, vt quum PRINCIPVM *FEMINARVM ingenioſisſima facile ſis, et religioſisſima, eruditisſima etiam impoſterum exiſtimeris ab*

omni-

omnibus. TV modo, quae animo TIBI deuotiſſimo, CONIVGIQVE TVO SERENISSIMO dudum conſecrato, facere hic ſuſtinui, nutu quodam indulgentiſſimo probare, ne dubites quaeſo! Quod iudicium TVVM, niſi ſumma TVI veneratione, omnibusque quibus potero meritis comprobaro, ipſe me hominem non putabo,

SERENISSIMI
NOMINIS TVI

Scribeb. Lipſiae,
Ipſis Calend. Maii.

Cultor deuotiſſimus et obſequentiſſimus
Io. Chr. Gottſchedius.

PRAE-

EDITORIS PARISIENSIS

PRAEFATIO.

Tandem exit in lucem multis ab annis efflagitatum opus, cujus per totam Litterarum Rempublicam ſama late pervagata eſt. Quod enim in Principum virorum liberis publica exſpectatio facit, ut eos vixdum ex incunabulis egreſſos, multorum aures oculique proſequantur, eorum facta explorent, dicta omnia excipiant, ſpargantque in vulgus, affingant etiam aliquid aliquando; id in magni Cardinalis Poëmate, ex quo primum inchoatum eſt, eveniſſe mirum videri non debet. Nec ſane obſcurum eſſe poterat, quod in manibus tamdiu verſaret

Vir in tanta luce collocatus: ac præterea, cum id poſtulabat & ipſius rei natura & diligentia auctoris, ut in conſilium adhiberet homines in maximis artibus, de quibus diſputatio erat, præſtantiſſimos; tum ſi quæ forte carmina recitaverat, eorum vis, in audientium animos altius penetrans, eos relinquebat aculeos, ut continere ipſi ſe non poſſent, quin eadem quoque, quantum memoria conſequi poterant, proponerent aliorum admirationi. Hinc quaſi ſubreptas auctori gemmas, iis ut opera ſua diſtinguerent, multi protulerunt, cum Anti-Lucretium noſſe, pars urbanitatis putaretur. Itaque, quod neceſſe erat, factum eſt, ut, dum per ora manusque multorum verſus illi volverentur, attrita quædam, quædam aucta, alia perturbata aut varie depravata in publicum pervenerint; nonnulla etiam, quæ deinde auctor ipſe, maturiore judicio perpenſa, immutavit. Quæ igitur hactenus ex Anti-Lucretio derivata, nec ſatis ſincera, paſſim emanarunt; ea jam integritati ſuæ reddita, nunc in ipſo fonte haurienda proferimus.

Quan-

Quanquam autem, qui libros alicujus poſt mortem auctoris edunt, de vita ipſius ſolent aliquid præfari, ut aut ab homine commendationem operi, aut ab opere laudem homini concilient; id nos tamen hoc in loco ſupervacaneum fore duximus. Talis ille Vir fuit, ut tot inter ejus decora vel minimum ſit, floruiſſe maxima gloria Poëſeos: opus autem eſt ejuſmodi, ut aliorum ejus factorum claritate non indigeat. Neque vero magnarum rerum, quas geſſit, memoria unquam intercidet, & gentis Gallicæ conſignata faſtis, & politiſſimorum ingeniorum præconio teſtata *. Nam in utraque Regia & Inſcriptionum ac Litterarum & Scientiarum Academia, vitam ipſius moresque eximia dicendi facultate perſecuti ſunt Viri, iiſdem doctrinarum artibus, quibus ipſe præſtitit, excellentes, *Bozius* & *Mairanius*, qui quam laudis mercedem illuſtribus ingeniis poſt obitum perſolverunt, eadem ſibi mercede

* Eloge de M. le Cardinal DE POLIGNAC, prononcé dans l'Académie Royale des Inſcriptions & Belles-Lettres, par M. de Boze.

Eloge de M. le Cardinal DE POLIGNAC, prononcé dans l'Académie Royale des Sciences, par M. de Mairan.

cede præclaram quoque famam paravere.

Ex duabus his laudationibus, quarum altera jam in manibus hominum verſatur, altera hactenus audita tantum, ſummum legendi deſiderium reliquit, petenda eſt magni Cardinalis virtutum expreſſa effigies. Ibi octoginta annorum vita ſic oculis ſubjicitur, ut in tam longo curriculo, pars omnino nulla ſit proprio ſuo ſplendore non inſignis. Ibi debitam ſibi admirationem vindicat, ut à prima ſtatim ætate maturos fructus efferens, ſic in extrema virens adhuc, vigensque ingenium: animus ingens, in maximis negotiis exercitatus, ac variis Europæ gentibus ad patriæ ſuæ gloriam oſtentatus; in proſperis non elatus, non demiſſus in adverſis, ſed utrisque altior & par ſibi. Quanta mentis celeritas! quanta excogitandi vis! quanta facilitas ac mollities ad omnium animos fingendi ſe ſe ac flectendi! Neſtorea ut ſenectus, ſic ab ipſa juventute facundia, quæ ad ſenſus audientium cum ſuavitate affluerct & illaberetur. Hæc & alia, quæ vel in occulto majora ſunt, lenitas, huma-

manitas, natum ad amicitiam pectus, deſpicientia divitiarum, quarum pretium nullum noverat, niſi quatenus ad largiendum ſuppeterent, ſtudium tuendæ Religionis, quam ex ipſius cogitatione nunquam removit aut otii voluptas, aut tumultus negotiorum, jam diſertiſſime tractata ſunt. Nos quibus tantum hunc Virum, quantus fuit, complecti totum non licet, ea duntaxat, quæ ad Anti-Lucretii hiſtoriam pertinent, explicanda ſuſcipimus.

Cum è Polonia rediens anno 1697 Abbas *Poliniacus* in Batavia aliquamdiu commoraretur, plurimis in colloquiis cum acutiſſimo viro *Petro Baylio*, ſed qui in cauſa Religionis tanquam in ſole caligaret, de iis, quæ ſpectant ad religionem, velitatus eſt. Igitur incenſus ſtudio veritatis atque virtutis, concepit animo magnitudinem hujus operis, quo *Lucretium* Atheorum antiſtitem atque oraculum, collato pede profligaret. Itaque paulo poſt in Boni Portus Abbatiæ receſſu, ſecluſus a negotiis ac ſibi redditus, quinque *Anti-Lucretii* libros conſcripſit. Hoc primum fuit Poëmatis ru-

dimentum. Poſt quatuor annos Luteтiam reverſus, de iis quæ chartis mandaverat, cum *Malebranchio*, Metaphyſicorum principe, communicavit. Is & propoſitum operis, & magis etiam opus ipſum admiratus, quædam tamen reprehendit: id enim impune licebat apud eum, qui moneri ſe quam laudari mallet: & ex perſpicaciſſimi Philoſophi monitis nonnulla auctor ipſe emendavit.

Vigebat tunc temporis diſciplina *Carteſii*. Hanc Poliniacus, dum primam Philoſophiæ navaret operam adoleſcens, in ſcholas advenientem viderat; hanc ipſe alacriter exceperat ſinu, adhuc a pleriſque & a magiſtro etiam ſuo repudiatam, ac publica diſputatione fuerat magna cum ingenii laude tutatus. Eam igitur quaſi filiolam ſuam amplexabatur: cumque ex *Carteſii* ſententia ſuam ipſe ſententiam inſtitueret, celeberrimos ætatis ſuæ Carteſianos conſuluit, quos familiari cum ipſo conſuetudine junxerat conſenſio ſtudiorum. Adhibuit etiam *Bolæi* cenſoris aures, teretes illas & ſuperbas: is & annotavit quædam; & univerſum Poëma, quod variis temporibus per-

perlegit, prorſus conſonum eſſe judicavit incorruptæ antiquitati. Denique haud fere quemquam prætεriit Poliniacus, aut doctrinæ aut ingenii laude cognitum ſibi, quin ejus, cum facultas tulit, judicium periclitaretur.

Ex privatis doctorum hominum colloquiis in Aulam celeriter Anti-Lucretii fama perlata eſt. Exarſit repente apud omnes cupiditas ingens audiendi, legendi, exſcribendi. Quin etiam eos Principes, quorum oculos & aures vel pauliſper detinere magnum erat, tanta ceperat Anti-Lucretii admiratio, ut apud eos ex eleganti oblectatione in ſtudium verteretur. Nam & Cenomanenſium Dux primum librum in Gallicum ſermonem tranſtulit; & eandem operam in plurimis Poëmatis partibus collocavit Sereniſſimus Dux Burgundiæ; nec puduit natas ad ſceptrum manus transferre ſe ad illud opus, quo pertractando ipſa Religionis arma tractari viderentur. Hos ſobolis ſuæ luſus egregios cognoſcere concupivit LUDOVICUS DECIMUS QUARTUS, qui ut erat ingenio magno, & acerrimo rerum opti-

marum ſenſu excellens, lectione mirum in modum delectatus, plurima memoriter complexus eſt; & ex iis quædam interdum palam Abbati Poliniaco e re nata alludens appoſite proferebat.

Anno 1706 Romam a Rege miſſus Poliniacus, ut in *Tremolii*, jam Cardinalis, locum, Auditor Rotæ ſuccederet, ſuſcepti laboris meditationem trans Alpes ſecum tulit. Nam ipſe ſibi Muſeum in mentis receſſu condiderat, omni litterarum elegantia cultiſſimum, quo ſe ſe libentiſſime proriperet, ſi nihil officii moraretur. Itaque in rheda, in ſtrepitu, in ipſa turba facile ſecum ipſe commentabatur.

Poſtquam ab erudito viro *Lancizio*, medico ſuo multa de Anti-Lucretio præclara audiviſſet CLEMENS Undecimus, ejus ut cognoſcendi copiam ſibi faceret, ab Abbate Poliniaco poſtulavit: cui pluribus in colloquiis recitanti, cum attentas aures præberet, vi poëſeos & latini eloquii nitore mirifice capiebatur ſummus Pontifex, qui maximis virtutibus eximiam litterarum intelligentiam addiderat. Ipſi quidem pla-

placebat minus doctrina Carteſii; ſed eam tamen quamam arte Religioni quaſi miniſtram ac famulam auctor adjungeret, mirari ſe fatebatur.

Nec deinde Ultrajecti, dum graviſſimas totius Europæ curas agitaret Poliniacus, ipſi tamen ſuſcepta ad tuendam Religionem ſtudia exciderunt: quippe & ſubciſivis horis ſermones ea de re conferebat cum eruditis Batavis; & primum operis librum recitavit doctiſſimo *Clerico*; qui cum multos verſus mirabili memoriæ celeritate arripuiſſet, eos in menſtrua ſcripta conjectos in publicum effudit: quo facto Poliniacum a pluribus recitandis abſterruit.

Creſcebat interim opus, cum quidquid progrederetur auctor, in vaſtiorem ſe altitudinem ac velut profundum invehi ſentiret. Affluebat enim fœcundiſſimum ingenium nacta uberrima materies: dumque cum *Epicuro* præliabatur, in ceteros etiam Atheos, Epicuro velut auxiliares, arma convertebat. *Spinoſam* igitur obiter proculcavit: in *Hobbeſium* ex tranſverſo impetum fecit. Quin & in cauſa Religionis ſuſpi-

ciosius, atque *omnia tuta timens*, *Lockium* & *Neutonum* perſtrinxit: quamvis hunc maxime ob Mathematicarum artium præſtantiam admiraretur, & novam ejus de coloribus opinionem unus omnium maxime approbaret: quam etiam, ubi ea primum in Galliam appulit, a quibuſdam doctis hominibus minus benigne exceptam publicis experimentis confirmavit. Et ipſi quidem gratias egit *Neutonus* plena urbanitatis epiſtola, qua ſe affirmabat, maximo cum deſiderio moriturum, ſi *Anti-Lucretium* totius Europæ votis tantopere expetitum, legere ſibi non contigiſſet.

Comparata igitur magna ſylva rerum ac ſententiarum, ita decreverat, abſolutis adverſus Atheos decem libris, novum adverſus Deiſtas, quos vocant, certamen inſtaurare libris duobus, quibus & Religionis ab ipſo Deo traditæ neceſſitatem, & propagatam ad nos a primo parente labem, & Chriſti divinitatem demonſtraret. Id & in hoc ipſo Poëmate pollicetur; & in calce hujus operis ad alterum illud jam flectere curſum videtur. Habebat etiam in animo, id

id declarare fuſius; nihil aliud fuiſſe Idololatriam, niſi quandam *hæreſim*, quæ a primaria Religione in pravum deflexerat: quod paucis delibat, libro nono verſ. 885.

Has magno Cardinali dignas cogitationes, quas diuturnæ vitæ ſpatio negotiorum moles non oppreſſerat, non ultimus etiam morbus & proximæ mortis afflatus excuſſit. Nec profecto nefas fuit Chriſtiano morienti, reſpectare paulisper fœtum hunc ſuum, qui præſertim cœleſtium rerum, quibus jam propior erat, imaginem objiceret. Cum igitur affectum dolore corpus in cubili verſans, nihil usquam levamenti inveniret, mente adhuc integer, recordatus eſt carminum aliquot ſuorum, quibus Libro primo verſu 1747, ægrotantem animum, & rerum terreſtrium cupidine jactatum, ac nusquam quieſcentem, cum ægro corpore comparat. Hos ſcilicet verſus, & omnis litteraturæ peritus, & in Italica verſatiſſimus, imitatus erat ex his egregii Poëtæ Dantis * Alighieri verſibus,

-- Simi-

* *Dante, Purgat.* Canto 6.

- - - Simigliante a quella' nferma
Che non può trovar posa in ſu le piume,
Ma con dar volta ſuo dolore ſcherma.

Hic autem a multo acriore magiſtro, proprio ſenſu incitatus, eandem ſententiam verſibus cecinit aliquot pulcherrimis; quos a familiaribus quibuſdam, qui aderant, exceptos, ex eorum memoria delevit dolor, præter hunc ultimum Virgiliano affectu imbutum,

Quæſivit ſtrato requiem, ingemuitque negata.

Fuit hæc facundi ſenis, ut *Tullii* verbis utar, quaſi cygnea vox; ac paulo poſt a rerum divinarum contemplatione ad res ipſas perfruendas evolavit.

Relinquebatur jam celeberrimum Poëma; ſed cujus varias partes variis temporibus perpoliendo, diſſolutas ac diſſipatas in unum corpus revocare nunquam curaverat. Hoc ut ederetur, opus erat amico, qualem *Plinius* * *Octavio* ſuo contingere exoptat, *& fideli, & erudito & laborioſo, qui tantum curæ intentioniſque ſuſcipere & poſſet & vellet.* Talem ipſi, blanda amicitiæ conciliatrix, conjunctio vo-

* *Plin. lib.* 2. *epiſt.* 10.

voluntatum atque virtutum paraverat illuſtriſſimum Abbatem *Rothelinum*; quem cum & ingenio ſagaci præditum, & in omni vitæ officio imprimis diligentem, longo ſuaviſſimæ familiaritatis uſu fuerat expertus; tum præterea noverat tam amicum ſibi, ut quidquid a ſe commendatum foret, id ille habiturus eſſet ſuis rebus ſanctius & antiquius; tam ſtudioſum Religionis, ut ipſius defenſionem, vel a quolibet alio profectam, promovere ac tueri maxime paratus eſſet.

Huic igitur Cardinalis, paucis ante obitum diebus, Anti-Lucretium, pretioſiſſimam hereditatis ſuæ partem, in manus tradidit; ac ſedulo recognitum ederet-ne an ſupprimeret, liberum ipſi de tota re arbitrium permiſit. Is unus recenti *Virgilio* pro *Tucca* & *Vario* fuit. In medio dolore, quem eiuſmodi amici funus inuſſerat, hoc unum ſolatii nactus eſt, ut creditum ſibi cariſſimi Viri fœtum omni cura foveret. Itaque rem vel ipſi Scriptori moleſtam ac difficilem impigre ſtatim aggreſſus eſt. Quæcunque exemplaria paſſim abierant, inve-

ſtiga-

ſtigare; ea tum inter ſe, tum cum iis, quæ ab ipſo Cardinali acceperat, comparare; locos eoſdem ſæpius ac varie ab auctore retractatos, penſitare etiam atque etiam, ut poſtremam ipſius manum agnoſceret; totum Poëma crebra lectione concoquere, ac mente & memoria comprehendere univerſum; tum conciſa minutatim, ac ſine ulla nota confuſa, innumerabilia fere additamenta, quaſi disjecta tantæ molis membra, ad quem quodque locum natum eſſet, in eo ſic includere, ut quadrarent: hæc & alia ejusmodi eo plus habuerunt laboris, quo magis tacitum & obſcurum. Id autem ut efficeret, induendus illi fuit ipſe Scriptoris animus: quod quidem aſſequi nullo negotio poterat, propter eximiæ indolis cognationem. Nam germana in utroque ingenii facilitas, elegantia, ubertas: ita ut opus ipſum tractari ſe non ſentiret aliena manu; nec tam amicus auctoris, quam auctor ipſe ſibi ſuperſtes edendo Anti-Lucretio incumbere videretur.

Nec tamen ſuo unius arbitrio ſtetit *Rothelinus*. Peropportune in Galliam

adduxerat ſtrenua doctos homines pernoſcendi cupiditas illuſtriſſimum Abbatem *Cerati*, perpetuum Univerſitatis Piſanæ Rectorem; qui cum plurimas Europæ gentes, nobili doctrinæ commercio circumiret, quam ſecum magnam virtutis, humanitatis, ſcientiæ litterarumque famam attulerat, ubique reliquit ampliorem. Hujus limatiſſimo judicio, quod olim ipſe Cardinalis in opere conficiendo perſpexerat, in eodem digerendo plurimum uſus eſt *Rothelinus*. Quin etiam quoſcunque noverat, qui aut de rebus ipſis, aut de poëſeos præſtantia judicare poſſent, eos omnes, quos potuit, modo adire ſingulos, modo congregare plures; recitandoque Poëmate eorum ſententiam explorare: quam deinde ſecum ipſe diligenter expendebat, ne quid vel pertinacia, vel obſequio peccaret. Hos tam multos nominare longum eſſet, partim aut ſplendore honorum maximorum, aut litterarum titulis jam inſignes; partim ea modeſtia, ut cum eo, qui nomina eorum efferret, fere proditionis agerent. Supererant etiam pauci, neque

illi

illi quidem infimi inter eruditos ordinis, quibus Anti-Lucretium recitare in animo habebat: quorum omnium ſuffragiis, quod amicis ſæpe teſtificatus eſt, ultimum quaſi punctum addere decreverat ejus ſententiam Viri, quem ut ſummum juris in Gallia dicundi moderatorem, ita ſupremum & ſeveriſſimarum artium & politioris humanitatis judicem noverat; in quo Viro cum omnia, quæ apud cæteros quos adierat, collecta in unum ingenii ac ſapientiæ ſubſidia reperturum ſe intelligebat, tum amantiſſimam Cardinalis, quem ille cariſſimum habuerat, recordationem. Is Anti-Lucretio, quem in ipſis olim auctoris manibus naſcentem viderat, ipſe verſaverat, optimis conſiliis non ſemel ornaverat, ultimus arbiter deſtinabatur; ut quemadmodum hoc Poëma Viros, non magis altiſſimo honoris gradu, quam omni doctrina eminentes *Davias* & *Paſſioneos* in Italia monitores ac patronos habuerat, ſic & haberet in Gallia *Dagueſſaeos*.

Verum hanc tantam conſiliorum opportunitatem *Rothelino* præripuit im-

ma-

matura mors: quam cum inſanabili pectoris tabe jam propius obrepere ſentiret, ne prius e vita diſcederet, quam debitam amico exſolviſſet fidem, conſcripta ad Summum Pontificem dedicatione, Anti-Lucretium nomine ſuo vulgandum, authentica pactione nobis commiſit. Nos aliquot difficultatibus diutius, quam vellemus, retardati, opus bis poſthumum, & parente & tutore orbatum, adoptandum nunc tradimus Religioni & Litteraturæ.

Abſoluta jam Poëmatis hiſtoria, liceat nobis conſidere parumper ad tumulum illuſtriſſimi Abbatis; & non ſine lacrymis reſpectare eum, cujus luctuoſo interitu Pietas, priſca Fides, Litteræ congemuerunt. Heu lenitas! Heu morum æquabilitas! Quis illo cum vitæ ſuavitate ſeverior? Quis cum ingenii venuſtate ſanctior? Quidquid ſupererat aut Religionis officiis, quæ prima ſemper apud eum fuerunt, aut temporibus amicorum, id totum concedebat otio erudito. Ut amans litterarum, ſic in Litteratos pro-

penſus, & ſibi & cæteris collegerat cum nummos antiquos, quam multos & elegantes! tum lautiſſimam ſupellectilem librorum, quibus commodandis non minus, quam legendis delectabatur. Inoffenſo vitæ curſu ad metam, quamvis cito, tamen placide provectus, in longo mortis ſegniter adventantis proſpectu, nullo ſuo, magno & illuſtris familiæ & amicorum gemitu, acerbo quidem fato, at æternitati maturus exſtinctus eſt; perpetuo virtutum Chriſtianarum tenore, ſine ulla oſtentatione, ſibi per omnia ſimilis & conſtans; cujus ſupremus dies id unum inſigne habuit, quod ipſi fuerit recte factorum ultimus. Verum ſuarum laudum ut intimum teſtem, ſic optimum interpretem habuit clariſſimum Virum *Freretum* *, cujus ille probitatem ac fidem non minus, quam immenſam pene eruditionem, fuerat conjunctiſſima neceſſitudine proſecutus.

* Eloge de Monſieur l'Abbé DE ROTHELIN, prononcé dans l'Académie Royale des Inſcriptions & Belles-Lettres, par M. Fréret.

Sed

Sed ne tam diuturnæ exſpectationi moras etiam addere longior Præfatio videatur, pauca tantum ſubjicientur, quæ noſſe operæ pretium eſt.

I. Ex Libro nono, ubi Scriptor lampadem, ut ait ipſe, præferens, Lectorem in terræ marisque viſceribus circumducere id animo habebat, ut ibi quoque ſummi Artificis manum deprehenderet, nihil exſtare repertum eſt, niſi titulum & viginti quatuor primos verſus, in quibus Auctor ad novam hanc viam ſe ſe accingit. Eos vero verſus Lectori invidere religio fuit; cumque Libro decimo, quo collectis breviter prioribus, faſtigium imponebatur univerſo Poëmati, deeſſet ipſum caput, ejus quod reliquum erat, noni Libri principio Rothelinus ſub alio titulo ſubjunxit.

II. Vix neceſſarium videtur admonere Lectorem, in Lucretio refellendo, cujus in magna fœditate rerum ſincerum maxime & caſtum eſt loquendi genus, ejus etiam verba quædam aliis inſolita,

veteremque ac ſingularem dicendi ſpeciem ac figuram ſæpe Poliniacum expreſſiſſe. Quod ſi videbuntur interdum exprobrari Lucretio abſurda quædam, quæ Lucretius a ſe dedita opera amolitur, ex attenta lectione patebit, ea eſſe ejusmodi, quæ Poëta ſibi minime conſtans, alias rejiciat quidem; alias vero quaſi manu reprehenſa aſſumat. Et ſane optandum eſt imprimis, ut poſtea nunquam Lucretius ſine hujuſce Poëmatis antidoto attingatur.

III. Quanquam Auctor inſiſtit plerumque *Carteſii* veſtigiis, ab eo tamen aliquando diſcedit. *Neutonum* de coloribus, de natura ignis *Boerhaavium*, de quibusdam aliis alios audire maluit; veritati, ſi ſatis explorata eſſet, addictus uni. In ipſo tamen hæſiſſe reperientur opiniones quædam, quæ jam fere obſoleverunt. Hujusmodi ſunt cum alia nonnulla, tum quidquid affert tertio Libro, ut infinitum Atomorum numerum confutet. Reſpuit enim infinitum infinito majus aut minus; nec ſtare poſſe numerum infinitum ſtatuit. Neque tamen erat

in

in rebus Philoſophicis ita peregrinus, ut quænam his de rebus opinio jam invaluiſſet, ignoraret. Sed ex lectione plurima & ex longiſſimæ ætatis uſu ſatis intellexerat, ut quamlibet liberam civitatem, ſic & artium egregiarum Rempublicam multis eſſe rerum converſionibus obnoxiam. Multas opiniones emergere viderat, quæ cum aliquamdiu floruiſſent, ejectæ poſtea & exploſæ fuerant; quasdam jampridem emortuas ac ſepultas renaſci & vigere. In eas igitur, quæ animorum potiri viderentur, non ſe ſe ſtatim juvenili properatione conjecit. Ita ſe geſſit in rebus Philoſophicis, ut in Politicis vir cautus & prudens; qui quæcumque exiſtunt ſtudia partium, ad ea non vertit ſe ſe ſubito & circumagit, ſed eventorum maturitatem opperitur.

IV. Fortaſſe ſeverioribus viris arrideant minus, quos ex Mythologia colores Poëmati ſuo, raro quidem & parce, at interdum tamen illevit. Eos vero ita inſperſos fuiſſe advertant, ut dum delectationi conducunt, nihil officiant

veritati. Mythologiam enim aut Ethnicis loquentibus accommodat, aut ita opponit *Epicuri* & *Lucretii* ſomniis, ut hæc vel ipſis Fabulæ commentis ineptiora eſſe oſtendat. Cum vero primi Libri ſtatim initio reum peragit *Epicurum*, qui

Cæli tonitralia templa laceſſens,
Eripuit, fulmenque Jovi Phœboque ſagittas,

hoc ita intelligi debet: non id Epicuro crimini dari, quod falſorum Numinum aras everterit; ſed quod, quæ ſola tunc in Græcia religio vigebat, ea ſublata, neque ulla alia ſubſtituta, omnem omnino Divinitatis cultum ſuſtulerit. Hanc eſſe Auctoris ſententiam patet ex his Libri noni verſibus:

Sic totum inſulſis deceptum fraudibus Orbem
Stulta Superſtitio pro Relligione ſubivit.
Illam, Epicure, tuis merito convellere dictis
Fas erat: illa tuos verſus, argute Lucreti,
Promeruit; jam tum poteras præludere Vero.
Sed furor eſt, Divum impuras dum ſubruis aras,
Una ſancta Dei templa involviſſe ruina.

V. Cum

V. Cum hujusce Operis utilitas ad univerſos pertineat, ea ne fraudarentur, qui Latine neſciunt, cordi fuit illuſtriſſ. Abbati *Rothelino*. Itaque operæ pretium fore credidit, ſi ad id Gallicam in linguam vertendum eum impelleret, quem idoneum ſapientiæ cum tanta venuſtate conjunctæ interpretem judicabat, clariſſimum juvenem *De Bougainville*, in Regiam Inſcriptionum & Litterarum Academiam ob maturiorem annis eruditionem nuper aſcitum. Hæc autem interpretatio ſummo ingenio ſummoque ſtudio jam concinnata, opus ipſum haud ita multo poſt ſubſecutura eſt.

His præmiſſis, jam audiendus eſt Vates ingens, dum ingentem cauſam tuetur, ſæpe quidem antea defenſam, ſed a libidinibus, quæ nunquam ſilent, ſemper impugnatam; & quæ nunc primum Latinæ Poëſeos inſignibus prodit magnifice decorata. Nam quæ a *Paleario*, *Scipione Capicio*, & aliis fortaſſe nonnullis Poëmata de Religione naturali ſcripta ſunt, ea cum hujuſce argumenti partem

tantum attingunt, tum Poëſeos nitore quantum diſtent, ipſa lectione aperietur. Liceat hic coronidis loco ſubjungere verſiculos aliquot, quos Abbas *Rothelinus* ab amico ſibi traditos typis mandari optavit.

Palluit, hæc legeret tremulo dum corde Voluptas,
Languidulisque liber decidit e manibus.
Prodimur; illecebris Veri jam vincimur, inquit;
Prodimur! heu! nobis abſtulit ille roſas!
Auſus & ablatas Rationi aptare ſeveræ;
Iamque meos luſus perdere, luſus erit.

DE
POETIS PHILOSOPHIS
COMMENTATIO
Editor. Lipſienſ.

Elegantiſſima mihi ſemper & memorabilia valde viſa ſunt illa CICERONIS verba, quibus antiquiſſimum humani generis ſtatum, rerumque publicarum origines explicaturus, *Lib. I. de Inu. c. II. Ed. Verb.* ita ſcripſiſſe deprehenditur: „Nam fuit „quoddam tempus, quum in agris homines, paſſim, beſtia„rum modo vagabantur, & ſibi victu ferino vitam propa„gabant; nec ratione animi quidquam, ſed pleraque viri„bus corporis adminiſtrabant. Nondum diuinae religio„nis, non humani officii ratio colebatur: nemo nuptias „viderat legitimas: non certos quiſquam inſpexerat libe„ros: non ius aequabile quid vtilitatis haberet, acceperat. „Ita propter errorem atque inſcientiam, caeca ac teme„raria dominatrix animi cupiditas, ad ſe explendam viribus „corporis abutebatur, pernicioſiſſimis ſatellitibus. Quo tem„pore quidam, magnus videlicet vir & ſapiens, cognouit, „quae materia eſſet, & quanta ad maximas res opportunitas „in animis eſſet hominum, ſi quis eam poſſet elicere, & prae„cipiendo meliorem reddere: qui diſperſos homines in „agris, & in tectis ſilueſtribus abditos, ratione quadam com„pulit vnum in locum, & congregauit; & eos in vnam„quamque rem inducens vtilem atque honeſtam, primo „propter inſolentiam reclamantes, deinde propter rationem „atque orationem ſtudioſius audientes, ex feris & imma„nibus mites reddidit & manſuetos.„

Et Tvllivs quidem, eloquentiae ſolutaeue orationis tuendae gratia, haec aliaque eius generis, paſſim in medium protulit. Facultatem dicendi nempe laudaturus, & praecepta eo ſpectantia traditurus, non poterat negligere ea, quae ad gloriam arti ſuae immortalem conciliandam, facere videbantur. Non mediocrem interea animaduerſionem meruiſſe mihi videtur idem; quod ea, quae non niſi vatibvs antiquiſſimis, ſiue Poëtis vetuſtioribus debebantur encomia, glorioſior aliquanto ad oratores tranſtulerit. Habemus paene confitentem reum: ſiquidem ipſe cicero noſter, in verbis allegatis ſuſpicionem nobis mouet, minus candide ſe quae ſentiebat elocutum eſſe; ſed reticuiſſe potius ea, quae ſcopo ſuo parum conuenientia exiſtimabat. Mentionem iniicit magnificis admodum verbis, magni cvivsdam et sapientis viri, cuius opera & artibus, feriſſimi piſcorum ſaeculorum mortales, ad meliorem mentem redacti fuerunt: quem profecto, quare non palam nominaſſet, ſi oratorum numero eum accenſere, veritate rei ſuffragante, vlla ratione licuiſſet? Non licuit autem id, contra omnem antiquitatis fidem effingere, viro veritatis amantiſſimo. Quod quum videret, reticere viſum eſt nomen ſapientis illius, gloriamque Poesi debitam, generali orationis vocabulo inuoluens, oratoribus vindicare iniquius paullo ſuſtinuit.

Conſentiunt nimirum in eo inter ſe Scriptores hiſtoriarum, in quibuscumque rebus aliis multum a ſe inuicem abeuntes: non oratione ſoluta, ſed cantv potius, carminibvsque lenitos fuiſſe mortalium antiquiſſimos, qui ferarum inſtar ſilvas inhabitabant, & per campos belluino more palantes, praedaeque inhiantes, facinora quaeuis committebant. Teſtem in re clariſſima provocare liceat Horativm *in Art. Poët.* qui, quod cicero, oratores laudaturus, auſus non eſt, inter maxima Muſarum elogia referre nullus dubitauit:

Silueſtres

Silueſtres homines ſacer, interpresque Deorum,
Caedibus & victu foedo derterruit ORPHEVS:
Dictus ob hoc lenire tygres, rabidosque leones.
Dictus & Amphion, Thèbanae conditor arcis,
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet. Fuit haec ſapientia quondam,
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis;
Concubitu prohibere vago; dare iura maritis;
Oppida moliri; leges incidere ligno.
Sic honor & nomen diuinis vatibus, atque
Carminibus venit.

Habemus itaque ORPHEVM, magni nominis virum, ferarum domitorem, vrbium conditorem, morum doctorem, legislatorem denique & cultus diuini inſtauratorem excellentiſſimum. Habemus Philoſophum, qui quum magnitudine ingenii ſui, animoque prorſus diuino felicitatis ſcientiam humano generi maxime neceſſariam complexus eſſet, SAPIENTIS cognomen apud poſteros primus ſibi peperit. Habemus denique Poëtam inſignem, qui carminibus ſapientiae doctrinas includens, doctorem humani generis egit, effecitque, vt MVSAS, quarum inſtinctu res tam excelſas & ſalutares ſcripſiſſe creditus eſt, pro ſapientiae omnis, quam PHILOSOPHIAM hodie vocamus, obſtetricibus agnoſcere cogamur.

Non attinet iam diuerſas eruditorum, de patria vel aetate ORPHEI ſententias excutere, vel in quaeſtionem: an vmquam exſtiterit ORPHEVS? cum quibusdam, ſcrupuloſe nimis inquirere *. Primum enim quod concernit, inter omnes fere conuenit, Thracem eum fuiſſe, & ante Troiani belli tempora, vixiſſe; immo Moſis fere aetatem, ex nonnullorum ſententia, attigiſſe. Alterum autem, exſiſtentia nempe ORPHEI vatis, in dubium vocata, immo a Cicerone, qui ad Ariſtotelem prouocat, negata penitus,

L. I.

* Vid. S. Reu. Bruckeri Hiſtor. Philoſ. Criticam T. I. P. II. L. I. Cap. I. §. 5. ſeqq.

L. I. de Nat. Deor. tam lubricis innititur fundamentis, vt reieciſſe ea omnia, idem ſit ac refutaſſe. Contendunt nimirum quidam Scepticiſmum hiſtoricum affectantes, confictum ab antiquis fuiſſe nomen ORPHEI; & quidem ex Arabica voce *Arifa*, quam nouiſſe vel ſcire, ipſis ſignificare perhibent. Quo, quid futilius excogitari poſſit, ego quidem non video. Huiusmodi enim argumentis, ſi impugnare licet clarorum virorum exſiſtentiam; nonne maxima eorum pars inter figmenta & fabulas referenda erit? Quid quaeſo impedit, quo minus vel a parentibus, vel ab aliis, vel a ſe ipſis denique, nomina iis impoſita fuerint, ſignificationem quandam ſatis honorificam habentia? Dudum obſeruatum eſt a rei etymologicae peritis, quaeuis propria, appellatiua quondam fuiſſe nomina. Taceo, quam ineptum ſit, hominis *Libethrii* ex Thracia oriundi nomen, ex Arabicis deriuare fontibus. Perinde enim eſt, ac ſi Germanorum nomina ex Turcica vel Tartarica lingua repetere, quisquam ſobrius adgrederetur. Adeat, cui plura noſſe intereſt, Cel. FABRICII Bibliothecam graecam T. I. p. 110. ſeqq.

Philoſophum & Poëtam fuiſſe ORPHEVM, inter omnes, recentiores aeque ac antiquos auctores maximo conſenſu creditur. Ipſum quidem Philoſophiae vocabulum, licet recentius multo ſit: res ipſa tamen, tunc temporis, primos in Europa natales ſuos quin habuerit, negari a nemine poteſt. Sapientiam excolere, rerum diuinarum & humanarum cognitioni operam dare, naturae rerum ſcrutandae, moribusque mortalium corrigendis totum ſe tradere; quid aliud eſt, quam Philoſophum agere? Fuit autem Orpheus SAPIENS, teſtante AELIANO *L. 8.* var. hiſt. c. 6. Theologum eum fuiſſe agnouerunt SYRIANVS & PROCLVS, qui in Theologiam eius ſcripſerunt, memorante SVIDA, in vita PROCLI c. 27. Immo cum PYTHAGORA atque PLATONE doctrinas Orphicas contulerunt iidem, in libro, quem *συμφωνιαν Ορφεως, Πυθαγορȣ και Πλατωνος* inſcripſerunt. Poëtam autem eum fuiſſe, adeo conſtans fama eſt inter omnes, vt nulla

id

id quidem probatione indigeat. HOMERVM ipſum ex eo quaedam deſcripſiſſe, operibusque ſuis intexuiſſe cenſet CLEMENS ALEX. *Lib. V. Str. p. 618.* & dialecto Dorica vſum fuiſſe in carminibus ſuis, teſtatus eſt IAMBLICHVS *c. 34. de Vit. Pythag.*

Equidem non melius hic in vtroque probando verſari poſſemus, quam ad ſcripta excellentiſſimi Vatis provocando, ſapientiamque eius poëtico cultu ſuperbientem lectorum oculis ſubiiciendo. Verum enim vero, adeo pauca nobis reſtant ſub nomine eius fragmenta; & adeo dubiae fidei eſſe cenſentur a Criticorum peritiſſimis, vt ſtabile nihil, pro ſententia noſtra adſtruenda, deduci exinde queat. Celebrantur quidem *Argonautica*, carmine epico conſcripta; *Hymni* praeterea LXXXIV. quibus Ευχη προς Μυσαιον, praemiſſa ſaepe deprehenditur. Habentur porro de lapidibus, eorumque virtutibus praecepta, a multis ipſi tributa. Aſt quis in tanta temporum diſtantia ſatis diiudicare valeat, an pro genuinis haec omnia habenda ſint? Illa quoque, Argonautica nimirum, a SVIDA *Orpheo* cuidam iuniori, *Crotoniatae*, qui PISISTRATI temporibus vixit, adſcripta legimus. Iſta, hymnos ſcilicet, ab ONOMACRITO quodam, ad imitationem HOMERI compoſitos eſſe, ſuſpicatur ALLATIVS, *libro de patria Homer. p. 281.* PAVSANIAE licet iudicio elegantiores iisdem exiſtimentur Homerici. Tandem tertium de lapidibus ſcriptum vel poëma, allegans STOBAEVS, Ορφεως addit, η μαλλον Ονομακριτυ. Omnia denique carmina Orphica, PYTHAGORAE a quibusdam tributa eſſe, docet Cel. FABRICIVS *l. c. Cap. 19. p. 117.*

Sufficit itaque nobis conſtantiſſima per omnem antiquitatem fama, & Poëtam fuiſſe ORPHEVM & Theologum & ſapientiſſimum virum. At idem nec ſolus, nec primus Poëtarum, ſapientiae doctrinas carminibus incluſas edidiſſe, cenſendus eſt. Antiquior enim ipſo celebratur LINVS, qui Terpſichores & Apollinis, ſive, PAVSANIAE ſi credimus, Vranies & Amphimari filius exiſtima-

ſtimatus eſt. Hic, quod fila e lino in cithara extendere docuit, chordas primus inueniſſe, & eapropter ab ipſo Apolline interemtus fertur: quae quo magis fabulam ſapiunt, eo maiora antiquitatis documenta prae ſe ferunt. Vixiſſe eo tempore dicitur, quo CADMVS litteras e Phoenicia in Graeciam, primus intulit, primusque fuiſſe dicitur, qui eas graecae dialecto adplicauerit. Poëtam eum fuiſſe, vel ex eo adparet, quod a DIODORO SICVLO *L. III. p. 14.* primus numerorum cantusque (*ῥυθμων και μελες*) inuentor celebretur, ORPHEVMque diſcipulum habuerit, teſte DIOG. LAERTIO in vit. THALETIS. Idem confirmat VIRGILIVS in Ecloga IV. ita canens.

Non me carminibus vincet, nec Thracicus ORPHEVS,
Nec LINVS

Cui PROPERTIVS addi meretur, *L. II. Eleg. 10.*

Sed magis vt noſtro ſtupefiat Cynthia verſu,
Tunc ego ſum Inachico notior arte LINO.

Nec probatu difficile eſt, ſapientiae ſtudiis inſignem fuiſſe, doctrinamque Philoſophicam carminibus ſuis tradidiſſe LINVM. Loquuntur id varia eius ſcripta, quorum vel tituli ſoli, vel fragmenta quoque exſtant paſſim apud veteres. Laudant e. g. *Κοσμογονιαν*, cuius carminis initium fuiſſe conſtat ſequens:

Ην ποτετοι χρονος ετος εν ω αμα παντ' επεφυκει.

Ex quo etiam Anaxagoram hauſiſſe ferunt *ὁτι παντα χρηματα γεγονεν ὁμε*. Scripſit praeterea carmen *περι φυσεως κοσμε*, cuius duodecim verſus adducit STOBAEVS *Phyſ. tit. 13.* Ex quibus ſcriptis ſane pateſcit, non immerito eum a DIOGENE LAERTIO inter primos Graeciae ſapientes numeratum eſſe cum ORPHEO. *Vid. loc. ſupr. cit.*

Proximus hiſce duobus & coaeuus fere MVSAEVS fuit, ORPHEI diſcipulus, & imitator; immo a quibusdam pro filio eius habitus. Sunt etiam qui ORPHEO antiquio-

tiquio-

tiquiorem eum faciunt; e. g. CLEMENS ALEXANDR. *Strom. p. 332 & 618:* aſt perperam; vti ab aliis oſtenſum fuit. Nec deſunt qui MVSAEVM hunc, pari ac ORPHEVM ratione numquam exſtitiſſe exiſtimant; eo quod nomen eius ab hebraeo מוסר i. e. *Arte*, vel *diſciplina* derivandum eſſe, & propterea proſopoeiam fabuloſam redolere videatur. Alii e contrario cum MOSE eum confundere ſatius duxerunt; vtrique non niſi coniecturis freti, friuoliſque ratiociniis ſuffulti. Athenienſis natione fuiſſe fertur, ac *Epopoei & Philoſophi* nomen iam apud antiquos meruit. Et poetam itaque & ſapientem eum fuiſſe exinde liqueret; licet nihil ſcriptorum eius ſupereſſet, unde clariora eius rei argumenta peti poſſent. Moralem praeprimis ſcientiam eum coluiſſe & poëtice tradidiſſe, vel ex *Praeceptis* eius ad EVMOLPVM filium directis, quadringentorum verſuum carmine, conſtat; Theologiae quoque naturali operam eum dediſſe, magiſtrorum ſuorum exemplo, *Theogonia* eius indicio eſſe poteſt, in qua docuiſſe fertur, LAERTIO iterum teſte: Ἐξ ἑνος παντα γινεσθαι, και εις ταυτον αναλυεσθαι.

His antiquiſſimis Europae noſtrae ſcriptoribus & Poëtis originem debet, vti ſupra innuimus, omnis ſapientia Graecorum, omnis reliquorum ſaeculorum philoſophia. Parentes enim cuiuscumque doctrinae Metaphyſicae, Phyſicae, Moralis & Politicae egerunt triumviri Vates modo nominati, LINVS, ORPHEVS, & MVSAEVS. Hi Muſarum filii atque ſacerdotes, diuinique Numinis interpretes, primi, ſanae rationis vſum, rudibus omnium rerum populis oſtenderunt. Hi aequi bonique principia, iuriſque naturalis praecepta gentibus feris tradidere; hi Numinis cultum in Graecia docuere primi, hymnos in laudem eius componentes, & luſtralibus carminibus, male factorum veniam impetrare docentes: & haec quidem omnia, non ſine poëtico ſermonis ornatu, non ſine numeris certis, non ſine carmine & cantu. Quidquid igitur

tur Philoſophiae poſtea in Graecia effloruit, id omne Vatibus noſtris acceptum ferendum, Muſisque obſtetricantibus in lucem quondam editum eſt.

Non ſine ratione admiratio, animum huic rei adtentum ſubire poteſt, vnde factum ſit, vt quum naturale magis ſit, ſoluta oratione, quae ſentiamus, ediſſerere; primi tamen ſcriptores Graecorum ligatum ei ſermonem praetulerint? Conſtat nimirum inter eruditos, PHERECYDEM, PYTHAGORAE Praeceptorem, primum proſaice philoſophatum eſſe, poſtquam per plura iam ſaecula poëſis in flore fuiſſet, immo per HOMERVM, ad ſummum fere faſtigium ſuum excreuiſſe, videri poterat. Aſt ſiue ea fuit excellentium ingeniorum natura, vt, omnes mentis facultates aequali perfectionis gradu adepti, ſimul & ſapientiae & elegantiſſimae ſcriptionis flores copioſe producerent: ſiue ea viris ſapientiſſimis contigit animi perſpicacia, vt minus arriſuras praeuiderent feris barbarorum populorum auribus, auſteras rerum ſublimium doctrinas; niſi dulcedine dictionis, numerorumque lenociniis ſibi conciliarent eosdem, & ad mentes ipſas capiendas, ſalubresque doctrinas iisdem inſtillandas, viam ſibi ſternerent. Vtrumuis horum tibi elegeris, pari exinde euidentia fluit, non ſine Poëſeos ope, vel Muſarum ſine adminiculo, Philoſophiam humano generi primitus traditam eſſe.

Pergo ad ſequentia ſaecula, quae Poëtarum philoſophantium licet feraciſſima eſſent, neminem tamen illuſtriorem HOMERO atque HESIODO produxerunt. Inter ſeptuaginta enim nomina Poëtarum & Scriptorum, ante haec tempora celebrium, quae apud FABRICIVM *T. I. p. 45.* recenſita videas, praeter adductos vix duodecim reperiuntur, quorum fragmenta ad noſtra vsque tempora peruenere. Obſcurati igitur fuere hi omnes, velut poſt lunae ſolisque exortum minores ſtellae; nec aetatem ferre potuerunt, omnium Graecorum ſtudiis in duumuiros hosce ſolos conuerſis. Superfluum eſt ſcripta eorum

rum recenſere; ſatis ea vel tironibus humaniorum litterarum innotuiſſe arbitramur, quam vt noſtra laude indigeant. Hos CICERO, in *Tuſcul. I. c. 1.* poſtquam, *apud Graecos antiquiſſimum fuiſſe e doctis, genus poëtarum*, aſſeruiſſet; *ante Romam conditam* ſcripſiſſe aſſerit. Hos omnis antiquitas admirata eſt; hi quia magnam doctrinae ſapientiaeque vtilitatem praeſtabant, audiebantur, legebantur, ediſcebantur & mentibus fere omnium penitus inhaereſcebant. Tandem ad ſuperſtitionem vsque exereuit, HOMERI praeſertim, apud antiquos auctoritas. Hic omnium pater artium, cunctarum doctor ſcientiarum, diuinus doctrinae & morum magiſter infinities ſalutatus eſt. Nec immerito ſane. Quum enim pro illorum temporum ratione, prae ceteris omnibus, adeo magnifice de cultu Deorum; de hominum iuribus; in ſocietate potiſſimum generis humani poſitis, nec non de modeſtia & magnitudine animi in poëmatibus ſuis ſcripſiſſet, merebatur ſine dubio, qui pro diuino prorſus Viro, omniumque ſapientum doctore haberetur ab omnibus. Hinc HORATIVS, loco ſupra allegato eum inſignem appellare non dubitat:

Poſt hos inſignis HOMERVS
TYRTAEVSque mares animos, in Martia bella
Verſibus exacuit.

Immo alio in loco veritus non eſt, HOMERVM in ſcientia morali, omnibus Stoicorum ſuorum luminibus anteponere; vtpote,

Qui, quid ſit rectum, quid iuſtum ac vtile, quid non?
Plenius & melius Chryſippo & Crantore dicit.

Sequatur HESIODVS, quem potiore iure inter Poëtas Philoſophos numerare licet. Coaeuus a pleriſque antiquitatis cultoribus exiſtimatur Homero; nec refert, an aliquot luſtris maiorem minoremue fuiſſe cenſeat aliquis. Scripſit Ἔργα καὶ Ἡμέραι, *Opera & Dies*, opus ad Philoſophiam moralem, ſiue eam potius Politicae

 par-

partem, quae Oeconomica audit, pertinens. Addidit huic actiuae ſapientiae, ſpeculatiuam quoque; Theologiae Naturali ſcilicet, vel Metaphyſicae propriam tractationem: vbi verſibus heroicis *Theogoniam*, compoſuit; fabuloſam quidem maximam partem, pro temporum iſtorum more captuque; at non contemnendis ſubinde dogmatibus refertam. Vel ſola de Prometheo, donoque ipſi ab Ioue dato fabula, ſatis indicat, originem mali explicaturum HESIODVM, ſub imaginibus fabuloſis arcanos animi philoſophici ſenſus ſapienter occultaſſe: vt alibi monſtrauimus. Quid de EVRIPIDE dicam, Tragicorum graecorum facile Principe? Hunc enim amicum SOCRATIS Philoſophi, & Philoſophum fuiſſe antiquitas omnis faſſa eſt. Indicant idem fabulae eius, quotquot exſtant ſaluberrimis ſapientiae praeceptis refertae. In prouerbia abierunt eius, vti reliquorum etiam Poëtarum, argute dicta: ſatisque exinde patet, ex Vatum philoſophantium choro, vix ac ne vix quidem eundem excludi poſſe.

Aſt quaeret forte quispiam: Quid? illine ipſi ſummi philoſophi, quorum doctrina litteris prodita eſt, Muſis etiam iſtis, quas ſapientiae obſtetrices tu praedicas, dediti fuerunt? Difficillimum eſt hoc de omnibus adfirmare; certum tamen eſt, quid regeram. Multos equidem nuper excellenti ingenio & virtute Philoſophos exſtitiſſe largior, nullis Muſarum auxiliis inſtructos. Etiam id adiungo, facilius hodie ſapientem virum, ſine poëſeos ope, euadere quemquam poſſe, quam ſine ſapientum libris vatem fieri eximium. Verumtamen contendo, apud antiquos illos, quoties ad ſapientiae doctrinas, poëtica acceſſerit ac mitior ingenii vis; toties neſcio quid praeclarum & humano generi maxime profuturum ſemper exſtitiſſe. Ita enim, illis ſaltem temporibus, coniuncta erant poëſeos atque ſapientiae ſtudia, vt neutrum ſine altero eſſe poſſe videretur. Sed praecipue quidem ſeptem illi, qui vno tempore fuiſſe dicuntur in Graecia, qui ſapientes & vocarentur & haberentur; tantopere in

vtroque

vtroque horum verſati fuiſſe leguntur, vt merito quis ambigere queat; Philoſophosne an Poëtas eos adpellare malit? Siue enim quis eos, qui ſapientiae praecepta, ornatiſſimi ſermonis cultu, numerisque praeſtantiſſimis incluſa tradidere, *Vates* ſalutandos; ſiue illos Poëtas, quos ego Mineruam Muſis adiunxiſſe, & vna cum rhythmis ſuis elegantiisque, ſapientiae doctrinas tradidiſſe adfirmo, *Philoſophos* vocandos putauerit: me profecto in vtroque conſentientem habebit, nihilque, quod ſcopo meo contrarium ſit, eo ipſo adſeueraturus videtur.

Vt a THALETE initium faciam, cui maxima inter ſapientes illos antiquioris Graeciae fama fuit; quis neſcit, quanta eius fuerit, itineribus multis, ſtudiisque naturae maioribus acquiſita ſcientia? LAERTIVS eum primum de Natura diſſeruiſſe teſtatur *L. I. c.* 24. qua in re CICERONEM ſibi ſuffragantem habet, *de Nat. Deor. L. I. c.* 10. STRABO autem, ante alios Graecos omnes, cauſſas rerum naturalium & Mathematica eum rimatum dicit; alia vt iam praeteream teſtimonia veterum, apud STANLEIVM & BRVCKERVM (*) obuia. Quantopere veritati conuenientia ſint haec omnia, ex dogmatibus ipſius philoſophicis, aeque ac mathematicis inuentis, prolixe l. c. expoſitis, facillime colligitur. Quis autem neſcit, inſignem hunc virum, magnam ſcriptorum ſuorum partem, ligato ſermone conſcripſiſſe? Citantur ſane apud LAERTIVM *Aſtrologica* eius, ducentis verſibus comprehenſa, & SVIDAS metrici operis *de Meteoris* agente, mentionem iniecit. Tandem liberiore quoque carminis genere, quod Ἀδόμενα vocauit, alium conſcripſiſſe fertur librum: vnde duo Poëtarum genera fecit DEMOSTHENES, τὰς ἐμμέτρους ſcilicet, καὶ τὰς ἀδομένους, obſeruante CASAVBONO.

Sequitur SOLON, aequale, immo maius fere inter Sapientes nomen nactus; non tamen inter Poëtas minus, quam inter Philoſophos numerandus. Memorabilis

* Conf. Hiſt. Phil. Crit. T. I. P. II. L. II. Cap. I.

ribus quoque notiſſima, vel verbum addere; verum poëticam ei facultatem iure tribui, ita in vulgus notum non eſt: ſiquidem nullibi fere in graecorum Poëtarum cenſum referri eum videas. Conſtat interim, *de Vniuerſo* eum metrice ſcripſiſſe; ſub ORPHEI quoque nomine aliud edidiſſe carmen; Hymnos denique reliquiſſe, ex quibus ſequentes verſus a PROCLO in *Timaeum* allegantur, ſic latinitate donati:

Ex denſis Monados latebris euoluitur omnis
Numerus, ad ſacram procedens inde Tetractyn;
Qui genuit matrem immotam & ſemper agentem
Rerum, quam decadem caſtam dicunt, &c.

De *aureis* quidem *carminibus* ipſi vulgo tributis, nihil certi adfirmari poſſe cenſent eruditi: id mihi tamen obſeruaſſe ſufficiat: PYTHAGORAM tempore matutino, veteres quosdam THALETIS poëtae hymnos, ſiue Paeanas cecinisſe; immo HOMERI quoque atque HESIODI carmina, ad Lyram canendo, modulatum eſſe.

Silentio tandem premendi non ſunt penitus THEOGNIS, & PHOCYLIDES, Poëtae de tradenda Philoſophia morali inſigniter meriti: ſententiis quippe egregiis illuſtres; quibus Lectorum animos ad virtutis normam formare ſategerunt. Hunc tamen poſteriorem pro Chriſtiano vnanimiter agnoſcunt Critici; adeo puram Philoſophiam ex riuulis Moſaicis ſubinde deriuatam lectoribus tradidiſſe deprehenditur.

Abrumpenda ſunt reliqua, quae de ARATO, EMPEDOCLE, aliisque innumeris dicenda reſtant, quorum omnium inter philoſophos non minor, ac inter Muſarum filios fama eſt: de quibus videri poteſt VOSSIVS de Poëtis graecis, nec non *Tan. Faber* in libello gallico eiusdem argumenti: *les Vies des Poetes grecs.* Reticenda quoque ſunt, quae de LYCVRGO Lacedaemoniorum Legislatore, eiusque in Poëſin meritis in PLVTARCHO leguntur. SOCRATEM denique ipſum praeterire cogor,

qui

qui non Homeri tantum Lectorem aſſiduum & admiratorem perpetuum egit; verum ſeptuagenario maior, & in carcere morti proximus, PLATONE referente, nihil iucundius ſe, ſapientique viro mox morituro dignius, ſuſcipere poſſe putauit; quam fabellae cuiusdam Aeſopiceae in carmen aliquod inſtitutam translationem. Quae omnia, quo breuioribus adtingo verbis, eo maiora & illuſtriora ſuppeditare poſſent argumenta demonſtraturo: Muſas antiquitus ſapientiſſimis viris ſemper in pretio fuiſſe; Philoſophiam autem humano generi vtiliſſimam, rerum publicarum conditricem, legislatricem, morumque & virtutis magiſtram, non niſi earum auxilio, atque ope, inter mortales quondam apparuiſſe. Vid. *Frick* de ortu Philoſopiae Graecorum Lipſ. 1695.

Hactenus ex Graecorum fontibus potiſſimum ea repetii, quae negotio meo perſequendo adprime neceſſaria eſſe viſa ſunt. Nec vitio id a quoquam mihi verti poſſe perſuaſum habeo; eo, quod in argumento paene hiſtorico verſaret, & in quaeſtione facti probanda, teſtibus potius, quam rationibus opus eſſet.

Nunc ad Latinos propero; qui ſi parcius verſu Philoſophiam tradiderunt, non tamen penitus eam cum Muſis ſociare neglexerunt. Non iam in iis morabor vatibus, qui inde a LIVII ANDRONICI temporibus, carminibus inclaruerunt, vel fabulas contexentes dramaticas, vel heroum laudes canentes. Taceo igitur ENNIOS, ACCIOS, PACVVIOS, PLAVTOS, TERENTIOSAVE, quorum ſcriptis licet multum bonae frugis, veraeque ſapientiae inſperſum legatur: ad meum tamen ſcopum nihil faciunt. Alio me modo ad ſe allicit T. LVCTETIVS CARVS; qui primus inter Romanos vates Muſas ad Philoſophiam tradendam aduocauit; id quod vel ipſe de ſe gloriatus eſt, ſub Lib. IV. initium ita canens:

Auia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo: iuuat integros accedere fontes,

Atque haurire; iuuatque nouos decerpere flores,
Inſignemque meo capiti petere inde coronam,
Vnde prius nulli velarunt tempora muſae.

Nec vlla ratione culpandus propterea fuiſſet, niſi apertum religioni naturali aeque ac reuelatae bellum indixiſſet noſter; Epicuri ſcilicet, Democritique veſtigiis inſiſtens, & quaecumque mundus omnis continet, caſu facta eſſe ſomnians. Hunc igitur Poëtis philoſophis accenſere, ipſa rei veritate iubente, cogimur quidem; non tamen, niſi iis, qui ſacrum ſapientiae nomen officiumue, profanis dogmatibus ſuis conſpurcarunt. Huic igitur impietatis craſſioris promacho, eminentiſſimus POLIGNIACVS elegantiſſimo, quod denuo in lucem edimus, opere, *Anti-Lucretio*, obuiam ire, laudatiſſimo zelo inſtituit,

Poſt LVCRETII tempora, qui poëmata philoſophica condiderit inter Latinos, praeter CICERONEM, MANILIVM & CATONEM habemus fere neminem. Ille ARATI graecum de coelo carmen, verſibus latinis haud contemnendis reddidit; MANILII tamen elegantiam non aſſecutus eſt, qui in eodem argumento verſatus, doctrinam Aſtronomicam Libris V. carmine Heroico complexus eſt: rem ſane philoſopho maxime dignam. Secutus hos, qui *diſtichis de moribus* inclaruit, CATO neſcio quis; at qui meliori negotio Muſas ſuas deſtinans, id egit, vt ſanctiſſimos mores iuuentuti traderet verſibus, ediſcendis facile, fidoque in pectore ſeruandis facillime.

Poſſet forte quis VIRGILIVM etiam ob *Georgica*, vatibus noſtris Philoſophis, annumerare: eo quod non contemnendam oeconomicae partem, felicitati generis humani vel maxime neceſſariam, carmine elegantiſſimo tradiderit. Verum ita GRATIVS quoque & NEMESIANVS, rei venaticae ſcriptores, addendi eſſent iis, qui Poëtae philoſophi nobis vocantur. Vtcumque viſum hic fuerit Lectori, aequo rerum arbitro, nos non ſibi adverſantes habiturus eſt. Pro dogmaticis vtique habendi ſunt vatibus; an pro Philoſophis etiam haberi queant, intelligentiorum iudicium eſto! Aliter

Aliter res ſe habet, vbi Fabularum Aeſopicarum ſcriptores contemplamur. Hi enim ſolius doctrinae moralis inſtillandae cauſa, Muſarum caſtra ſecuti videntur; & vel medias inter fictiones philoſophari recte dicuntur. In pretio habentur inter Latinos PHAEDRVS, Auguſti libertus, & AVIENVS, ſaeculi IV. poſt C. N. ſcriptor; qui non fabulas tantum aeſopicas XXXXIV. verum & *Aratum* carmine latino expreſſit. Quidquid etiam contra PHAEDRI antiquitatem obiiciatur a quibusdam: ea omnia nos non mouent tamen, vt a vulgata ſententia recedamus; ſcriptoremue aureo ſaeculo dignum ad ſordes recentioris aeui detrudamus. Adeo ficulnea enim ſunt, quibus idipſum incruſtari vidimus argumenta, vt vix quemquam, mediocri antiquitatis guſtu praeditum, rationisue aliquo vſu pollentem in auctoris ſui ſententiam pertrahere queant.

Agmen antiquorum claudant AVRELIVS PRVDENTIVS CLEMENS, & *Anicius Manlius Torquatus Seuerinus* BOETHIVS: quorum ille ineunte, hic autem exeunte ſaeculo V. poſt C. N. vixit. Et prior quidem non in *Pſychomachia* tantum, pugnam vitiorum & virtutum, ſed in *Hamartigenia* etiam, quaeſtionem de origine mali, poëtico ſtilo perſecutus eſt: dignus ob vtrumque, qui Poëtis accenſeatur philoſophantibus. Poſterior autem, licet in eximio de *Conſolatione philoſophiae* libro, liberiori vt plurimum ſtilo vtatur: tot carminibus tamen, doctrina philoſophica abunde refertis, dogmata ſua diſtinxit & ornauit, vt merito vatibus, ſapientiae propagatoribus, annumerari queat. Non iam moror latinitatis ferreo hoc ſaeculo duritiem & barbariem fere; ſiquidem non ſtili hic, ſed philoſophiae verſibus traditae, rationem habendam eſſe, quilibet intelligit. Vid. Lud. σκιαγραφια ſapientiae e vet. Poët. Lat. hauriendae. Lipſ. 1696. 4.

Haec hactenus, fugiente quaſi calamo, attigi magis, quam pro materiae dignitate pertractaui: quo magis pateret, quos ſibi vates in omni antiquitate laudatiſſimos,

inſigne ſpecimen complexa. Vberius de vtroque Poëmate agemus alio loco, vbi Hiſtoriam Linguae Poëſeosque Teutonicae, inde ab vltima antiquitate repetitam, iuſto opere enarrabimus.

Sequantur iam alii, prout caſu ſe obtulerunt, ſecundum temporum ſeriem tamen collocati. Scripſere igitur verſu latino:

I. Bapt. Mantuanus de calamitatibus temporum. Pariſ. 1506. Nec non contra impudice ſcribentes. Pariſ. 1506.
Prodiere item, Opuſcula moralia, e Syluis eius excerpta, Par. 1507.

Strabus Fuldenſis dedit Hortulum, ſiue carmen de herbis. Norimb. 1512. quemadmodum

Vinc. Obſopaeus Rapſodiam in ebrietatem. Norimb. 1527.

Mich. Verinus de puerorum moribus Diſticha, cum Martini Suarrae expoſitione edidit Leyd. 1539.

Marcell. Palingenius ſcripſit excellens opus philoſophico-poëticum, Zodiacum vitae. Baſ. 1543.

Ioach. Camerarius ſcripſit, Expoſitionem verſuum Solonis, & alior. vett. Lipſ. 1551.

Iac. Hertelius Senariorum Moralium librum ex optimis auctoribus congeſſit. Baſ. 1561.

Ioach. Camerarius, poëmatium edidit, de horum temporum miſeria & cladibus. Lipſ. 1563. vti

Eras. Mich. Laetus colloquia moralia. Baſ. 1573.

Henr. Stephanus Parodias morales Pariſ. edidit 1575.

Ioh. Lauterbachius πανάρετον edidit, in quo deſcribuntur Pietas ethica, exempla vitae, imagines. Frf. 1594.

Chriſtoph. Aulaeus Praecepta pietatis & morum dedit, Diſtichis elegiacis conſcripta. Frf.

Nic. Furichius Chryſeidos L. IV. elaborauit, ſ. de Lapide philoſophorum. Arg. 1631.

Dan. Heinſius Poëma dedit de contemtu mortis. L. IV. Lugd. Batav. 1621. 4.

Mart. Pilius Librum de ambitione, poëtice conſcripſit, Lugd. Bat. 1633.

Iac. Balde Poëma de vanitate mundi, Monach. 1638. edidit.

Abrah.

Abrah. Couleius VI. Libros Plantarum Lond. 1678. publicauit.

Praetereo eos, qui ſcriptis proſaicis, poëtica ſubinde vel miſcuerunt, vel addiderunt; quorum numerus quum iniri nequeat, vnum ſaltem eius generis nominabo, gente Anglum, EDOARDVM Baronem HERBERTVM DE CHERBVRY. Hic enim Libro *de Veritate*, prout diſtinguitur a Reuelatione, Veriſimili, Poſſibili & Falſo, qui Lond. 1645 prodiit, in forma, quam quartam vocant, poëmatia duo addidit, apprime philoſophica; quorum altero *haeredibus* & *nepotibus ſuis praecepta* & *conſilia* tradit; altero de *Vita humana philoſophica* diſquiſitionem inſtituit; dignum vtrumque, quod in recentioribus etiam linguis legatur aliquando.

Propius autem his omnibus ad Purpurati noſtri Claſſem acceſſit, IOANNES SCHOTANVS, qui ſub finem ſaeculi praeteriti *Paraphraſin Poëticam primae Philoſophiae*, quam Metaphyſicam appellant, in ſex partes diſtributam, Franequerae 1694, verſu hexametro edidit. Id egit hoc poëmate Vir doctus, & inter Philoſophos Carteſianos haud incelebris, vt Meditationes CARTESII de prima Philoſophia, habitu amoeniori veſtitas traderet; veritatesque primas floribus Muſarum ſubinde exornaret. Leguntur itaque hic doctrinae philoſophicae abſtruſiores, non ſine voluptate ab iis etiam, qui a ſeuerioribus ſcientiis abhorrere ſolent: nec dubium eſt, quin exemplum SCHOTANI Purpuratum noſtrum POLINIACVM, vel tum iam in propoſito ſuo mire confirmauerit. Ita autem, vt ſpeciminis loco adducam aliquid ex eodem, canit SCHOTANVS L. III. Sect. VII.

Ergo Dei ſummi iam notio ſola relicta eſt,
Quam mihi nunc animus multa perpendere cura,
Scrutarique, aliquid num contineatur in illa?
Quod non ex ipſo memet deducere poſſim.
Signatur mihi voce Dei ſubſtantia ſumma,
Omnis cui virtus, perfectio competit omnis;

A ſe

A ſe quae exiſtit, cauſa nec pendet ab vlla,
Omnia quae nouit, cui ſumma potentia ſoli;
Qui me, qui praeter me, caetera quaeque creauit:
Si modo ſit certum, res quasdam exſtare creatas.
Omnia quae tacitus dum mecum voluo reuoluo,
Naturae experior propriae praecellere tantum,
Vt nequeant ex me ſolo profecta venire.
Hinc vti iam ſupra valida ratione probatum:
Eſſe Deum ſumme perfectum, inferre neceſſe eſt.

Hos tamen pluresue SCHOTANI verſiculos, attente penſitans, & cum POLINIACI noſtri dulciori multo carmine conferens; laetor, huic potiſſimum ſubnatam eſſe, ANTI-LVCRETII concinnandi ideam, quippe faciliori Muſa vtenti, venaque limpidiori, ſeueritatem doctrinae profundioris temperaturo.

Hanc denique editionem quod attinet, non diffiteor, pluribus me rationibus motum, conſilium eius parandae cepiſſe. Et primo quidem temporum noſtrorum neceſſitas hoc ſuaſit, quo pruritus inclareſcendi, & quidquid libuerit effutiendi libido, faciunt, vt plurimi exoriantur paſſim, qui naturalem aeque ac reuelatam religionem conculcare & ex animis hominum euellere penitus ſatagunt. His vt obuiam iretur eo melius, vulgandum magis rebar, Purpurati noſtri *Anti-Lucretium.* Editionis quippe Pariſinae exemplaria adeo rara in noſtris regionibus ſunt, tantoque pretio venire ſolent, vt vix decem, vel quindecim per omnem Germaniam numerare facile ſit. Repetita igitur typographi opera, minutoque pretio fieri poſſe augurabar, vt a pluribus legeretur liber, maioremque vtilitatem praeſtaret, Religioni aeque, ac Rationi ſanae. Accedebat mira dulcedo carminis latini, ingenii vbertas ſumma, ſimilitudinum aliorumque ornamentorum ſuauitas incomparabilis, & doctrinae tandem philoſophicae ſoliditas eximia, vbique fere obuia. Haec tot tantaque decora libri ſimul ſumta, tanta perlegentem demulcebant voluptate,

vt,

vt, pro ea, qua flagrare ſoleo cupiditate, aliis etiam impertiendi eam, qua me ipſum ſatiaui delectatione, non poſſem non, quin Bibliopolae diligentiſſimo auctor fierem, excudendi de nouo typis ſuis, operis excellentiſſimi, omniumque calculum facile laturi.

Quod in eo, praeter diligentem plagularum omnium cum Pariſienſi exemplari collationem praeſtare poſſem, intra paucos hos menſes, quibus operae feruebant, fateor me vidiſſe aut parum, aut nihil. Animaduerſionibus quidem ſubinde locus fuiſſet philoſophicis; praeſertim, vbi Auctorem Carteſii ſententiis, pro ſaeculi praeteriti more, ſubinde magis deditum eſſe videbam, quam temporum noſtrorum Philoſophia patitur. Condonandas interim cenſebam tanto viro maculas & paucas, & leuiuſculas, & ſcopo eius obtinendo minime impedimento futuras. Reliqui etiam orthographiam, qualis exteris tantum non omnibus arridere deprehenditur, pronuntiationi vocalium *u* & *i*, nec non conſonantium *v* & *j*, innixam: ipſe licet, cum magna eruditorum germanorum parte, a teneris alii ſcribendi rationi adſuetus fuerim. Parum tamen abeſt, quin noſtrae huic, quae quadrata rotundis miſcet, aliterque ſcribendo, pronuntiat aliter, tamquam parum conuenienti, & naturae ſcriptionis aduerſanti penitus, aliquando valedicam. Non iam caractere Romanorum veterum quadrato vtimur vulgo; in quo vtique ſequendus eſt mos antiquitatis probat. : ſed caractere vtimur in barbaris ſaeculis inuento; qui, barbarus licet ſit, originem quod attinet, hoc tamen habet commodi, quod duplici ſigno vocales & conſonantes V & I diſtinguat, id quod Romani facere non poterant. Diſtinguere autem ſi poſſumus vtrumque, cur debitis locis non facimus?

Scripturam praeterea oris interpretem & indicem fidam eſſe decebat: at nos, reluctante fere omni Europa, Batauia ſcilicet, Anglia, Gallia & Italia, antiquorum Monachorum imitari malumus barbaram confuſionem, quam rationem ſequi, ex pronunciationis natura fluentem. Accedit,

cedit, quod κακογραφία hac iuuentuti difficultatem creamus, facile vitandam, quae ſi forte ſub Magiſtro adoleuit, naturae litterarum magis, quam *Schurzfleiſchio* cuidam aut *Cellario*, intento; in daedaleos ſe incidiſſe labyrinthos, exiſtimat, ſi liber ipſi legendus offertur, orthographia hac, ſi diis placet, elegantiori, expreſſus. Quid quod vernaculo ſermone, idem quondam mos inualuerat, poſt typos etiam inuentos diu continuatus, confundendi ſcilicet vocales u & i cum conſonis v & j; ita vt vnd pro und, & heruor pro hervor; jhm, pro ihm; & demienigen pro demjenigen, ſcriberent omnes. Quae confuſio, quum inter populares noſtros vbique abrogata ſit, cur in latino ſermone conſeruetur adhuc, & quidem apud paucos tantum in Germania ſcriptores; ſi quis validis me rationibus edocere poterit, ille mihi magnus erit Apollo.

Animus tandem erat, reponere in hac praefatione aliquid, ſcriptori ex noſtratibus alicui, qui nuper, tecto licet nomine meo, critica me audacia pariter ac iniquitate, aggreſſus eſt; quum cramben poëmatis ruſtici nobis apponeret multoties recoctam, faſtidium ita creaturus omnibus, qui litteras elegantiores amant. Succurrebat enim mihi id relegenti illud IVVENALIS:

Semper ego auditor tantum? numquamne reponam,
Vexatus toties rauci *Theſeide* CODRI?

Decreueram ergo, par pari referre, occaſione ita ferente, *Codro* meo: abſtineo enim lubens a nominando eo, qui meo pepercit nomini, faſtu licet, plus quam grammatico mihi inſultauerit, omnemque penitus litterarum cognitionem, abſtulerit. Verum limites huius praefationis abrumpere hic filum eius, aliique tempori vindicias haſce meas reſeruare ſuadent. Interim, quum non ex eorum numero ſit *Codrus* ille meus, qui cum LVCRETIO faciunt; quippe qui

Obſcura de re tam lucida pangit
Carmina, muſeo contingens cuncta lepore:

ſed

ſed obſcuritate & tenebris omnia inuoluat, horrida ſic faciens quae ridere potuiſſent, alius calamo pertractata: occinere ipſi tantiſper viſum eſt, quod ex ciuibus meis nonnemo, dudum ſimili aduerſario regerendum eſſe cenſuit:

Quisquis es, Auſonias cui ferri dicor in artes
Segnis, & ad carmen totus trepidare togatum;
Nec niſi Teutonicos verniliter edere cantus:
Falleris, ingenium ſi turpi examine noſtrum
Forte tuo par eſſe putas; cui terna daturo
Diſticha, quae nullo ſcribuntur Apolline, ſaeuus
Hannibal ad portas eſt, - - -
Tandem vbi mancipium vaecors faedusque rogator,
Emendicatis placaſti guttura buccis;
Vix tibi reſpondes ſoli, monſtrumque nefandum,
Et triſtem, Muſis plorantibus, edis abortum.
Abſit ego vt fuerim ſic aethere natus iniquo!
- - - - - -
Sic tamen irato nunquam mihi viuere Phoebo
Contigit, vt latio ducam pede condere verſum,
Maius opus, patria bene quam cantare Camoena.
Hactenus haud viſum eſt aliter, quam pollice noſtro
Teutonis increpuiſſe Lyram, ſi nectare Graio
Auſonioue queam patrias perfundere voces.
Quod, ſi vile putas, tenta! Veneresque vetuſtas,
Germanaque mihi cunctos ſub veſte lepores
Siſte, quibus medio plaudant Helicone ſorores.
Diſpeream! ſi tu, partes licet actus in omnes,
Aut caput inuenies, aut calcem. &c.

Haec iam ſufficiant; alias plura: ne ſe ſolum ſapere credat in poſterum Codrus meus, cognoſcatque, quam curta ſibi ſit rei grammaticae ſupellex. Tu interim *Lector beneuole* ANTI-LVCRETIO hoc noſtro vtere, in Tuam veraeque Religionis vtilitatem perpetuam. Vale!

Scrib. Lipſiae, Menſe Aprili MDCCXLVIII.

ANTI-

ANTI-LUCRETIUS,

SIVE

DE DEO ET NATVRA

LIBRI NOVEM

AD QVINTIVM.

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Proponit quid hoc opere ſit acturus: divinam ſapientiam invocat: a v. 1. ad v. 33.

Memmium, quo nomine quemvis Atheum intellige, hortatur, ut depoſitis præjudiciis, vacuas aures Rationi accommodet: a v. 33. ad v. 81.

Tum patrocinium Religionis adverſus Voluptatem aggreſſus, 1. oſtendit, inſtitutum Epicuri de ſubvertenda Religione, & unice colenda Voluptate, eſſe amicum libidini ac ſceleribus; ac moribus, humanæ Societati, Virtuti & Rationi infeſtum: a v. 81. ad v. 471.

Adverſus Epicuri defenſores oſtendit, eum non in Virtute Voluptatem, ſed in Voluptate Virtutem poſitam velle; everſaque Religione, everſam ſimul ab Epicuro eſſe regulam omnem, non Virtutis ſolum, ſed etiam Veritatis: a v. 471. ad v. 593.

Suffragantem Epicuro, Hobbeſii de juſti origine ſententiam, obiter refellit: a v. 593. ad v. 647.

Concludit, doctrinam Epicuri de Voluptate exitioſam eſſe & inſanam: a v. 647. ad v. 683.

2. Voluptatem cum Religione comparat, oſtenditque à Religione demum petendam eſſe veram, tum in hac vita, tum in futura, felicitatem: a v. 683. ad v. 1083.

Victa Voluptate, concludit, Athei intereſſe plurimum, Deum, an ſit, inveſtigare. a v 1083. ad finem.

DE VOLUPTATE.

Magnum opus aggredior, Quinti, de Numine ſummo
Dicturus. Quid enim toto præſtantius Orbe eſt,
Quam Sator & Princeps Orbis? Quid dignius omni
Et cura & ſtudio & noſtræ conamine mentis?
Quid, ſi metimur vires, magis arduum & audax,
Quam rem infinitam brevibus comprendere chartis?
Rem, cauſam rerum, veram Rem: quam ſua partim
Oſtendunt, celantque opera; & caligine luci
Permixta, veluti Solem trans nubila monſtrant.

Inde hominum mentes ſæpe in diverſa trahuntur,
Num fati nexu, an poſitæ vi legis eant res?
Hinc alios dubitare quidem, at neſcire videmus
Cur dubitent; optare tamen, ne funditus eſſet
Arbiter humani generis, Judexque tremendus.
Quin alios pellax Epicuri dogma ſecutos,
Fortunæ arbitrio Mundum permittere, & omnem
Conculcare metum, vitæ mortiſque futuræ
Securos. Tantum potuit ſuadere libido!

Hos contra bellum gerimus; Sectæque ſuperbæ
Relliquias, vana pro libertate rebelles,
Et celebrem, quo ſe jactat mala turba, Poëtam
Obruere eſt animus, Muſasque ad vera vocare.
Sed quid ego hic Muſas? Te, Cauſa et Regula Mundi,
Omnipotens, æterna Dei Sapientia, Virtus,
Et Mens, & Ratio, vitæ Dux optima noſtræ,
Ipſaque Lux animi, Te ſolam in vota vocabo.
Huc ades, & Vati longum da ferre laborem.
Per Te cuncta ſuo ſtant ordine, cuncta videri
Tandem, & nativis poſſunt emergere ab umbris.
In Te diſcendi nobis innata voluntas
Paſcitur, & veri nunquam ſatiata cupido.
Incute vim dictis, propriamque ulciſcere cauſam.

Tu vero, Quinti, præceps quem forte juventus
Incautum abripuit, legique inimica Voluptas;
Aut acris vigor ingenii, plerumque recuſans
Cum populo ſentire, jugo ſubduxit, & ævi
Impulit æterni magnum tentare periclum:
Pone modum, quæſo! Ne te auferat ebrius ardor,
Neu clauſos radiis oculos opponat apertis.
Indociles animi primum compeſce tumultus.
Utere mente tua. Procul anticipata repelle
Judicia; & recto librans examine lances,
Hanc demum, audita cauſa, complectere partem,
Quam mens, & ratio veri ſtudioſa probabit.

O utinam, dum te regionibus infero ſacris,
Arentem in campum liceat deducere fontes
Caſtalios, verſis læta in viridaria dumis,

Ac totam in noſtros Aganippida ſundere verſus!
Non mihi, quæ veſtro quondam facundia vati,
Nec tam dulce melos, nec par eſt gratia cantus.
Reddidit ille ſua Graïorum ſomnia lingua;
Noſtra peregrinæ mandamus ſacra loquelæ.
Ille Voluptatem & Veneres, Charitumque choreas
Carmine concelebrat; nos Veri dogma ſeverum:
Triſte ſonant pulſæ noſtra teſtudine chordæ.
Olli ſuppeditat dives natura leporis
Quidquid habet, lætos ſummittens prodiga flores.
Illius ad plectrum ſuſpirant mollius auræ;
Gratior & cœlo radius deſcendit ab alto.
Si terram aſpicias, nemorum tibi porrigit umbram;
Garrula per clivos elabitur unda virentes;
Lactea fertilibus decurrunt flumina campis;
Suave canunt pictæ volucres; perque humida prata
Nil niſi fœcundosque greges, armentaque monſtrat
Læta boum; ſaltant pecudes, pecudumque magiſtri.
Æneadum genitrix felicibus imperat arvis,
Aëriasque plagas recreat, pelaguſque profundum.

Sic rident Muſarum hilari fucata colore,
Quæ de Cecropio mendacia fonte propinat.
Talia & hoſpitibus præbebat pocula Circe,
Littore in Auſonio, fugit quæ cautus Ulyſſes.
Cujus ad exemplum potiori jure monemus,
Quem tenet illecebris captum ſapientia mendax,
Soligenæ ſpernat fallacia munera Nymphæ;
Ne rudat in ſtabulis, demens, ſub pelle ferina.
Hortamur: fugiat Circen, ac ſe ſibi reddat.
Numinis hic laudes, hic Numinis omnia plena.

Pieridum ſi forte lepos auſtera canentes
Deficit; eloquio victi, re vincimus ipſa.
Tu modo non ſurdam noſtris da cantibus aurem.

Quid ſtrueret, Divos olim qui finxit inertes,
Ac ſimiles nullis; confertaque ſemina rerum,
Et caſu cæcis inter ſe nexa catenis;
Æternas atomos, quibus omnia nata gerantur;
Atque animos hominum pereuntes, mortis ab ictu;
Ipſe libens aperit confidentiſſimus almæ
Præco Voluptatis, nulloque pudore fatetur.
Nempe gravi populos ſub Relligione jacentes,
Commoda cum fugere, ac votis pugnare videret,
Noctis ob horrorem Stygiæ, ſtrepitumque Acherontis;
Aut ævum infelix, corde inter gaudia mœſto,
Ægre agitare metu Superûm; et peccare trementes:
Continuo, ſortem gentis miſeratus acerbam,
Numinis & famam & cultum convellere, primus
Inſtituit, Cœli & tonitralia templa laceſſens,
Eripuit fulmenque Jovi, Phœboque ſagittas;
Et mortale manumittens genus, omnia juſſit
Audere, ac leti pulſo terrore beavit.

Ipſe quidem veritus ſectam infamare recentem,
Jure dato ſceleri cunctis ſi cuncta licerent,
Haud nullo voluit cohiberi pectora freno:
Quin, duce Natura, certum moderamen in ipſis
Deliciis, ſic fama refert, ſervare ſolebat.
Non odio Vitii tamen, aut Virtutis amore,
Cui Vitium Virtusque nihil niſi ſomnia; tantum
Ne dolor immodici comes, aut extrema capeſſens.

Lætitiæ, placidam temeraret forte quietem:
Aut æſtus irarum ex ambitione ſuborti,
Lictorumve metus, vel pro lictoribus ultrix
Cura ſecuta nefas, macularent præmia vitæ.

Sed non effuſos valuit componere motus;
Nec rexit, quas ipſe ſemel laxarat, habenas.
Quippe gubernator, dum perflant æquora venti,
Nutantem imprudens clavum ſi quando remiſit,
Nequicquam hortatur nautas, ut turgida vela
Colligere, ac tenſos properent ſolviſſe rudentes;
Quo venti fluctusque ferunt, volat avia puppis.
Aut ubi ſaxifrago longum obſtitit ardua moles
Torrenti, ſubito, ſi prima repagula frangas,
Cetera, qua data porta, furens perrumpet aquæ vis.
Ergo ſtravit iter vitiis, ſpe luſus inani,
Cum ſemel exegit moderantes omnia Divos.
Nec generi noſtro libertas reddita; verum
Mutati Domini: regnumque infrena cupido
Invaſit, quod erat Divûm legisque ſupremæ.

Nam quis Juſtitiæ locus, aut quæ regula morum
Eſſe poteſt? dum nil præerit, quod legibus æquis
Contineat mortale genus, doceatque vel intus,
Congenito ſplendore animos, vel vocibus aures
Perſonet, ac poſſit certis oſtendere ſignis
Fasque nefasque? Boni ſiquidem jam nulla futura eſt,
Nulla mali ratio: ſed peſſima et optima quæque
Vanus opinandi mos arguet. Omnia porro
Facta hominum in ſeſe, conſpectaque mente ſagaci,
Laudis & opprobrii vacua invenientur; idemque

Prorſus erit facinus, leto eripuiſſe parentem,
Aut ferro, amplexus inter, jugulaſſe cruento.
Nam quod in his rebus genitrix Natura miniſtrat
Humano generi lumen, te judice vanum eſt;
Ipſa tibi cum lucis inops & cæca putetur.
Hinc ſcelus in tenebris admiſſum, obſcuraque virtus
In pari erunt pretio; pendebit utrumque vagantis
Arbitrio vulgi, nec erit niſi nomen inane.

Quæ ſimul ebiberit, veſtro de fonte venena,
Quilibet, in vetitum per ſe jam pronus et ardens,
Cui Natura ferox, cui ſanguis pectore fervet,
Quique Deos temnens omnique timore ſolutus,
Crediderit, ſibi nil melius quam vivere laute,
Optatisque frui; poſt funera quemque futurum,
Qualis erat nondum genitus; caſu omnia naſci,
Omnia diſſolvi; nec formidabile nobis,
Dum ſumus atque brevi mortales veſcimur aura,
Eſſe aliquid præter luctum infeſtosque dolores:
Ecquid eum petulantem avidumque morabitur ultra,
Si modo conſpectus hominum fugiſſe licebit?
Quin ſtupret, rapiat, jugulet, perimatque veneno,
Dum jubet ingenitus furor, et Regina Voluptas.
Nam quocunque animi protruſerit impetus atrox,
(Quidquid in his rebus caveas, Epicure, monendo)
Illic votorum finis, ſupremaque meta eſt.
Nec Superis video demtis, quæ cauſa ſuperſit,
Quæ ratio, cur a placitis ſibi temperet unquam
Ille miſer, tantos & fruſtra comprimat æſtus.

Forte pudor, proprioque latens in pectore teſtis?
At, ſi nil peccaſſe putat, quî pœnitet ipſum?

Quî

Quî pudet? Iſte dolor ſceleris ſibi conſcia tantum
Pectora ſollicitat, non eſt ea cura quietis:
Obtudit internos ſecura licentia morſus.
Nonne tuæ fuit artis eam obmuteſcere vocem,
Et ſacra congenitæ legis monumenta refigi;
Ne qua Voluptatis liquidos ærumna lepores
Inficeret, neu quis veniens temerarius angor,
Rumperet alterius jucunda oblivia vitæ?
Si tales acuunt igitur mihi pectora ſenſus,
Ut me peccandi vehementius urgeat ardor,
Quam pudor aut metus; & nil me jam continet ultra:
Non modo fas fuerit, cunctas infringere leges;
Peccare officium eſt, unum ſcelus, eſſe pudentem.

Hæc in Ariſtippum convicia forte refundis:
Sed nec Ariſtippi fuerat ſententia pejor;
Solum e doctrina quæcunque horrenda ſequuntur
Democriti atque tua, veracior ille profeſſus.
Quippe ubi pro ſumma rerum, pro fine ſupremo eſt,
Quod me delectat; cumque id mihi dulce videri
Non poſſit, quo comprimitur ſuccenſa libido:
Quin ego damnatam Venerem, quin furta maritis
Deteſtata ſequor, fraudes artemque Sinonum,
Et rabidos Bromii patris Evantumque furores?
Nam defraudari genium vetat alma Voluptas:
Ni potiar votis, mihi tunc dolor ingruit ingens;
Et nequeo, ſi me dolor afficit, eſſe beatus.
Quid me hominum leges, quid famæ cultus inanis,
Quid mala me tardæ revocent præviſa ſenectæ,
Forſitan & numquam venturi incommoda morbi,
Cenſoriſve ſupercilium, quem ſibilat omni

Læta joco, plaudenſque ſuo ſibi flore Juventus?
Quin urbem exuro patriam, ſi paſcere flammis
Crudeles oculos juvat, & ſuperare Neronem?
Namque Voluptatem ſequitur germana Tyrannis.
Ille Voluptatis læſæ reus, ille virenti
Pungendus thyrſo, ſibimet qui infenſus & hoſtis,
Abſtinuit Venere & vino, graviora ſecutus
Conſilia; atque ſui domitor ſudavit & alſit.

Hinc tua non mirum ſi te ſchola prodidit olim,
Præceptiſque tuis, tua per præcepta rebellans,
Se Cyrenæis gregibus commiſcuit ultro.
Nam cum crediderit demens, quæcunque doceres:
Quo potuit vitare modo, quæcunque vetabas?
Non ſuaſi ut facerent, ais, imo vivere juſſi
Pacatos, omnemque animo ſecludere motum.
Vivere juſſiſti pacatos! Qui bene nati,
Hoc ſine te faciunt; & qui male, ſi bene vivant,
Torquentur. Porro, juſſiſti vivere lætos:
Cumque laborando, corpuſque animumque domando,
Lætitiam non inveniant, huc ſponte feruntur,
Eſt ubi lætitiæ ſeges, & fuga certa doloris:
Edocti per te, ſibi nil poſt fata timendum,
Quidquid agant; ſibi nil ſperandum, quidquid omittant.

Sæpe Voluptatis cauſa mittenda Voluptas,
Adjicis; interdum juvat abſtinuiſſe cupito.
Vera canis, fateor: contrarius at tibi pugnas.
Nam tu, namque tui ſimiles clamare ſoletis,

Læ-

Lætitia melius nihil eſt, pejuſque dolore.
Nonne Dionæi reſonant his vocibus horti?
Nonne, & jucundi cum ſit jactura, dolori eſt?
Ergo, ne doleas; quodcunque placebit habendum
Jure tuo; nec honos, nec fas obſiſtere poſſunt:
Atque Voluptati laxæ immittuntur habenæ.
Sin autem abſtinuiſſe bonum eſt, illudque fateris;
Cur me infelicem, ſi Relligionis amore
Abſtineam, vocitas? Te ſum felicior ipſo.
Nam tu, ſi vincis, tua te victoria torquet;
Me mea delectat: ſi mavis denique vinci,
Quam ſic torqueri; confeſſus es: en, data porta
Flagitio, vitiis retinacula nulla ſuperſunt.

Imo, inquis, ſuperant; pœnæ metus atque malorum
Quæ ſcelus & tandem patitur peccare libido.
At ſemel amota metuendi Numinis ira,
Cur levior multo turbaret pectora terror?
An contemtor ego Superûm legiſque ſupremæ,
Humanas leges & judicis ora timerem?
Aut ſi me cupidum pœnæ brevis alligat horror,
Heu! miſer in laqueos recido, quos te duce fidens
Rumpere ſperabam: jam me dolor & metus angit,
Jam moveor, cura ſed deteriore ſubactus;
Et gravis ipſe mihi cenſor, vix liber ab omni
Relligione, novas ſubeo ſimileſque catenas;
Atque minus digna crucior formidine mentem.
Ah! meliora precor. Si cui mactanda Voluptas,
Eſt mactanda Deo: neque enim peritura merentur
Sic aliis præponi alia, ut præſentia cedant
Venturis. Igitur tibi nunc hodierna libido

Im-

Imperet; aut ratio ſi qua eſt permiſſa futuri,
Sic caveas, ut ſit melius præſente futurum:
Non, ut momentis redimas momenta, ſed omne
Lucreris, parvi jactura temporis, ævum.
Nullus enim prudens terram verſabit arator,
Si quantum illa ſinu, bis terque inverſa, recepit
Frumenti, tantum poſthac ſine fœnore reddat;
Omnis quippe leves labor irritus iret in auras:
Sed verſabit, uti modico de ſemine largas
Eliciat ſegetes, ac meſſibus horrea rumpat.

Aſt Epicureus quamvis timor ille ſatis ſit
Nonnullis, qui ſe ad tempus fortaſſis & ægre
Contineant; haud propterea virtutis amantes
Efficere, atque animis vitium reſtinguere poſſet.
Nam virtutis amor multum formidine diſtat
Carnificis, vel rumorum, vel carceris atri.
Plus vitii pœna, vitium execratur honeſtas;
Illo, etſi poſſet, felix evadere, nolit.
Nec tantum refugit maculari crimine dextram,
Aut complere nefas; etiam voluiſſe recuſat.
Et merito: quid enim prodeſt abſiſtere factis,
Si factorum alitur radix & cauſa, cupido?

Plurima præterea non ulli obnoxia legum
Crimina patrari certum eſt, quæ tu quoque damnes;
Nam faciunt hominem nequam, tortoribus etſi
Non tradunt. Super his non currit calculus ater:
Nec reus arbitrium trabeati Judicis horret.
Immemor ut ſi quis benefacti damna rependat;
Si fremat invidia, cum fert ſua præmia virtus;

Non

Non ſtet promiſſis; arcana recludat; avarus,
Mendax, conſilii maleſani ſubdolus auctor;
Aut fidei ſine teſte ſuæ concredita tollat;
Ambitione tumens & honorum ſedulus auceps,
Contendat maculis alienam aſpergere famam;
Annonæ gravitatem, ex qua diteſcere poſſit,
Aut patriæ cladem exoptet, funuſque parentum;
Deneget auxilium rogitanti; prægravet omnes
Infra ſe poſitos; inopem viduamque gementem
Obterat; inſontem Judex pervertat iniquus
Venali trutina, & Dominæ ſuffragia donet;
Interea, quæ ſumma mali eſt, ſimulator honeſti.
Hæc, ſi aberit Deus ultor, in omnia proruet audax
Crimina, quem fallax trahit in tua caſtra Voluptas.
Et quidni faciat, quando nil ſanctius illi eſt?

Quod ſi talis erit, magis illum ut mitia facta
Delectent, nec tam violento ferveat æſtu,
Ut deſiderio potiundi victus & exlex,
Humani turbare velit conſortia cœtus:
Non ea doctrinæ laus eſt, quæ gaudia tantum
Imperat, ac ſuadet genio indulgere procaci;
Naturæ potius placidæ & tranquilla petentis,
Quam fortuna dedit, non ars formavit; & unus
Materiæ parit occurſus, ſine lege vagantis.
Sic manſueta bidens, lætis quæ montibus herbam
Aut fruticum teneros apices innoxia carpit,
Non habet unde lupo ſe præferat, atque leonis
Carnivoram rabiem & truculentas arguat iras:
Scilicet hanc mitem, hos fecit natura rapaces.
Credo equidem a placidis dirum nil poſſe timeri:

Sed quonam ſe more gerent, quos tetra libido
Protrahit in vetitum, magis ex obſtantibus ardens?
Ceu violenta ſitis fervore accenſa febrili,
Quam decumbentis nunquam patientia vincet
Improba, ſed lymphæ ſolo placaveris hauſtu.

Nulla quies animo Theſei, dum Phædra, ſorore
Gratior, inceſtum venis inſtillat amorem,
Ni Phædram abducat tacitus, pactoſque hymenæos
Deſerat. Infelix Ariadne! Nil tibi filo
Direxiſſe vias per inextricabile textum
Proderit, ac vitam immemori ſervaſſe marito!
Nec jurata fides, meritis nec præmia tantis
Debita, naſcentem poterunt exſtinguere flammam!
Uritur interea culpæ ſibi conſcius heros:
Quid faciet? Placitone furens pugnabit amori?
Sedatur citius victrix, quam victa cupido:
Hinc animo pax alma redit; pax iſta, Voluptas.
Hæc, Epicure tibi præludens, cogitat: ergo
Exſolvit nexus omnes, jura omnia rumpit
Perfidus; ignotis moribundam linquit in oris,
Ac duplices fruſtra tendentem e littore palmas.

Nulla quies animo Phædræ, cum vidit agreſtem
Hippolytum; nulla eſſe poteſt, ni vicerit acre
Pectus, & in thalamos perſuaſerit ire paternos.
Uſque adeo inſanit, tam diro carpitur igni
Filia Paſiphaës! Ergo contemta peribit,
Cogeturque mori! Sed non morietur inulta:
Privignum inſontem perdet. Quot crimine ab uno
Crimina? Quot pravo cumulati in corde furores?

Na-

Natus ad arma furit Macedo; ni perdomet Orbem,
Ipſe ſui eſt impos; domitus nec ſufficit Orbis.
Dic age, dic Pella, ceſſet regnator in urbe,
Ac dominos Aſiæ Perſas patiatur & Indos;
Quod tibi deterior tranquilla pace videtur
Gloria, tot curis, tam multo ſanguine parta.
Nonne vides, magni quid Cæſaris una cupido
Turbarum excivit populis, quot in Orbe tumultus?
Quot nutu quaſſata viri ſunt mœnia, gentes
Everſæ, quantis fluxit cruor undique rivis;
Cum de Pompeio ac cæſis de civibus egit
Et patriæ priſca de libertate triumphum?
Dic, ut conſiſtat potius Rubiconis in ora;
Et Romæ, cives inter gentemque togatam,
Secure vivat privata ſorte beatus:
Reſpondent ambo: ſedeas tu, quando ſedere
Tanta tibi; nobis eſt belligerare Voluptas.

Dicere non prodeſt igitur: mihi ſola cupido,
In rebus ſervare modum; infeſtare quietem
Alterius fugio, mea ne infeſtetur; honeſtis
Artibus exornare animum, & virtute beari
Maluerim, quam deliciis, quæ corpora mulcent:
Talis erat quondam noſtræ dux ille cohortis.
Eſto: etenim tecum ſuper his contendere nolim.
At cunctos homines agitat non una cupido:
Illa tibi forte eſt; aliis diverſa probatur.
Porro quemque trahit ſua, non aliena Voluptas.
Quam ſi quisque ſequi, ne ſit miſer, absque futuri
Debeat intuitu, fas eſt quodcunque lubebit:
Et quo jure bonas tua te direxit ad artes,

Non

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] Naturæ [illegible]
[illegible] rectam
[illegible]
[illegible]
[illegible] lege [illegible],
Hæc recta eſſe queunt; ſed in iis, quæ ſorte cadentes
Progenerant [illegible] certum, nil quoque rectum eſt.
Naturam qui legem internaque dogmata neſcit,
Sæpque putat caſu factum, nihil ille profecto
Cum recta commune ſibi ratione fatetur.
Nam quod percipimus, fortuna eſt; atque ita quondam
Formari poterant homines, ut falſa putarent

Quæ

Quæ nunc certa putant, & bis duo quinque viderent;
Pravum etiam & ſtultum, quod nunc laudabile ducunt.
Tale Voluptati frenum injeciſſe, quid ergo
Te jactas, quod inane jubes vanumque putari?

Nam quod apud Sinas, ubi Solis prima renati
Tela micant, ſtudio celebres, legumque peritos
Fama refert quosdam nullo mercedis amore
Virtutem colere, ac vitium formidine nulla
Pœnarum toto certatim excludere regno;
Non tamen eſt aliqua ſine relligione, nec omni
Speque metuque vacat ſpecioſa hæc regula morum,
Et componendæ lex ferme Stoica vitæ.
Æternam ſaltem normam, verique bonique
Nativum exemplar non inficiantur, & orbis,
Neſcio quam, veluti rationem immotaque jura,
Quorum a legitimo minimum deſciſcere cultu
Non modo grande nefas, ſed & irreparabile damnum.
At quæ jura tibi, quæ lex, quæ norma, quis ordo
Quem non intulerit caſus, mensve edita caſu:
Nil ſolidum tibi, nil verum, niſi ſola voluptas.
Unde voluptatem penes eſt adſcribere rebus
Juſtitiæ ſcelerisque notam, & jus dicere menti:
Ut ſua cuique Deus jam fiat dira cupido.
Sic & Junones proprias, Geniosque Deosque
Reſtituis, caſu nobiscum & ſorte creatos.
Propria nam quidquid natura requirit ab uno
Quoque hominum, hæc ipſi Venus eſt, Venus omnia ſubdens,
Hoc cohibenda minus, quo quid vehementius ardet.
Non aliter, quam ſi patulo Neptunus hiatu,

Aggeribus ruptis Batavos exundet in agros,
Clauſtraque diſſiliant valido concuſſa Tridenti:
Mergitur omnis humus: quæcunque ferocibus undis
Objicies fruſtra, Neptuni tetra vorabit
Ingluvies: rabido ſatius parere furori;
Donec ſponte ſua refluat, Corisque remiſſis,
Ingentes demum liceat ſarcire ruinas.

Quod ſi permittam rectæ rationis ut uſum
Agnoſcas, atque id nusquam variabile lumen
Præficias & judiciis & moribus, ut ſint
Ad normam; nobis ergo ſimul eſſe fateris
Nonnihil ingenitum, quo libera facta regantur,
Ante Voluptatem; nec princeps amplius illa
Cenſeri poterit, nec vitæ regula noſtræ:
Imo pernicies hominum tabesque nefanda,
Illius indomitos ratio ni temperet æſtus.
Talis ad humanos uſus convertitur ignis;
Optimus ingratum membris depellere frigus,
Exſtinctamque diem noctis reparare per umbram;
Et mollire cibum, & ſuccos extrudere plantis;
In calcem, in vitrum lapides mutare peruſtos
Et ferrum coquere & nigris fornacibus aurum:
Quem ſi incauta manus tractaverit, ecce cremantur
Tigna trabesque domus; tectis furit excita vento
Flamma vorax; trepidi fugiunt per compita cives;
Fit clamor gemitusque; volant contagia peſtis
Horrida, quæ nullis poterunt ſuccumbere lymphis;
Templa ruunt; omni de culmine depluit imber
Torridus; everſæ fumant ſuper ædibus ædes;
Urbs ubi magna fuit, cinerum tolluntur acervi.

Fer-

Fervida ſic toto bacchatur in orbe voluptas,
Ac genus humanum vitiis graſſantibus implet.
Hanc ſi forte jugo ſubigas rationis amaræ,
En ſubverſa tibi ruit a fundamine moles;
Nilque novi profers, quod non Academia pleno
Dixerit ore tonans, & Porticus atque Lyceum.
Quod ſi debuerit rationem anteire voluptas,
Ipſa ſui & noſtri domina eſt, frenumque recuſat.
Tum ratio genitrix virtutum & regula vitæ,
Serva voluptatis tibi, non regina videtur.
I nunc, & vitium verbis obvolve modeſtis.

Sunt qui Gaſſendo freti duce, ſic Epicurum
Defendant, nullum ut jactent genus huicce petitum
Eſſe voluptatis, niſi quod virtute paratur.
Hi fraudem ignorant virtutis nomine tectam;
Fallacique viro nimium patienter adhærent.
Nempe quid eſt virtus, quid honeſtas, judice Graio?
Quem verbis luſi tanto dignantur honore,
Tantis immeritum ſcribendo laudibus ornant?
An recti conſtans atque obfirmata cupido,
Contra delicias, & cuncta pericula contra,
Propoſitique tenax, vel cum maleſuada voluptas
Obſtiterit, terrorve minantiaque ora tyranni?
Non ita; ſed placiti, quodcunque ſit, integer uſus,
Absque dolore, metu, vel ſollicitudinis umbra.
Illa ſupercilio rigidi ſit digna Catonis;
Eſt, Epicure, tibi ridens & blandula virtus,
Carpere delicias caute, vitaque fruiſci.
Non quod honeſtum in ſe pulchrumque eſt, hoc tibi gratum:

Nam ſi eſſet, quid Socratico, quid Pythagoreo
Tramite diſtares, quid relligione ſevera?
Sed tibi quod gratum, ſejuncta labe timoris
Et curæ, ſubito culpa vacat, atque decorum eſt.
Abs te non igitur poſita in virtute voluptas,
Aſt in ea virtus; tantum ars eſt rite fruendi.
Natura, non naturam ratione domandi.
Sed Virtus nulla eſt, niſi cum frenata voluntas
Subditur imperio rectæ rationis, & omnes
Continet affectus, noſtro qui pectore ſurgunt,
Edomitosque jugo reprimit, ſi quando rebellant,
Et quo majores poſcit victoria curas,
Tanto nobilior, tanto magis inclyta virtus.

Quorſum ergo tot conſiliis monitisque ſalubres
Se primum docuiſſe vias Epicurus Athenis
Jactat, & ad mores totum applicuiſſe regendos
Ingenium, veræ ante alios virtutis amicus;
Si, quam voce tenus laudat, re interficit ipſa?
Demſit ubi, quidquid moderatur gaudia mentis,
Invitat cunctas moderanda ad gaudia mentes.
Non ſcelus, at ſceleri ſubjunctum ſæpe dolorem
Deteſtatur: id eſt, ſcelus ipſum diligit, imo
Commendat, ſi forte metu aut mœrore vacabit:
Et ſtimulos acres jam ſponte ruentibus addit.
Eſt-ne igitur toties hominum inſtiganda libido,
Inviſis abſcedat uti, vel amata ſequatur?
Quam ſi præceptis arcendam a crimine cenſes,
Ne vaga prorumpat; cur hæc evertere tentas,
Quæ veſtris longe momento & robore præſtant?
Nam ſi, dum ſuperos tremimus, dum fulmen Olympi,
Ter-

Terribileſque minas iramque Tonantis, & Orci
Supplicia, æternoſque Erebi exhorreſcimus ignes,
Peccamus tamen, ac terras ſcelera omnia mergunt;
Quid, ſi vindictæ nullus timor! Undique cædes,
Undique flagitia; atque hominem natum eſſe pigeret.

Si Virtutis eras avidus, rectique bonique
Tam ſitiens, quid relligio tibi ſancta nocebat?
Aſpera quippe nimis viſa eſt? Aſperrima certe
Gaudenti vitiis, ſed non virtutis amanti.
Ergo perfugium culpæ, ſoliſque benignus
Perjuris ac fœdifragis, Epicure, parabas.
Solam hominum fæcem poteras devotaque furcis
Devincire tibi capita, indignæque patronus
Nequitiæ tantum ſceleriſque aſſertor haberi;
Cui tales animos vireſque atque arma miniſtras.
Degener ille bonis etenim non ingruit horror
Quem perimis: ſibi nec reſtingui Tartara poſcunt,
Quos bene geſta ſatis tranquillant; ipſaque morum
Integritas, & parta quies moderamine caſto,
Vindicat a miſera longæ formidine pœnæ.
His procul anguicomæ ſtrident crepitantque flagellis
Eumenides; procul his æterna incendia fumant.

Declamatorem, Quinti, me forte vocabis,
Quod juſtum rectumque Epicuri a mente recidam;
Illum nec patiar titulo virtutis abuti;
Atque hilarem ſectam probrorum aſpergine tanta
Commaculem. Verum hancce notam ſibi ſolus inuſſit
Ipſe lubens, mundo cum legem, ac legis abegit
Latorem; & noſtræ lumen rationis oriri
Ex atomis voluit cæcis, ac ſorte coactis.

Rectum nempe quid eſt? Illud quod regula firmat:
Et juſtum? Quod lex faciendum præcipit: ergo
Lex ubi nulla, nihil juſtum eſt; ubi regula nulla,
Nil rectum eſſe poteſt. Ratio virtusque peribunt;
Numine ſublato, neque lex, neque regula perſtant:
Ergo nil juſti, nil recti permanet usquam:
Filia fortunæ ratio eſt, fictitia virtus.
Incipe nunc adeo, fallax Epicure, videri
Qualis es; ac tandem mentitos exue vultus.

At non attendis, ratio dum innata fugatur
Moribus ex hominum, atque animis proſcribere juſtum
Conaris, pariter verum ſimul omne fugari.
Nam ratio noſtros non tantum dirigit actus,
Aſt etiam quæ ſunt nobis extraria cernit
Intuitu firmo: nec falli cauta veretur.
Nam ſilet in dubiis, donec lux clarior umbras
Diſpulerit: cum ſplendor adeſt, teſtatur adeſſe,
Judicii tum certa ſui; & quod judicat, hoc eſt.
Nam ſi res aliter quam clare conſpicit, eſſent,
Mentem perfida lux, & non mage tuta tenebris,
Falleret æternum; nil certi affulgeret unquam:
Quin & vis animi fœde omnis vana jaceret;
Et nunc inter nos, quæ verba cupidine Veri
Conſerimus, ſonitu in ventos ferrentur inani.
Certum igitur nobis & ineluctabile, quidquid
Perſpicue viva rationis luce videmus.
Verum ex fortuito concurſu principiorum,
Si mentes noſtras & lucem effinxeris illam:
Quo pacto, tibi quod certum eſt, verum eſſe probabis?

Caſus

Caſus erit quod jam tibi ſic appareat. Imo
Sic potuere tuæ conjungi ſemina mentis,
Ut ſe aliter, quam ſit, res omnis præbeat ipſi;
Et quæcunque tibi jam nunc manifeſta videntur,
Quo manifeſta magis, magis hoc contraria vero
Sint in ſe: quod ſi acciderit, temere omnia dicis.
Majus parte ſua totum nunc credimus omnes;
Eſt fortaſſe minus: duplicatis quatuor, octo
Confieri; fortaſſe novem gignuntur? At illud
Haud quisquam dubitat, ſe ſe, dum cogitat, eſſe:
Quidni etiam hoc falſum? Rationis lege peremta,
Et lucem extinguis. Tua ſi doctrina manebit,
Ut juſtum nihil eſt, verum nihil eſſe neceſſe eſt.
Et quo Pyrrhonem gladio jugulare ſolebas,
Hoc temet jugulas, hoc tu procumbis eodem.

Sed novus auxilio venit exſpirantis amici
Defenſor, Juſtum nativa lege doceri
Qui negat, Hobbeſius: nam prædicat arte repertum.
Cum cœpere homines, ad propria commoda nati,
Atque ſui tantum revera ſemper amantes,
Alternis certare odiis, ac vivere rapto;
Tunc, inquit, ne vis late daret omnia peſſum,
Ut pater & natus germanique, ut vir & uxor,
Ejusdemque loci poſſent convivere cives,
In cœtus hominum quasdam prudentia leges
Intulit, ad commune bonum; queis publica ſenſim
Utilitas, longique mali experientia, quanquam
Invitos, timor imprimis parere coëgit.
Hæc eſt, Hobbeſium ſi conſulis, aut Epicurum,
Juſtitiæ, nec non & relligionis origo.

Qui de juſtitia, de relligione profanus
Hæc ſine teſte refert, liquido ſe prodit utrique
Inſenſum; ſed nil aliud probat. Haud ego gratis
Fingere vana ſinam. Vileſcit origine tali,
Nec vera eſt virtus, quam ſola creaſſe putatur
Utilitas. Tamen hoc ipſo victoria quædam
Obtigerit nobis, omen pignusque triumphi.
Cum ſine juſtitia, ſine relligione fatetur,
Non potuiſſe hominum genus a feritate nefanda
Primitus averti, ſequitur, ſi neutra manebit,
Priſtina continuo redituram ad crimina vitam.

Protinus hic poſſem, ni quem ſequor ordo vetaret,
Pectoribus noſtris inſcriptam oſtendere legem,
Et Fas conſpicuum rationis lumine puro,
Ante etiam plebiſcita aut conſulta Senatus;
Et Naturam, æque juſti verique magiſtram:
At ne digrediar, præſens in tempus omitto.
Hoc tantum dicam: ſi nulla bonique malique
Stet natura prius, legum quam edicta ferantur,
Jus nil juris habet; ſed leges cæca libido
Condidit, & fluxo poſuit fundamine: vano
Juri ſervire, injuſto eſt ſervire tyranno.
Nam cum ex arbitrio jus pendeat omne, juberi
Id pariter potuit, poſita quod lege vetatur;
Quodque jubetur, idem potuit quoque lege vetari:
Jam vero commune bonum, quo nititur uno
Hobbeſius, ridenda viri commenta refellit,
Et ſua eum diſcors ludit ſententia: quippe
Si leges commune bonum genuiſſe putatur,
Ergo aliquid, nondum prognata lege, fatendum eſt

Eſſe

Caſus erit [illegible] ſunt igitur diſcrimina rebus.
Sic pot[illegible] quo vecordem male protrahit error
Ut ſe [illegible] Solis ſi juſta injuſtaque dicat
Et q[illegible]i, ſequitur, minus eſſe nefandum,
Quo [illegible] viri in præcordia ferrum
Sin [illegible]iſſe, fidem quam ſolvere pactam:
[illegible]num hominem crudeli perdere dextra
[illegible] nefas, ubi pacto fœdere ſe ſe
[illegible] voluit prohibenti ſubdere legi.

[illegible] concedunt jus faſque fuiſſe neceſſum,
[illegible] rueret vitiis humana propago,
[illegible] maleſanus amor corrumperet orbem,
[illegible] quam ſit per ſe exitioſa voluptas,
[illegible]rum inventrix alitur creſcitque cupido.
[illegible]ſuſceptum fuerat mihi nempe probandum,
[illegible]i? Poſita ſemel impietate Lucretî,
[illegible]re nefas. Ut apertis Æolus antris
[illegible]bito celeres emiſit carcere ventos,
[illegible]uctantes immenſa per æquora currunt,
[illegible]oſosque cient horrendo murmure fluctus,
[illegible]rem, exitium, noctemque & fulmina portant,
[illegible]œlum & terras confertaque nubila miſcent:
[illegible]itia invadunt orbem reſoluta catenis,
[illegible]n regnat Stygis atque Dei ſecura voluptas.

Dic age: ſi qua foret regio ſine legibus ullis,
[illegible]c ſine conſilio, ſine principe, libera qualem
[illegible] Deo terram eſſe jubes; ubi præmia nulla
[illegible], nullæ ſequerentur crimina pœnæ;
[illegible]ue virtutis nomen, neque criminis eſſet;
[illegible] quisque ſibi Deus & rex; hanc-ne libenter

Incoleres? In ea velles traducere vitam?
Spinoſæ teneant illam, teneant Epicuri.
Attamen hocce boni genus eſt, quod lege ſoluta
Relligionis, homo graius provexit in orbem:
Hoc populis donum, hanc pacem promiſit habendam.
Letiferum certe munus dedit. Hæccine tantis
Laudibus & famæ lituo modulisque Camœnæ
Decantata viri ſapientia: quem neque magnus
Amphitryoniades, etſi tot monſtra peremit,
Nec Dea quæ glandem ſimila mutavit eduli,
Vitiſatorque pater, flavo nec Apolline natus
Morborum domitor, ſectæ ſi credimus iſti,
Humanam in gentem meritis æquare valebant?
Scilicet egregium ſpecimen bonitatis, iniquos
Solari, mercede ſua fraudare merentes!

Cœtibus humanis ergo damnoſa nocensque
Diſciplina viri: ſed enim bona nulla, neque ipſa
Quæ cupidis mendax tanto promiſit hiatu,
In mortale genus confert; ea gaudia præter,
Quæ ſine doctoris monitu ſat cognita cunctis.
Nugaces velut aurifices pro divite vena
Fumum dant avidis, & ſpem ſine meſſe perennem:
Credulus interea, paſcit quem vana cupido,
Dum falſis inhiat, veras deceptus in ignem
Fundit opes, & avaritia rem decoquit ipſa.
Tales, qui fidunt Epicuro, crede futuros:
Ornatus animi virtutes, intima recti
Semina, divitias humanæ gentis, amorem
Numinis & fratrum diſperdunt futilis ergo

Lætitiæ; quam ſi revera quisque ſequatur,
Ipſe parum ſibi, nil reliquis conferre valebit.
Nam te ſæpe monet Lucretius, ut tibi tantum
Provideas faciasque ſatis, nec cetera cures.
Sic & graius homo prius hortabatur amicos,
Ne quis ab ingenti ſtudio, variisque moleſtum
Redderet officiis hoc tempus labile vitæ;
Indueretque graves collo ſubeunte catenas,
Aut aliena gerens, populive negotia tractans,
Aut miſerans inopem, aut lacrymans in funus amici.
Sic animum ſapientis in omnibus eſſe volebat
Lentum, & vitandi cauſa mœroris inertem,
Ut domui, patriæ, toti eſſet inutilis orbi;
Neſcius impenſe quidquam ſibi velle ſuisque;
Frigidus in cunctos & plumbeus, inque parentes;
Præcipue memor intactam ſervare quietem,
Deque ſodalitio tantum decerpere, quantum
Hinc propriæ augerentur opes artesve fruendi;
Uno contentus ſe ſe, ſibi deditus uni.
Ipſa nec eximitur tali de lege voluptas.
Sic etenim conſtans in libertate tuenda,
Qua ſine nil ſuave eſt, lepidum nihil atque venuſtum,
Atticus hic veſter, multo ut ſermone ſequaces
Edoceat, qui ſit mediis in floribus angor
Spinarumque metus, nimio ſi ardore legantur.
Propterea nexus animorum & vincla perhorrens,
Volgivagam Venerem præfert unius amori:
Proh pudor! En igitur pigræ ſapientia ſectæ!

Quos vero tenet aſſiduus flagransque gubernat
Relligionis amor, non detrectare laborem,

Non

Non ſtudiis animum certant exſolvere rectis,
Non & pervigiles in publica commoda curas
Abjicere; at conſanguineis, patriæque libentes
Impendunt operam; ſolis nec ſemper amicis,
Aſt etiam ignotis. Nec tantum pectore mœſto
Cum lugente dolent, ſed re ſolantur egenos,
Atque favent miſeris: neque enim pretioſa recuſant
Vincula, queis hominum cœtus natura ligavit.
Quin etiam bello, cauſiſque forenſibus adſunt;
Solliciti, cum res humeris commiſſa requirit;
Tranquilli tamen interius, quod iniqua peroſi,
Nil faciant, niſi quæ ratio finit, imperat, urget;
Nilque boni linquant; quoniam pietate docentur,
Quid Deus imprimis, quid mens ſibi proxima teſtis,
Fœderis humani quid jura gradusque repoſcant.
Si neſcis, habet ipſa ſuos heroas, alitque
Relligio: ſed enim ſtimulis melioribus illos
Exacuit, quam ſpes incertæ laudis, & auri
Exitioſa fames, ac turbidus ardor honorum,
Quæ lacerant animos cuppedine cuncta vorantes,
Et ſuadent plerumque nefas. Mortalibus autem
Nil ſuadet pietas, quod recto abſcedere poſſit;
Cum nil reſpiciat, præter jus fasque ſeverum.
Dic ab utro melius fuerit cultoribus orbis
Conſultum, Graione viro, cui ſola voluptas
Et lex & Deus eſt; an eo qui Numen adorat?

Sed quoniam non vi, non aſſuetudine morum,
Non caſu incerto, non ſcripta lege, ſed ipſo
Ducimur inſtinctu naturæ, ut quisque putemus
Amplectendum illud, quod nobis utile ſumme eſt:

(Hoc

(Hoc innatum homini ſaltem non eſſe negabis)
Hinc ſequitur, quo quid plus utilitatis habebit
Per ſe naturamque ſuam, durumve placensve
Id fuerit, reliquis eſſe omnibus anteferendum.
Ergo paciferæ ſi relligionis amore
Nil erit utilius, ſi peſtiferis Epicuri
Commentis nil pejus erit, quod utrumque probatum eſt;
Relligio vincat, noſtræ ſit regula vitæ.
Ex illa ſiquidem venit obſervantia natis
In patres, famulis in heros, & civibus omnes
In rerum dominos: dominis venit ille viciſſim
In cives amor; unde quies ac firma poteſtas.
Quisquis enim vere Supremum Numen adorat,
Sentit ſe partem populi per mutua vincti
Officia; hinc alios proprium ſi vertat in uſum,
Se deberi aliis. Veſtro ſed dogmate contra
Nil tutum ſupereſt; regnat pro jure libido;
Ridetur pietas, puerilis dicitur error;
Ipſa cadit virtus, nativaque deſtruitur lex;
Quam qui non audit, ſe tigribus atque leænis
Æquat, & humani cœtus convincitur hoſtis.
Omnia namque ad ſe referens, ſe cogitat unum
Vivere, cum vivat multis e millibus unus:
Centrum ſe mundi, rerum caput, atque tyrannum
Fingit; & ipſe ſuo, quæ non ſunt ſubdita, ſubdit
Imperio, pariterque volens & peccat & errat.
Hinc natæ, ſtygio tanquam de gurgite, voces,
Non dicto, non officio, pactisve ligari
Prudentem, ſed temporibus ſervire paratum:
Regnandi cauſa violari poſſe ſacrum jus:

Nec

Nec parcendum illi quem læſeris. Impia ſane
Dogmata, corruptæ præcepta nefaria ſectæ!
Hæc Epicureis aconita oriuntur in hortis.
Indomitus veluti quadrupes ubi frena momordit,
Par levibus ventis, rapitur, celerique ſagittæ;
Exſpatiatur agris, & foſſas tranſilit audax;
Tum ſi forte tubam, aut equitis crepitantia flagra
Audierit, curſum ingeminat, fugit ocior Euro,
Inque leves nebulas volucri pede ſpargit arenam:
Juſſus reſtrictis tandem ſubſiſtere loris,
Non equitem ſentit, non lora; ſed impete cæco
Fertur, anhelantem donec feſſumque relinquat
Spiritus, ac tumidos vincat labor ipſe furores.
Haud ſecus illecebris diraque cupidine raptus,
Pectore ſacrilego qui ſanctum Numen abegit,
Diſſimulat quidquid verax & conſcia recti
Alto corde monet natura, neque audit habenas:
Exhauſtus tandem jactante libidinis æſtu
Concidit, incaſſum ſuſpirans viribus ægris.

Et certe cum nullus homo ſit ſolus in orbe,
Qui datus eſt cunctis æquali jure fruendus;
Publica privatis præferri commoda debent:
Namque homines præſtat ſimul omnes eſſe beatos,
Quam delectari, reliquis mœrentibus, unum.
Sic quivis aliena examine ponderat æquo.
At quoties res noſtra agitur, cenſere quod æquum eſt,
Haut minus ac ſi res aliena ageretur, & ipſo
Naturæ ductu, & recta ratione jubemur;
Nec monitore opus eſt, qui ſuadeat iſta docendo.
Ecce ego ſum & vivo; nil me mihi carius ipſo eſt;
Hinc

Hinc vitam ſervare mihi, & ſervare beatam
Debeo, quantum in me fuerit: ſi debeo, juſtum eſt.
Aſt alii vivunt; his ſe nil carius ipſis;
Vitam adeo ſervare ſibi, & ſervare beatam
Jure pari debent: quod ſi fecere, probandi:
Si damnes, eadem faciens, injuſtus es. Ergo
Quisquis juſtitiam ſequitur, ſi judicat inter
Seque aliumque, hoc præſtet idem diſcrimine nullo,
Quod duo diſceptans inter, neque nomine notos.
Quid faceret juſto inſiſtens & iniqua recuſans?
Haud dubie neutri permitteret alterius rem
Aut vitam eripere. Hoc igitur ſibi ſentit & ipſi
Non licitum. Sentit partem ſe totius orbis:
Quoque modo partem toto videt eſſe minorem,
Hoc etiam humano generi plus, quam ſibi certe
Deberi. Lux eſt eadem, quæ pandit utrumque.
(Hæc libaſſe ſatis; dicentur pluribus olim.)

Effera tantum igitur potuit ſuadere malorum
Impietas, non relligio; quæ prava coërcens
Corda metu, ſpe recta fovet, cunctisque ſuum jus
Spondet, & humanas vetat obbruteſcere mentes.
Quod ſi ductores Danaûm, Calchante magiſtro,
Tentarunt fato lacrymabilis Iphianaſſæ
(Grande nefas!) claſſi celeres arceſſere ventos;
Ac læſum ultricis numen placare Dianæ:
Non hæc vera Dei fecit reverentia; fecit
Cæca ſuperſtitio & vani fallacia vatis.
Sed talis nunquam immites cecidiſſet ad aras
Hoſtia, veſani dira ambitione parentis
Juſſa mori, ni cauſa mali, damnoſa voluptas,

Sacri-

Sacrilego Paridem prius inflammaſſet amore;
Ut jure hoſpitii violato, turpis adulter,
Raptam Helenam, bellique faces in Pergama ferret.

Verum, ne ſperes arte hac te poſſe beari,
Quæ lætis æternum inhians & amara repellens;
Libera jucundo tentat præcordia ſenſu,
Dic mihi: num tibi res ſuccedunt, optime Quinti,
Ex animo ſemper, reſpondentque omnia votis?
Nam, ſi reſpondent, felix ſane unus in orbe es;
Conceſſoque hominum nulli te munere jactas.
Quanquam haud adſcribes proprio bona tanta labori,
Aut Sophiæ: neque enim rerum creat illa futuros
Eventus, at ferre monet quicunque creantur;
Nec dat fortunæ legem, ſed dogmata menti.
Sin tibi difficilem vitam ſors dura paravit,
Continuo jam te miſerum nimis eſſe neceſſe eſt;
Qui lenociniis rerum ac dulcedine captus,
Mœroremque ſoles et quæque moleſta vereri.
Namque parem ærumnis mala inexſpectata ferendis
Te non invenient: fracto, luxuque fluenti
Non aderit, quæ præſtet opem, conſtantia firma
Pectoris adverſum caſus quoſcunque parati,
Prorſus ut impavidum feriant ſtantemque ruinæ.
Nec ſolamen erit, Superûm tibi nota voluntas.
Pluribus ille malis obnoxius eſſe videtur,
Qui mala perpetuo formidat, avenſque bonorum,
Non didicit curis animum durare ferendo.
Ceu tener arboribus cum flos adoleſcere cœpit,
Quem verni humectant rores, ac ſole tepenti
Mollibus in ramis pubeſcens educat annus:

Ah!

Ah! ſi poſt Zephyri flatus aurasque ſalubres,
Intempeſtivo noctes Aquilone rigeſcunt,
Uritur, & foliis inimico frigore læſis,
Tabeſcit moriens, ac fœdo vulnere languet.

At me non animi fallit, quid ad iſta reponas.
Pauca peto, dicis; non me tenet ardor habendi;
Non ego divitias, non vaſtas regibus ædes
Invideo, nec quos miratur vulgus honores:
Non mihi regna velim curis mordacibus emta;
Non celebres magno mercari angore triumphos.
Sed, quæ juſta ſinu fundit natura venuſto,
His fruor; abſtineo nullis; nec me putet usquam
Sugere mellitos genitricis ab ubere ſuccos,
Obvia cum ſteterit coram; quosque ipſa benigne
Porrigit invitans, teneros decerpere fructus.
Non me geſta movent aliena, nec anxius error
Humani generis, cum ſe deſævit in ipſum
Omnia percupiens avide, metuensque viciſſim.
Deſipiant alii; caput objectare periclis
Non dubitent, atque innumeros ambire labores;
Et pretioſa terant operoſis tempora nugis:
Ipſe mea me involvo ſatis virtute beatus;
Et mihi vivere amo, donec breve tranſeat ævum,
Innocuam & facilem, ſine luctu & crimine vitam.

Sic ais: at mecum, quæ ſint ea dicta, revolve,
Si vacat. Hoc primum: non te talem eſſe negabo,
Qualem te perhibes, feliciter hactenus uſum
Sorte tua: ſcopulos vitaſti, non tamen omnes.
Longum forte tibi ſupereſt maris æquor arandum:
Sunt & adhuc nimbi, Scyllæ ſunt atque Charybdes.

Eſto; viam inſtiteris, quæ ſit tutiſſima vitæ,
Multa quidem effugies aliis funeſta pericla;
Sed tibi quæ impendent non declinabis, & una
Elapſus, confeſtim alia mergere procella.
Nusquam certa quies. Inviti, quot ſumus, alto
Volvimur oceano; & cunctis ſuus imminet imber.

Nempe fames auri, quæ turpes urit avaros,
Et quæ tecta ſolet regales ire per aulas
Ambitio, famæque ſitis, per tela, per ignes,
Heroum ſtimulus, nullo te vulnere pungunt.
Nobile ſervitium ſic te, nec dives egeſtas
Turbabunt: neque te miſerum illa ex parte putabo.
Sed ſi, qua frueris jam nunc, formoſa juventus,
Firma valetudo, tranquillæque otia vitæ,
Et quæ ſufficiunt genio non multa petenti,
Protinus avellentur, uti fert alea rerum.
Florida nam ſunt hæc, & florum more labaſcunt;
Si te deſuetumque pati, & nil tale timentem
Corripient morbi, lites, incendia, bella;
Aut ſubito vinclis oneratum in carcere tetro
Includet ſævi lex imperioſa tyranni,
Si, cui fidebas, nequam te prodet amicus;
Sive placens uxor miſero abducetur amanti;
Immatura tibi rapient ſeu funera natos;
Si premet inſontem graſſata calumnia vitam;
Morſuque invidiæ ſi ægreſcet fama vacillans:
Quid facies? Quid tunc nunquam luxiſſe juvabit?
O Quinti! Quid aget tecum natura? Novercam
Certe, non matrem dices; fruſtraque vocabis
Multa gemens. Aderunt elapſæ gaudia vitæ

Ante

Ante oculos; memoremque animum, ceu ſpicula figent.
Tumque recrudeſcens oppreſſo in pectore vulnus
Dejiciet tandem invitum, cogetque dolere.
Et deſiderio quis erit modus, atque pudori?
Ab vobis equidem didici finem eſſe malorum,
Spes ubi tota fugit, laqueum, triſtemve cicutam:
Pulchra voluptatis ſane ſolatia raptæ,
Præclarum auxilium, dolor additus ipſe dolori!
Sic miſer Aſſyrium Regnator Sardanapalus
Poſt epulas, Venerem, levium & genus omne bonorum,
Languentis vitæ impatiens ac ſortis iniquæ,
Struxit in urbe rogum, ſeque & ſua tradidit igni.
En Epicureæ digniſſima meta palæſtræ!

Non ita, qui firma nixi morumque magiſtra
Relligione ſuper. Nam prætereuntia rerum,
Jam quaſi præterita heſternoque ſimillima ſomno,
Deſpiciunt: æquo pede calcant & bona vitæ,
Et mala, fortunæque vices utriusque caducas.
Nil breve, nil vacuum, nil quod marceſcere poſſit
Illos mente quatit ſolida: non aſpera frangunt,
Dulcia quos primum non emollire valebant.
Communi quamvis hominum jactentur in unda
Mortales, propriis quoque tempeſtatibus acti,
Stant contra; medioque tenent vel in æquore portum,
Præſagi vitæ potioris: emuntque libentes
Immenſam æternamque brevi ſudore coronam,
Et ſcite cupidi æternis fugientia mutant.

Nec tamen eſt, illos adeo ut virtutis avaræ
Inſimules, tanquam ſpes eſſet ſordida lucri,
Et quaſi damnoſæ fuga mercenaria culpæ.
Namque hominis natura bonum ſibi ſemper & ultro
Proſequitur, quoque inſtinctu deſiderat eſſe,
Hoc etiam eſſe bene. Id fateor, ſummamque bonorum
Eſſe voluptatem; modo ſcilicet inde petatur,
Unde petenda venit; ſitque inconcuſſa voluptas,
Sincera & vera, & nullis obnoxia damnis.
Nam quid velle poteſt homo, ni vult eſſe beatus?
Aut quid amat, niſi quo ſperat ſe poſſe beari?
Hoc unum variis quærunt in moribus omnes:
Vos per delicias, & lenimenta dolorum;
In quibus, ut vento, fluviique fugacibus undis,
Ut molli pelagus quam ſæpe volutat arena,
Ut fumo ſtipulis qui ſe flammantibus effert,
Nil ſtabile eſt; ubi ſe veri ſpes conſcia fundet.
Illi, aſpernantes ævi quæ falce metuntur,
Quòdque Deo minus eſt, non famam extendere pulchro
Contemtu rerum, atque oculos percellere plebis,
Ut Cynici, cupiunt; non, vt Zenonis alumni,
Se torvis onerant virtutibus, unde ſuperbi
Incedant, & ſe tacita venerentur acerra:
In virtute Deum, atque Deum in mercede requirunt.

Ac velut integros fontes ducturus in hortum
Nequaquam fodies puteos in valle paluſtri,
Limus ubi, ſtagnansque lutum, graveolensque bitumen;
Sed potius rupem herbiferam, ſeu frigida collis
Viſce-

Viſcera tentabis ferro, qua parte latentem
Juncus, & adnaſcens venam ſignabit arundo;
Limpida tunc demum quærenti ſe exerit unda:
Sic ad ſinceros tantæ mercedis amantes
Pura venit, fruſtraque aliis quæſita voluptas;
Quam violare dolor nequit, aut corrumpere luctus:
Conſtantisque boni tot ſunt in amore ſapores,
Illecebræque, tuis ut bacchanalibus (etſi
Vel centum vigeas juvenisque valensque per annos)
Illo pervenias nunquam aut accedere poſſis,
Nedum æquare piæ momenta breviſſima vitæ.
Nam quod amant, & ſemper habent, & ſemper habebunt;
Quoque magis redamant, magis & redamantur ab illo.
Nec finis metus eſt: neque quidquam ſurgit amari
Floribus ex iſtis, atque hoc de fonte leporum,
Conſcius unde animus ſe ſe ipſe remordeat unquam:
Verum ut creſcit amor, jus cauſaque creſcit amandi.

Si tibi præterea non formidanda videtur
Mors, hominum terror, quanto hanc animoſius illi
Exſpectant? Vitæ illa tibi, poſtremaque rerum
Meta eſt: his vitæ poterunt quam ſæcula nulla
Claudere, principium. Tua ſpes, nil funditus ut ſis,
Atque omnis moriare: Fovet ſpes lætior illos,
Mercedem meritis amplam poſt fata parari.
Hæc ſpes ipſa ſibi merces, certumque ſalutis
Augurium, æternique boni præcepta voluptas.
Ut videas, vel dum in terris hoc ducitur ævum,
Naturæ donis potiora occurrere dona;
Cultoresque Dei jam te magis eſſe beatos.

Quid ſi autem invenies quod credimus, ultima cum te
Suſtulerit tenebriſque perennibus obruerit nox?
Nempe Deum ultorem, quem non cognoveris ante,
Vel potius notum fama neglexeris? Eheu!
Horreſco reputans: tibi luditur alea, Quinti,
Magna nimis. Quoquo te vertas, ſit tua pejor
Conditio, noſtra. Neque enim, ſi fallimur, hujus
Erroris dabimus pœnas: ſors æqua manebit
Nos omnes; uno ſimul involvemur inani:
Tu, ſi deciperis, contra; ſine fine futurus
Infelix! Cur tanta igitur diſcrimina tentas?

Injucunda hæc ſunt tamen atque obſcura; reponis:
Nec patior dictis me duci, ut gaudia certa
Quæ me circumſtant, & qualiacumque ſatis ſunt,
Poſthabeam dubiis; amensque horrore futuri
Obvia dimittam; juſſus quodcunque dierum eſt
Projicere, incerti ſpe fœnoris, & mihi longam
Accelerare necem, vivusque intrare ſepulchrum.
Nec ſum is, cui ſapiant peregrinæ, quas mihi jactas,
Deliciæ; non me pulcherrima ſomnia tangunt.

Et quid ſuademus dimittas? Vincula, Quinti,
Vincula; quæ non res tibi, ſed te rebus amatis
Subjungunt. Quid projicias? Quæ tu ipſe potitus
Faſtidis plerumque, novis in rebus idipſum
Perpetuo captans, quod te jam ſæpe fefellit
Expertum, liquitque avidum, & meliora volentem.
Ceu lectum peragrat membris languentibus æger,
In latus alternis lævum dextrumque recumbens:
Nec juvat: inde oculos tollit reſupinus in altum:
Nusquam inventa quies; ſemper quaeſita: quod illi
Pri-

Primum in deliciis fuerat, mox torquet & angit;
Nec morbum ſanat, nec fallit tædia morbi:
Sic tibi ſpem eluſam irritat, non corrigit error.
Hydropi ut miſero ſitis arida poſtulat undam,
Et vocat unda ſitim: ſic perdita defluit ætas;
Et vacuus rerum excedis, pertuſaque ſemper
Dolia nequicquam vexas fugientibus undis.
Tormenti genus, omnis amor: ſi fervidus optes,
Emoreris; vel ſi tepidus, nil carpis amœni.
Quid memorem curas, ipſoque in lacte venenum,
Quod mixtum illecebris dolet, invitusque fateri
Cogitur, ac tanta deflet Lucretius arte?
Curam horreſcenti non eſt quærenda voluptas:
Ambarum genitrix, ambarum cauſa cupido,
Dulcibus illiciis captos ad triſtia ducit.
Sæpe bitumineis per ſtagna vaporibus ignes
Accenſi noctu volitant, oculoſque videntum
Alliciunt: captus maleſuada luce viator,
It quo flamma vocat, villam ratus; inque paludem
Præcipitans, alta miſer irretitur in ulva.

Hos igitur laqueos fugiens, quo denique damno
Juſtus eris, prudens, caſtus, fortiſque, piusque?
Tanti-ne eſſe hominem conſtat? vel, ſi illa probari
Non poſſent, quæ certa voco, quæ ſomnia dicis;
Nonne bonum immenſum, purum, immutabile, præſens
Quærere pulchrius eſt, quam turbida, parva, caduca
Sectari? Certum ſibi finem in rebus agendis
Propoſuiſſe Deum, cujus de fonte benigno
Nil non ſperare eſt, quam caſu ſemper agentem
Fortunam, & cæcas atomos hinc inde volantes,

Atque voluptatem fragili fundamine nixam,
Adduxit quam heſterna dies, quam craſtina tollet?

Durum opus eſt, ais. At gratis bona nulla parantur:
Nonne etiam ipſa tibi venit emta labore voluptas?
Ignotus Deus eſt, inquis. Sed noſcere quanti eſt!
Cujus res agitur, lite hac pendente? Dei-ne;
An tua? Si obſcurum eſt vitam poſt fata futuram,
Clarius eſt-ne tibi penitus nihil eſſe futurum?
Si liquet, oſtendas; etenim vulgata neganti
Hoc incumbit onus: ſi non liquet, inde timendum.
Nil metuis; certique loco tibi ſtare videtur
Quod dubium eſt; ſequeris dulces pro luce tenebras.
Nempe placent: placet exitium: nox te illa necabit;
Et conſanguineus leti ſopor iſte profecto eſt.
Una ſalus hanc mortiferam turbare quietem,
Et male torpentes animi compungere ſenſus.
Alterutrum quin ſit, non, ut confido, negabis:
In dubiis porro, quæ pars eſt tutior, illam
Recta ſequi ſuadet ratio. Si fama referret
Graſſari ſylva in magna, tectiſque viarum
Flexibus, hoſtiles turmas agmenve latronum;
Auderes, vel in ambiguo, tentare minaces
Inſidias, atque infami te credere ſylvæ?
Rem tibi, ni fallor, prius inclareſcere velles.
Hic major metui locus eſt. Saltem hoc ego dictis,
Dum caligantes diſcuſſero plenius umbras,
Eviciſſe putem: quam ſit ſententia fallax
Et damnoſa, Deum noſtris quæ mentibus aufert;
Quam variis intexta dolis, quam plena pericli?
At contra; quam ſint ſolatia firma piorum;
Quos bona nulla movent, niſi quæ infinita putentur.

ANTI-LUCRETIUS,

SIVE

DE DEO ET NATURA

LIBRI NOVEM

AD QUINTIUM.

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Quid priore Libro effectum ſit, quid deinde efficere ſibi proponat; indicat: a v. 1. ad v. 24.

Totum Epicuri Philoſophiæ corpus breviter exponens, Vacuum & Atomos ex Epicuro explicat. Hæc refellere aggreditur; ac primo artem Epicuri in diis convellendis perſtringit: a v. 24. ad v. 200.

Tum in hoc libro ſibi aſſumit vacui refutationem. Hoc aut Deum, aut corpus, aut nihil eſſe oſtendit: a v. 200. ad v. 329.

Spatium cum numero ac tempore comparat; probatque tria hæc pariter meros eſſe rerum aſpectus, non res, neque quidquam a rebus ipſis diverſum. Spatium nihil eſſe, niſi menſuram ipſam corporis; Inane, omnis omnino corporis abſentiam: a v. 329. ad v. 600.

Epicuri diſcipulis, qui tamen Deum eſſe agnoſcunt, aperit magiſtri fraudem vacuum adſtruentis, ut Deum deſtruat. Retorquet adverſus eos objectionem ex hypotheſi deſtructorum repente in aliquo loco corporum petitam: a v. 600. ad v. 650.

Moveri corpora poſſe ſine inani demonſtrat: a v. 650. ad v. 719.

Explicat fluidam ac fuſilem naturam ætheris, qui vacui vicem peragit in movendis corporibus: a v. 719. ad v. 812.

Omnia plena eſſe probat: a v. 812. ad v. 865.

Newtoni vacuum refellit: a v. 865. ad v. 992.

Redit ad probandum, nihil non in mundo preſſum eſſe; quod oſtendit variis experimentis: a. v. 992. ad v. 1072.

Varios corporum affectus, qui vacuo tribuuntur, perluciditatem, mollitiem, fluorem ac raritatem, a vacuo non oriri oſtendit: a v. 1072. ad v. 1158.

Concludit vacuum illud Epicureum meram fabulam eſſe: a v. 1158. ad finem.

DE INANI.

Ne vitio vertas, quod eos tibi forte timores
Reddiderim, quos abſtulerat facundia vatis
Romani, potumque in dulci nectare virus.
Non ego te miſerum volo, Quinti, ſed ſine fuco
Felicem; in tuto poſitum, expertemque pericli,
Non incautum, & per jucunda in triſtia euntem.
Propterea primo rerum ne crede colori.
Sæpe venenatus latuit ſub floribus anguis:
Sæpe ſalutiferos habuit gravis herba ſapores.
Alternant humana viceſque a tempore ſumunt:
Hærent perpetuo mœrorque & gaudia nexu.
Vidi ego, nimboſum ſtringentibus aëra ventis,
Nudatos triſti ſentes horrere pruina;
Vere, coronari ſertis ac fronde virenti.
Vidi etiam Zephyris turgentia vela ſecundis
Exultare ſalo, & plaudentes ire per undas;
Mox ruere in ſcopulos, & cæco vortice mergi.

Nec fuit hæc mihi mens, ut prona credulus aure
Acciperes, tibi quæ nondum perpenſa paterent.

Hoc

Hoc unum volui primum & contendere pergo,
Ne votis blandita tuis, doctrina Lucretî
Faſcinet ingenuam, magico ceu carmine, mentem;
Quin prius experiare quibus ſit fulta columnis.

Principio geminas, exploſo numine divum,
Æternas, per ſe ſtantes Epicurus in orbe
Conſtituit rerum cauſas: corpuſcula prima
Materiæ; ſpatiumque, in quo moveantur, inane.
Namque locus niſi ſit vacuus, quo pulſa recedant
Corpora, res, inquit, poſſet non ulla moveri:
Sed quantum premeret veniens, tantum altera, plenis
Omnibus, officeret venienti, & cedere nollet.
Hinc toto gravis orbe ſopor, ſterilisque veternus.
Inde patet ſolidis qua re liquentia diſtent:
Pluribus hæc loculis conſperſa vacantibus; illa
Perpaucis. Et denſa pari diſcrimine pugnant
Cum raris. Vacuum magis aut minus omnia replet.
Præterea nullo finitum tempore, nullo
Limite vallatum, nulla mutabile cauſa,
Immotum & conſtans, longe lateque profundum eſt,
Quanquam incorporeum, penitusque intactile; mentem
Ut ſi tantum habeat, jam ſit Deus. Errat in illo
Profluus ac volucris minimorum exercitus, æque
Fine carens, numeroque; ac frontibus undique pugnat
Adverſis; qui jure pari, niſi mente careret,
Vota hominum accipere, & poſſet Deus alter haberi.

Scilicet æternas, immortalesque docebat
Eſſe atomos: quarum conventu cuncta repente
Sur-

Surgere; diſceſſuque eadem reſoluta perire:
Cum nihil ex nihilo fiat, poſſitve relabi
In nihilum. Solida quoque eas pollere volebat
Simplicitate; ſuis quod nexibus omnia fundent
Corpora: ſed ſimplex niſi ſit, quo ſingula fiunt,
Principium aſſignari aliud, ſemperque neceſſe eſt
Ipſi principio; donec veniatur ad unum,
Cui tandem primæva rei tribuatur origo.

Unde atomos ut principio ſic fine carentes,
Mortisque expertes, individuasque, perennesque
Eſſe jubet: venit omnis enim mors corporis uno
Particularum ex diſcidio, queis conſtitit ante.
Pars itaque eſt atomus, non totum; at tota ſine ullis
Partibus, aut vacuo. Quare impenetrabilis eſſe
Ponitur; atque ad eam ventum eſt cum forte ſecando,
Tum ceſſare labor, præcidendique poteſtas.
Et minima eſt porro: nam ſi paulo amplior, eſſet
Non ſine particulis, ac ſimplicitate careret.
Quapropter tactus hominum fugit; ac bene multas
Unum in concilium congeſtas eſſe neceſſum eſt,
Ut feriant noſtros facto velut agmine ſenſus.

Hæc ſunt, ſi qua fides Epicuro, exordia rerum,
Semina materiæ, quibus eſt natura creata
Omnis, & aſſidua renovari prole videtur.
Sic ſemel orta manet, ſuperæ nihil indiga mentis:
Donec, uti certam caſu concreta figuram
Induit, hanc olim caſu disjecta relinquat.
Semina nil præter motum formasque requirunt.
Namque per immenſi dum cæca vagantur inanis

Impe-

Imperium, ac celeri tranant ſpatia omnia curſu;
Accidit ut, variis cum ſint affecta figuris,
Perpetuo varias inter ſe concita plagas
Accipiant, reddantque: ex quo pars juncta cohærent,
Et pars diſſiliunt; prout ipſo verberis ictu,
Formarumque modis potuit contingere. Sicut,
Sole per anguſtam radios mittente feneſtram,
Pulveris emoti ramenta minuta videmus,
Ire, redire, leveſque diu volitare per auras,
Alternis certare occurſibus, & quaſi ludum
Sparſim agere inter ſe; donec vi denique motus,
Cuncta ſolo depreſſa cadant, aliiſque locum dent.

Nec tamen innumeras his omnibus eſſe figuras
Crediderís; finita etenim ſunt limite quodam
Formarum genera: at finitur limite nullo
Seminium cujusque typi, cujusque figuræ.
Nam, verbi cauſa, ſunt infinita rotunda,
Innumerique cubi, infinita triangula, quadra,
Ceteraque id genus; at ſolum bis mille figuræ,
Terve, quaterve: nihil nam refert quantus earum
Sit numerus, numero finitas eſſe ſatis ſit.
Qualia ſunt variis herbarum ſemina formis
Prædita; ſi fingas eſſe infinita per orbem
Lactucæ, fœni, viciæ, lentisque, thymique,
Et quot alunt horti, montes, ac florida prata:
Nec tamen herbarum toto viſuntur in orbe
Innumeræ ſpecies, quibus exornata niteſcit,
Temporibusque ſuis veſtit ſe dædala tellus.
Perpaucis ut verba ſonis diverſa creantur,
Per cœtus populorum, & poſſunt plura creari,

Ac

Ac prodire novis hominum ſermonibus, etſi
Necdum ſunt, nec forſan erunt. Sic tibia cantus
Omnigenos tibi parva dabit: ſic fiſtula Fauni,
Diſparibus tantum ſeptem compacta cicutis.
Sic, dum preſſa gravi ſignatur pagina prælo,
Qui foliis inventa ſuis aliena propagant,
Bis duodena ſibi ſcripturæ elementa legendæ
Uſurpare ſolent, totidem diſtincta per arcas;
Quadratis donec veniant digeſta tabellis,
Unde leves atrata bibunt veſtigia chartæ.
Ut variis repetita modis, ac ſæpe recurrens
Innumeras eadem componit littera voces;
Concentus ſic per varios, nexusque jugales,
Paucæ perficiunt opera infinita figuræ.

Quod ſi ita diſſultant atomi averſæque recedunt,
Ut nihil arripiant, & vincla injecta recuſent
Diſcordes, nullum inde poteſt coaleſcere corpus.
Hinc odia & lites; hinc rixæ & jurgia. Verum
Si faciles primo contactu fœdera jungunt,
Naſcitur extemplo nova res, & in orbe renidet;
Ac ſpecimen certum concordis habetur amoris.
Jam ſi diſſiliunt partim, partimque cohærent,
Atque intercepti connexæ forte relinquunt
Plusve minusve loci, mollis vel dura oritur res,
Aut levis aut gravis, aut liquens, aut mole ſua ſtans.
Ramoſis e principiis quæ corpora caſus
Texuerit, ſi ſint arcte compacta, rigeſcunt;
Si laxe, minimo videas lenteſcere motu.
Sic ex hamatis fieri contingit acerba;
Dulcia ſed fiunt ex levibus atque rotundis.

Nec prætermittam quo motu hæc omnia fiant.
Nempe graves atomos ferri omnes ſponte deorſum
Edocuit, celereſque pari deſcendere lapſu:
Cum gravium caſus interſita ſola morentur;
Nil autem occurrat medium, per inane, quod obſit,
Ergo atomus præceps venit e regionibus altis;
Cumque in diſſimilem ruit offenditque cadendo;
Si renuat jungi, ſubito reſilire coacta
Tollitur in ſuperas, unde illuc venerat, oras:
Altera donec ei ſe tandem adjungere poſſit.
Sic Solem, Lunam, & quæ paſcit vividus æther
Sidera, ſive ſuis radiis immota coruſcant,
Sive repercuſſo palantia ſole refulgent,
Partus fortunæ varios, ludibria caſus,
Strenuus inventor, nata & concreta ferebat:
Sic terras etiam, ſic undas, aëra & ignem,
Fructus omnigenos, homineſque feraſque Deoſque:
(Nam ſinit ille Deos, pecus immortale, putari,
Dummodo poſſe nihil, nihil & curare putentur)
Hinc animos hominum, ceu corpora cetera naſci
Atque mori; nec materiæ, nec motibus ullum
Eſſe genus cauſæ, poſſit quæ jure timeri.

Eſt operæ pretium, Quinti, myſteria tanta
Scrutari pedetentim; illaſque evolvere cauſas,
Quæ per ſe ſtantes, Epicuro judice, Numen
Funditus excludunt. Etenim, ſi vera profatur,
Non eſt ut trepides vano terrore Tonantis;
At ſi falſa, Deum credas timeaſque neceſſe eſt.

Primum oro obteſtorque, velis advertere mentem,
Quanta Neoclidæ ſapientis, quo duce pugnas,

In

In detrectandis fuerit fallacia divis.
Proh dolor! Hoc cives potuit deludere fuco!
Scilicet ille Deos non auſus pellere Athenis
(Socratis injuſta nece, Protagoræque recenti
Territus exilio) tamen ut re tolleret ipſa,
Ridiculos fecit; rerum quæcunque geruntur
Immunes, etiam ignaros; procul omnibus orbis
Partibus extorres; tantum intermundia quædam
Incolere, atque illic æterna per otia lætos
Vivere permiſit, regionis inanis inanes
Indigenas. Verum ne quis cum plebe putaret,
Hæc illi perſuaſa animo, prout ore ſonabant:
His ſuper exulibus quæ non pugnantia dixit?
Mitto deſidiam & languens ſine viribus ævum.
Sed nihil eſſe poteſt in toto, præter inane
Atque atomos. Atomis & inani ſingula conſtant.
Singula propterea fiunt pereuntque viciſſim,
Quod veniant atomi ſemper, ſemperque recedant.
Dic, Epicure, mihi; qualis natura Deorum eſt?
Ex atomis? Ergo non immortalis. Inanes
Te voluiſſe Deos igitur fatearis oportet.
Cumque dares illis non corpus, ſed quaſi corpus;
Et plenas humore ſacro, quaſi ſanguine, venas;
Et formam humanæ ſimilem, ſubleſtaque membra
Has te non puduit populis obtrudere nugas?
Porro, utcunque Deos Epicurus noverit, eſto.
Saltem divinæ vel ſunt ſine corpore mentes;
Noſtraque mens adeo ſine corpore ſtare valebit:
Vel ſunt corporeæ, tamen immortale per ævum
Duraturæ; igitur mens immortalis & eſſe
Noſtra poteſt, quamvis conſtaret corpore. Cernis

Quam male graius homo doctrinæ arcana nefandæ
Diſſimulet, propriique operis fundamina ſolvat.

Jam vero hoc ſpatium quod, eodem judice, per ſe eſt,
Hoc vacuum, ſine quo ſuaſit nil poſſe moveri,
In quo materies, inquit facienda fuiſſet,
Si poſſet fieri quondam, nec ſtaret ab ævo:
Iſtud inane quid eſt? Si per ſe corporis expers,
Tempore ſi nullo finitum, limite nullo
Vallatum, nullis variabile motibus, ac ſi
Eſſe ſuum e propriis Naturæ viribus haurit:
Aut Deus, aut nihil eſt. Etenim, cum maxima certe
Argumenta Dei jam confitearis in illo,
Et ſolæ deſint ipſi mens atque poteſtas:
Cur deſint, ego nec video, nec dicere poſſis.
Quidquid enim per ſe eſt, quale eſt, tale eſſe neceſſum eſt;
Atque adeo ſic eſt, quia ſic non eſſe repugnat.
Ergo ſi ſpatium per ſe ſe dixeris eſſe,
Per ſe infinitum, per ſe immutabile dicis,
Per ſe mente carens, ac per ſe viribus orbum.
Eſſe igitur debet ratio certiſſima quædam,
Cur infinitum, immenſum, immortale, quieſcens,
Dotibus haud valeat tantis conjungere mentem,
Atque poteſtatem; per ſeque quod obtinet ut ſit,
Per ſe anima careat, nec vi quoque polleat ulla;
Sic, ut mentem illi, vel vires eſſe repugnet.

Quæ tantum, ni fallor, abeſt ut juncta repugnent,
Ut potius rear inter ſe non poſſe revelli.

Nam

Nam quidquid per ſe eſt, infinitum eſſe neceſſe eſt,
Omni parte ſui penitus, nec tempore tantum
Atque loco, ſed & omnimodis; cunctaſque profecto
Quotquot ſunt, aut eſſe queunt, comprendere dotes.
Illius eſt natura ut ſit; quodcunque per orbem
Eſſe poteſt, ipſum eſt, aut derivatur ab ipſo.
Quænam erit hæc igitur peregrina, vel intima cauſa,
Quæ rem infinitam reſtringat finibus ullis?
Nonne homini mens eſt aliqua, & vis inſita quædam?
Aſt homo non per ſe eſt: & quod per ſe eſſe fateris
Atque infinitum, ſine vi, ſine mente putetur?
Elige. Si ſpatium per ſe eſt, Deus ipſe profecto eſt
Si Deus eſſe nequit, nihil eſt, aut corpus idipſum eſt.
Eſſe negas corpus; nihil eſt. Quodcunque lubebit
De nihilo dicas, hoc de ipſo dicere inani
In promptu eſt: Atomos tollas, ac reſtet inane;
Reſtabit nihil. Ex atomis quodcunque lubebit
In vacuo facias, fiet quoque ſemper idipſum
In nihilo. Vacuum fateor non eſſe creatum:
Quidquid enim nihil eſt, per ſe nihil eſſe neceſſe eſt.
Immotum & cunctis æque eſt penetrabile rebus;
Namque repugnaret, quod non eſt, poſſe moveri,
Aut motis obſtare. Etiam immortale fatebor;
Nam qui deſineret, quod nunquam cœperit eſſe?
Immenſum hoc ſenſu; menſura nam caret omni,
Quod nihil eſt. At tu pugnas tecum ipſe, Lucreti,
Cum ſtatuis, magni tenebroſo in gurgite inanis
Currere præcipites atomos, atque ima petentes.
Nam ſpatii immenſi quænam ſint ima? Repulſam
Deinde pati, & revocare gradum, atque ad ſumma reverti;

Nam ſpatii immenſi quænam ſint ſumma? Negaſti
Quodlibet in vacuo centrum, dextram atque ſiniſtram,
Et rides, qui dant finem & quaſi mœnia mundo:
Nonne meo potius digna eſt ſententia riſu,
Quæ ſuperas partes immenſo fingit & imas?
Dicere nec poteris fundi ſeu culminis expers,
Cui fundum, culmenque, & tot tabulata dediſti.
Ni fallor, ſunt hæc urgentia tela; ſed iſtud,
Si potes, inflexo declina corpore telum.
Ecce atomus venit e regionibus infinitis;
Hanc intercipias, quæſo, jubeasque reverti
Unde venit: quanto intervallo temporis illuc
Perveniet? nunquam, dices, quia tempore nullo
Exſuperare poteſt ſpatia infinita viarum.
Non ſuperare poteſt? ergo nunquam exſuperavit;
Cumque huc appulerit, ſpatia hæc finita fuerunt.

At vero locus ille vacans, quem ſemina rerum
Haud bene juncta ſimul, velut arcto in carcere claudunt,
Captivumque tenent, pars eſt totius inanis;
Aëris ut pars eſt aër concluſus in antro.
Pars ea ſecreta eſt aliis, penituſque remota,
Quas aliæ claudunt atomi: ergo partibus extra
Se poſitis conſtat vacuum; ergo corporis inſtar
Omnino eſt: imo ſi res eſt, corpus idipſum eſt.
Quidquid enim e multis conſtabit partibus, illud
Corpus erit. Quod ſi vacuum ſine partibus eſſe
Dixeris, haud ſpatium eſt; ſpatii nam ſegmina plura
Tota geometrice diſtinguit, & id ſtudet unum,
Menſuram ut ſpatio, & reſpectus mille figuris

Inveniat, ſcindens partes & partibus æquans;
Quas tu, ſi vacuò tollas, nihil eſſe fateris:
Et, ſi concedas, etiam fatearis oportet
Ordine diſtingui & cunctas conſtare ſeorſum.
Nam quæ ſolis habet corpus, non eſt ea certe
Quæ terras, aut lunam, aliud vel continet aſtrum:
Et quæ læva mihi, non eſt ea quæ mihi nunc eſt
Dextera. Cuique ſua eſt ſtatio & ſtationis origo,
Atque loci cauſam proprii locus ipſe requirit.
Quapropter vellem adſtrueres, quæ cauſa tot inter
Diſcretas ſpatii partes, elegerit uni
Cuique locum: ut variis variæ regionibus omnes
Conſidant; & finitimis jungantur, & abſint
Longinquis. In materia par cernitur ordo;
Cujus ego pariter cauſam abs te aliquando requiram.

Quod ſi natura talem contendis ubique
Partibus eſſe ſitum; ſitus ergo (cerne quid auſis)
Non jam ex eventis rerum, natura ſed ipſa eſt:
Nec magis a rebus, quam natura ipſa revelli
Usque poteſt. Falſum hòc demonſtrant omnia paſſim
Corpora; demonſtrant atomi, quibus hæcce vèl illa
Nil quod naturæ eſt adimit poſitura, vel addit.
At ſi materiæ per ſe pars nulla repoſcit
Hunc aliumve ſitum, nativo cur ſibi jure
Hunc & non alium ſpatii pars obtinet omnis?
Immotas, equidem novi, tuus ille magiſter
Vult ſpatii, non materiæ, conſiſtere partes.
Vult ſpatium per ſe quale eſt; at corpora caſu
Condita per motum, quo ſemina juncta cohærent.
At vero gratis hæc, & ſine vindice, dixit,

Ut permulta, vafer; quæ nec ratione probavit,
Nec ſine doctrinæ potuiſſet omittere damno.
Tantus eum tenuit delendi Numinis ardor!
At ſpatium hoc ipſo, per ſe non eſſe, revici,
Quod per ſe non ſit quale eſt: ac proinde roganti
Danda mihi ratio eſt, cur ſic ab origine prima
Diſpoſitæ fuerint partes illius, ut eſſe
Diſpoſitas nunc vis; cur quæ mihi dextera nunc eſt,
Non ſit læva. Deum facto qui denegat orbi,
Non habet unde rei poſſit depromere cauſam.
Quippe aliter poterant ſpatii conſiſtere partes,
Incolumi ſpatio. Modus eſt: ubicunque fateris
Eſſe modum, certe moderantem hic eſſe fatendum eſt.
Hinc ſequitur ſpatium, ſi quidquam eſt, eſſe creatum;
Et cauſæ majoris opus, cauſæ omnipotentis.

Verum, ais, ut numeri ſunt fixa elementa, neque ullum
Expungi valet, aut innata ſede moveri;
Sed cui nomen erit ſeptem, ſex inter & octo
Ex ſe naturaque ſua perſtare neceſſe eſt:
Temporis ut per ſe ſuus eſt quoque partibus ordo;
Nec lux heſternam prævertere craſtina lucem,
Aut hodierna poteſt: Vacuum ſic omne quieſcit;
Naturaque ſua tale eſt, quale eſſe videmus.

Recte cum numero ſpatium, & cum tempore confers:
Sunt etenim, veluti viſum eſt mihi ſemper, eodem
De genere; aſpectus rerum, & mera nomina, non res.
At ſpatium, tu rem per ſe ſtantem eſſe volebas,
Et diverſam a materia penitusque ſolutam,

Immo-

Immotam, æternam, cujus penetralia corpus
Occupet, atque omni valeat pervadere motu.
Quin hæc de numero, quin hæc de tempore dicis?

Sed numerus nihil eſt in ſe, niſi copia rerum,
Cui partes individuas, atque ordine certo
Compoſitas damus; ut cernendi regula vera
Sit nobis, quoties unum addere ſæpius uni,
Et ſummas placuit collectas addere ſummis.
At quoniam ille modus res æque adhibetur ad omnes,
Sive ortæ jam ſint, ſeu quondam ſint orituræ;
Creditur eſſe aliquid, quamvis re ſit nihil ipſa.
Ingenium huc etenim noſtrum delabitur ultro,
Communis rerum ut ratio, res eſſe putetur.
Hocce modo ſpatium tu rem veram eſſe putaſti,
Quinimo rem magnam, infiniteque patentem;
Corporibus cunctis ſpatium quod ineſſe videres.

Sic fugiens ac perpetuo reparabile tempus,
Quo non viſa prius veniunt ad luminis auras,
Quo monumenta ruunt, populi labuntur & urbes,
Dum ſeipſum renovat, nullaque ætate ſeneſcit,
Falcigerum fecere patres, ac prolis edacem
Saturnum. Hoc autem rebus diſtinguere ab ipſis
Si cupias, nihil invenies; quanquam omne per horas,
Perque dies, annosque & ſæclis addita ſæcla
Metimur tempus: nam res diſtinguimus ipſas,
Dum ſervant illæ motum placidamve quietem,
Ac non deficiunt. Cum vero ſemper eandem
Participent maſſam redivivi temporis omnes,
Id quod participant, ſive una, ſive ſeorſum,
Æternum immenſumque aliquid per ſe eſſe videtur:

Ceu grandis rota, volvendo quæ plurima ſurſum
Extrahit, ac deorſum volvendo plurima trudit:
Aut ingens fluvius quo partim littora circum
Fœcundata nitent, partim corroſa fatiſcunt.
At ſi res eſſet, quando fluxæ illius omnes
Particulæ pereunt ſimul ac venere, nec una
Stant unquam, aſt abigunt ſe ſe excluduntque viciſſim:
Certe, quod refugis, ſemper res illa veniret
Ex nihilo; in nihilum ſemper collapſa rediret.
Quod nimis a recta quoniam ratione vagatur,
Hoc etiam atque etiam teneas, nihil eſſe reapſe
Temporis atque loci, ſpatium quodcunque vocamus;
Sed tantum in noſtra conſiſtere mente, merosque
Ingenii, quorum natura eſt inſcia, partus,
Si res nulla foret, nec tempus, nec locus eſſet.
Tempus uti mutabilium conſtantia rerum eſt;
Impenetrabilium locus eſt diſtantia rerum.
Sed nihil a rebus differt diſtantia rerum;
Ut nihil a rebus rerum conſtantia differt.

At cujusque rei locus a re diſcrepat ipſa,
Continuo dices: nam corpus tollere promptum eſt,
Interea remanente loco qui corpus habebat.
Nequaquam. Verum idcirco remanere videtur
Corporis ablati locus is, quia quæ prius illud
Cingebant, illo non ſunt abeunte remota.
Verus at ipſe locus, ſpatium ſeu corporis ipſum
Non manſit, fugiente ſimul cum corpore fugit.
Si locus interdum re ſumitur absque locata,
Tunc intelligitur tantum vicinia rerum,

Quæ perſtant in circuitu: ceu fluminis alveus
Decurrentis agros inter ripasque manentes.
Sic vagina locus gladii, craterque liquoris
Dicitur. Atque adeo vox eſt, qua nempe ſolemus
Declarare ſitus rerum; atque ubi quæque ſit, illic
Non ſimul eſſe aliam. Sed fruſtra quæritur, an ſit
Ambitus ipſarum rerum locus; an cava forſan
Illa ſuperficies, quæ corporis extima tangit;
Aut intermedium quiddam ſine nomine vanum:
Res eſt ipſa, ſua quæ circumſcripta figura eſt.

Sed quoties vacuum a natura corporis omni
Secernis, corpus pariter facis; addere poſſem
Et ſolidum, quamvis vanum ac penetrabile dicas.
Nam tibi ſexcentas atomos aut collige plures,
Quas ita diſponas, ut conglomerentur in orbem,
Atque locum in medio vacuum teretemque relinquant;
Quales, conflictu pluviæ labentis in undam,
Cernimus attolli tenues ſuper æquore bullas:
Cum ſphæræ in faciem clauſum hoc conſiſtat inane,
Quolibet a puncto deduci linea recta
E regione poteſt ad punctum quodlibet; ergo
Per centrum toties tranſibit, & angulus inde
Plurimus exiſtet. Metiri ſic licet una
Cum ſolido vacuum; longe, late atque profunde
Extenſum invenies, propriaque inſigne figura,
Qualem atomi dederint, quibus eſt circum undique cinctum:
Area quadrati velut eſt quadrata; rotundus
Ut quoque ſit poſitus liquor in cratere rotundo:

Ergo corpus erit. Nam quoquoverſus habebit
Dividui naturam, & corporis appendices.
Nempe tibi radios in eo ſignare licebit
Atque ſuperficies, & ſphæram æquare cylindro.
Quidquid Carteſius, Bernulli, Leibnitiusque
Tradiderint, poſt Hippocratem Euclidemque magiſtros,
Quæque Syracoſia ſunt demonſtrata matheſi;
Hæc eadem oſtendes illic, & certa probabis.
Ac velut innumeras condenſo in marmore conſtat,
Permixtasque ſimul rerum omnium ineſſe figuras,
Quæ ſcalpro educi poſſunt oculisque videri,
Saxea ſuſtulerit quoties velamina ferro
Docta ſecare manus lapidem ac reſcindere gibbos:
Haut aliter ſpatii moles, quam dicis inanem,
Continet in gremio rerum ſimulachra, tametſi
Tantum oculis animi, non corporis innoteſcant.

Imo, particulas ut materiæ eſſe probabo
Dividuas, ſpatii tales fatearis oportet.
In ſpatio pars nulla poteſt ſic parvula fingi,
Quæ non vicinas, quibus undique cingitur, omnes
Contingat: dextram tangit ſimul atque ſiniſtram;
Inter utramque jacet media, & discludit utramque.
Ergo ni cunctas libeat confundere, duplex
Præbet utrique latus, ſuperis quoque præbet & imis:
Quotque in circuitu ſocias habet, ecce tot illi
Sunt latera. Hoc vero ſtupeas: quot ineſſe minutæ
Particulæ ſpatii partes tibi forte videntur?
Innumeræ. Centro fingas telluris ab imo
Filum ære aut ferro directum ad ſidera duci

Per

Per medium ſolis corpus, paulumque moveri,
Sic, ut ſummus apex atomo non amplius una
Excurrat: (ſpatii minimas hoc nomine dicam
Particulas) motu hoc pars omnis concita fili,
Quam longe extenſum eſt, at non æqualibus ibit
Momentis: etenim velox minus inde futura eſt,
Quo magis eſt centro terræ motusque propinqua;
Et multo breviora quidem ſub corpore ſolis,
Quam ſupra ſolem ſpatia explebuntur, & infra
Decreſcent ſemper, fientque minora gradatim;
Et tandem minima in telluris partibus imis.
En tot habet partes atomus peragrata ſuperne,
Quot ſunt illa viæ toto diſcrimina filo.
Quid? ſi nullus erit finis, tantumque minutam
Produces fili ſeriem, quantam eſſe putabis
Vim ſpatii; qui limes erit, quæ pauſa ſecandi?
Materiem a ſpatio quis jam diſcernere poſſit?

Impenetrabilitas, inquis, quam corpora ſervant,
In vacuo non eſt. Imo eſt; eademque profecto.
Confundi partes vacui non poſſe fateris;
Nam ſi confundas, punctum redigentur in unum,
Extenſique nihil, ſpatii nihil inde futurum eſt:
Non poſſunt igitur ſe ſe penetrare viciſſim.
Corporibus penetrantur, ais. Penetrantur inani
Corpora; num dices ideo penetrabile corpus?
Quidquid habet certo ſejunctas ordine partes,
Quarum aliæ diſtent aliis, quantumlibet illud
Alterius res naturæ pervadere poſſit,
Impenetrabilibus compingitur ex elementis.
Quare pro nihilo ſpatium, aut pro corpore ſumas.

Et certe ſpatium nihil eſt, niſi corporis ipſa
Menſura. In rebus quamvis nullum eſſet inane,
Materies conſtare tamen, te judice, poſſet:
Nam ſunt naturæ duplices, quarum utraque per ſe eſt:
At ſpatio ſine materies conſtare nequiret:
Per ſe ſe quia materies extenditur omnis;
Et ſpatium res omnis habet, quæ extenditur. Illud
Non habet a vacuo, quod conſtet partibus æque
Impenetrabilibus: ſpatium ergo poſſidet in ſe
Materies aliud vacuo; quodque ipſa teneret
Per ſe, vique ſua, ſublato prorſus inani.
Si vero præter ſpatium, quo prædita ſemper
Materia eſt, aliud jungas quod inane vocabis;
Jam duo ſunt ſpatia. Alterutrum excludatur oportet:
Nam fruſtra venit, & res eſt temere addita rebus;
Ex qua materiem ſi quis tibi diceret ortam,
Protinus, e nihilo quia tunc foret orta, negares.

Si vis exemplo dignoſcere quid ſit inane,
Aſpice menſuram fugitivi temporis, albo
Pariete ſignatam; pictis ubi ductibus horæ
Nigreſcunt, & juſta per intervalla notantur.
Cernis ut adverſo conſperſam lumine ſolis
Planitiem, gradiens porrectæ cuſpidis umbra
Percurrat: credas ferro deſcendere opaco
Fuſci aliquid ferro ſimile, obſcurumque colorem.
Umbra tamen nihil eſt, mera tantum abſentia lucis,
Quam recta venientem, illas acus obvia partes
Parietis illuſtrare vetat, quibus imminet: unde
Parva fit eclipſis, motus nota certa diurni.

Sed

Sed niſi ſit ſpatium & diſtinctum a corpore, dices,
Regula menſuræ nulla eſt; neque corporis unquam
Indubitata poteſt moles alicujus haberi:
Et, ſi revera fixum atque immobile non eſt,
Exemplar veræ jam deficit omne quietis,
Quicum collatus queat innoteſcere motus.
Nulla capi poterit diſtantia certa locorum:
Mutabuntur enim ſemper; nec terminus ille,
A quo diſcedunt quæ corpora cunque moventur,
Certo apparebit, veluti nec terminus alter
Ad quem perveniunt. Id ineluctabile ducis,
O Quinti, vanum tamen eſt, paucisque refellam.
Corporibus cunctis tu certam adſcribere molem
Tentares fruſtra. Quæ nobis parva videntur,
Convexo tranſpecta vitro majora pateſcunt;
Viſa microſcopio creſcunt iterumque iterumque:
Linea fit digitus, vel pes, prout vitra ſecantur.
Unum etiam in cœlo ſidus perſæpe videre eſt,
Quod teleſcopio duplex reperitur: & ambo
Sidera cæruleus diſtincte ſegregat æther.
Miſcuerat ſtellas diſtantia corpus in unum,
Miſcuerat pariter ſpatium. Proſpectus ut omnes
Contrahit effigies rerum aut producit, eodem
Omnino ritu ſpatii ſimulachra. Quid ergo
Menſuram ſpatio tentas adſcribere certam,
Quæ nec materiæ eſt?. Metiri ſenſile corpus
Per ſpatium, res eſt inſulſi plena laboris.
Qui magnum in ſeſe aut parvum quæſiverit, errat;
Inveniat certe nusquam, niſi conferat una
Cum ſpatio ſpatium, corpus cum corpore; majus
Tunc demum atque minus liquido reperire licebit.

Haud aliter varii per concita corpora motus
Ut dignoſcantur, nulla ratione neceſſe eſt,
Fixas in mundo & ſtabiles conſiſtere metas:
At ſatis eſt poni ſola vi mentis, & illa
Non mutare locum inter ſe, quæ proxima circum
Verſantur; licet ipſa locum ſimul omnia mutent.
Ambulat in navi puppim proramque viciſſim
Nauta petens; greſſus totidem ſimilesque profecto
Sunt, ſeu navis eat propulſa faventibus auſtris,
Seu maneat deſes, ſeu convertatur in orbem.
Ad navim referas greſſus; ſunt unius omnes
Menſuræ, pariter procedunt ordine recto:
Ad pelagus referas; nunc recti, nunc quoque curvi,
Nunc & producti, nunc retrogradi eſſe videntur.
Quod ſi præterea terram tu rere moveri,
Tunc alias illis menſuras atque figuras
Attribues. Verum ſine tot reſpectibus, illos,
Quales nauta creat, tales cognoſcere promtum eſt.
Nil igitur ſpatium refert immobile poni.

Jam tibi compertum eſt, quid inanis nomine tandem
Signetur: nempe eſt abſentia corporis omnis,
Quam ſibi *Phantaſiæ* fingit fallacia noſtræ;
Mens quoties non rem, ſed rerum prorſus inanes
Contemplata modos, una in ratione moratur
Extenſi; non extenſum conſiderat ipſum:
Haud ſecus ac numeros, & ſenſim labile tempus;
Queis non ulla viget natura, nec ulla ſubeſt res.
Inde receptaculum cunctis exiſtimat ultro,
Corporibus commune dari; quia perſpicit, illic
Nunc ubi corpus adeſt, aliud potuiſſe reponi.

Nimi-

Nimirum illud *ubi* ſecretum a corpore quovis,
Immotumque putat, dum corpora cuncta moventur:
Tanquam debuerit fabricator ſtrenuus orbis
Quærere ponendis loca primum commoda rebus,
Et ſtatuenda prius fuerit rerum area, quam res.
Hoc molitur opus ſibi mens, hoc adſtruit orbi:
Nec rerum locus a rebus mage diſcrepat, ipſa
Quam moles. Suus ergo ſibi ſunt corpora fundus:
Reſpectus non res ſpatium eſt. Sic annulus omnis
Poſſidet in medio proprium atque immobile centrum,
Semper idem, ſemper medium, quocunque feratur.
Quid vero eſt centrum hoc? An res eſt priva, quieſcens,
Per ſe ſtans? Minime. Locus eſt, quo ducere ab ora
Si lubeat radios, æquales eſſe videbis.
Talibus e loculis ſpatium immortale, quietum
Conflatur. Sunt hæc vacui fictitia membra.
Commentum eſt igitur, quod tanti ducis, inane,
Magnificumque nihil: quo dum ſua corpora doctor
Atticus infercit, fieri qui poſſe negabat
Ex nihilo quidquam, nihilis nugacibus implet
Omnia: dumque atomis vacuum immiſcere laborat,
Immiſcet nihil, ac nolens facit omnia plena.

Sunt qui materia ſpatium diſcludere certant,
Quanquam utriusque Deum ingenue cauſam eſſe fatentur.
Miror ego illuſos Epicuri fraude, doloſus
Qui vacuum inſtituit, vacuo ne cauſa daretur;
Et, quibus eſſe probat ſpatium, probat eſſe neceſſum.
Dicit enim: Spatium omne Deus ſi quando creaſſet
E nihilo, partem in nihilum dimittere poſſet,

Stan-

Stantibus interea reliquis; hoc denique facto,
Accidet in vacuo vacuum, & fodietur inane.
At vero ſpatii quæ pars deſtructa putatur,
Non periit: ſiquidem plane una eademque remanſit,
Servatas inter ſpatii diſtantia partes,
Quæ prius, atque ideo ſpatium: quod proinde reverti
Si nequit in nihilum, e nihilo prodire nequivit.
Sic dum tu vacuum, pellax Epicure, tueris,
Eſſe negas vacuo cauſam; gaudesque malignus,
Omnem operam divis adimendo, tollere divos.
Tun' adeo dignus, quem tantum Numinis hoſtem,
Gaſſendi ingenium ſolers, multique recentes,
Pectore qui caſto numen coluere, ſequantur?

Attamen objiciunt: Si jam Deus aëra vellet
(Velle poteſt) hujus cellæ evaneſcere totum
Protinus, ac nihilo, cella ſed ſoſpite, reddi;
Nonne locus cellæ interior, ſupereſſet inanis?
Nequaquam. Spatii nam ſi penetrabilis æque,
Ac pleni Deus eſt opifex, diſperdere corpus
Ut potis eſt, potis eſt etiam diſperdere inane.
Deſtruat: en vobis veſtra hæc objecta repono:
Quid de parietibus fiet? quodcunque futurum eſt
Aëre ſublato, id ſublato fiet inani.
Propterea, qui nunc aër diſterminat oras,
Si totus pereat ſuffecto corpore nullo,
Tunc ſpatium quod erat, jam non erit amplius, etſi
Fingitis eſſe ſuper; ſed cum pereunte peribit
Corpore conſumtum; ut conſumta re numerata,
Nemo eſt, qui numerum dicat ſupereſſe. Quid ergo
Oras inter erit? Nihil, inquam; atque hoc nihil ipſum

Quod

Quod foret, abſumente Deo ſpatium illud inane.
Verum oræ non ſe tangent, hic Lockius inſtat;
Dividet oppoſitas eadem diſtantia moles,
Quæ prius: immotas etenim perſiſtere dictum eſt.
Aſt etiam id dederat, ſpatium ipſum poſſe revelli:
Si ſpatium non intererit, nihil amplius ergo
Intererit. Dices; nihil hoc vacuum eſſe futurum.
Aut igitur vacuum penitus nihil eſſe fateris;
Aut ſi vis aliquid, ſimul & dabis eſſe neceſſum.
Ergo vel ſpatium tolli non poſſe, ſupremi
Numinis arbitrio, vult Lockius, atque Epicuro
Conſentit, paribusque volens proſternitur armis;
Vel, ſi conſentit nobis, temere iſta docebat.

Nec tibi propterea, vano hoc phantasmate pulſo
Funditus, hinc ægre videantur poſſe moveri
Corpora. Nam liquidi ſemel, in quo cuncta moventur,
Si bene naturam perſpexeris, ilicet omnis
Ante oculos motus; ratio manifeſta patebit.
Quippe volubilibus liquentia corpora conſtant
Partibus, ac terſa circum undique fronte politis.
Nullaque, vel certe minima eſt, quæ vinciat illas,
Copula; ſed leves præterlabuntur eundo:
Lubrica quandoquidem latera, ac detrita volutant.
Altera materies liquidis ſubtilior ipſis
Intervalla tenet, citus ac diffuſilis æther.
Sit nunc te monſtrare ſatis: celebrabere quondam
Fuſius, o noſtra toties dicenda Camœna,
Vivida materies; qua permanante geruntur,
Late convexo quæ fiunt omnia mundo.
Hac perfuſa, ſimul magis ac magis undique fluxa

Corpora redduntur, flectique & cedere promta;
Cum levibus primum fuerint exercita plagis.
Illinc mobilitas in partibus. Aſt ubi merſum
Quodlibet in fluido corpus transfertur, ab una
Sede aliam verſus, ſimul hanc ut deſerit, illam
Occupat; & puncto fit utrumque in temporis uno.

Rem res dum pellit, quæris, quo pulſa recedat?
Huc ubi erant aliæ, quas expulit ipſa viciſſim:
Hæ quoque propulſant alias, iſtæque recedunt
Huc ubi erat pellens, aut illi proxima. Qualis
Dum ſtabilem circum rota fervida volvitur axem,
Trochlea ſeu fluxos effundit ſtridula funes,
Pars partem ſequitur, vacuo ſine; nec prior ulla eſt,
Quam non poſterior junctim premat, inque ſequatur.
Non alia eſt liquidis ratio, ſeriesque movendis.
Nam licet haud ea ſit conſtantia partibus, atque
Inteſtina quies, duro quæ corpore perſtat;
Nulla tamen ſine finitima tangente profecto eſt,
Aut hac, aut illa, qua prætereunte teratur.
Nec ceſſant in perpetuo contagia motu.
Principiis quippe in ſolido ſitus unus & idem
Permanet; in fluido mutabilis & vagus errat:
Hæc genera inter ſe haud alio diſcrimine pugnant.

Aſpice, ut erecto ſtet lympha incluſa canali,
Quam ſubtus retinent poſtes. Si quando recluſis
Laxetur valvis, ſubito fluit acta ſuopte
Pondere præcipitans. At non erumpit ab imo,
Quin delapſa ſimul tantum decreſcat ab alto
Vertice, deſcendatque humentis maſſa cylindri.
Aëris huic autem propius conjuncta columna,

Quam

Quam ſibi cedentem proporro ſublevat humor,
Tollitur aſcendens juxta, ſeque ipſa relictum
Deprimit in ſpatium, quo decidit unda reſidens,
Non intermiſſo contactu: ſeque viciſſim
Et latices infra ſupplent, & deſuper auræ.

Sic pulſo ſemper locus eſt, ſpatiumque liquori,
Quo ſe ſe, priſca ejectus ſtatione, receptet.
Nec momentum horæ eſt, quo non ſit tota relicti
Area plena loci: quia non ſuccedere ceſſant
Contiguæ partes, quas corpus mobile trudit.
Hoc pacto baculum ſi propulſaveris, una
Parte movens, ibit ſimili pars altera greſſu.
Haud aliter funis longe porrectus, ab uno
Si capite excutitur, paulatim ſubſilit omnis,
Et flexu curvos imitatur mobilis angues.
Contortusque chalybs jugi vertigine thecam
Exagitat; duplici ſuſpenſam cardine cogit
Circumagi preſſo latere intus, & omnia junctim
Inſtrumenta movet; quia ſtricte cuncta cohærent
Unde fit impulſus nunquam diſciſſa propago.
Jam quæ de toto liquidorum corpore dixi,
Hæc de principiis liquidorum intellige & ipſis.

Novi equidem, quicunque volunt (in verba magiſtr
Nam jurant) primas per ſe conſiſtere partes
Materiæ ſolidas, immortaliſque figuræ,
Et tamen abſimiles, velut ipſe Lucretius, illos
Nec ſolidi motum in fluido, nec particularum
Inter ſe fluidi, quamvis tenuiſſima quæque
Ponatur, quovis animi comprendere niſu;
Ni vacuum fingant. Namque omnia corpora condunt

Talibus ex atomis, quæ, dum in diverſa vagantur,
Deſtitui ſpatio nequeant; ſemperque neceſſe eſt,
Ut variæ linquant varia intervalla figuræ,
Corpus ubi nullum eſt, aiunt. Quod linquitur ergo
Et vacat, hoc nihilum dici, ſpatiumve, locumve
Non refert; ſatis eſt linqui, penitusque vacare.

Haud mirum, e falſo ſi plurima falſa ſequantur.
Sed, quod materiæ naturam hanc, ſive figuras
Attinet (in quo uno totum fundatur inane)
Id non rejicio tantum, ingeniique doloſi
Commentum affirmo; faciam, convictus ut ipſe
Rejicias: ubi nempe atomos, & corporis ortum
Exſequar. Interea, quid ſit puriſſimus æther,
Quoque modo partes liquidorum interfluat, audi.
Hujus particulæ non ſimplicitate rigentes
Æterna, non duritie, velut ante putabas,
Unius aut formæ ſemper molisque tenaces;
At levitate ſua, motusque labore perennis
Dividuæ, frangi faciles, iterumque coire,
It quocunque loco quamcunque capeſſere formam,
Non ullo quamvis interpungantur inani,
Usque valent omnes penetrando implere lacunas;
Quinimo impediunt, ne poſſint eſſe lacunæ.

Ceu globulos una ſi quis congeſſit eburnos,
Semina triticea, aut chalybis ramenta, vel æris,
Interjecta videt loca paſſim tenuia, quo non
Et rigidis aditus; verum facile influet omnis
Infectus liquor, atque ſinus penetrabit hiantes.
At horum angellis non ſe inſinuaret acutis,
Si formam globuli ſervarent prima liquoris

Semi-

Semina; ſed jaculi ſeſe in pungentis acumen
Producunt, modulos & componuntur ad omnes:
Flexibilis quaſi cera cavo compreſſa ſigillo.
Sic ubi Grajugenum veſtigia docta ſecuti
Sculptores altis excudunt ænea ſigna
Porticibus, ſimulacra ſolent effingere primum
In gypſo, ceraque linunt: hinc tota madentis
Argillæ maſſa tumulant; ſparſimque relicto
Tramite perfundunt liquefacti fonte metalli:
Cera fluit; ſequitur fugientem torridus humor;
Et frontem Alcidæ, nervoſaque membra capeſſit.

Ergo vices vacui peragit ſubtilis abunde
Materies; quæ dum ſpatiis ſe accommodat æquis,
Aſpera particularum inter, facilique receſſu
Pulſanti minus obſtat, idem eſt, ac ſi nihil obſtet:
Quidquid enim minimum eſt, nihili tandem inſtar habetur.
Illapſis adeo ſaxis licet unda reſiſtat,
Attamen illa cadunt; quoniam minus unda reſiſtit,
Quam premitur. Sic cedit aquis labentibus aër,
Quas paulum repulit. Sic nunquam præpedit æther
Aëra, quin deorſum tendat, ventiſque feratur.

At ſi totum, inquis, plenum eſt & inane negatur,
In cubico pede materiæ ſubtilis erit vis,
Non minor obſiſtens fodienti ſive ſecanti,
(Omnis materies propria nam mole reſiſtit)
In pede quam cubico lapidis, plumbive, vel auri.
Falleris, o Quinti: neque enim, quod forte putabas,
Per vim materiæ propriam memorata reſiſtunt;
Sed per contextum, qui partes jungit in illis.

Materies, ut iners, haud per ſe motibus obſtat;
Tantum ex affrictu & vinclis plexuque tenaci,
Aut contra poſito motu in diverſa ferente.
Nimirum vim vi potis eſt opponere nullam:
Motibus apta quidem ſumendis, apta quieti;
Sed nec ſponte petens motum, nec ſponte quietem.

Pervia ſint igitur quod quædam corpora, vel non,
Quod ſuffurentur motum, ſenſimque retardent,
Aut cito reſtinguant abſorptum, ac denique tollant;
Hoc elementorum non vis, non ſumma, ſed unus
Efficit ille modus, quo ſunt elementa ſoluta,
Vel connexa ſimul; quo ſunt abraſa, vel hirta.
Eſt in aqua plus materiæ, quam in corpore ligni;
At digito penetrabis aquam, non ligna: Metallis
Eſt aditus facilis, quando ſunt igne liquata.
Demonſtrat pondus propriæ quantum inſit in illis
Materiæ: ſic Mercurio ſubtilior aër,
Aëriis æther longe ſubtilior auris;
Nec moles conſtans elementorum æthere in ipſo,
Cujus particulæ magis ac magis attenuantur.
Hoc unum teneas animo, paſſim eſſe liquores
Immerſos aliis alios, unaque fluentes;
Atque alios aliis textos ſubtilius; & qui
Præ cunctis longe tenuiſſimus eſſe videtur,
Poſſe iterum, minimo cauſæ advenientis ab ictu,
Comminui magis atque magis, ſemperque reſolvi.

Plenum igitur motus rapidos aliquando morari
Et variare poteſt, & detorquere refractos,
Dividere, inque aliam ex alia transfundere partem,

Non

Non penitus prohibere: imo per corpora ſervat,
Et regit, ut ſocio coaleſcant plurima nexu;
Quod puro in vacuo nunquam ſperare liceret.
Corporum enim partes, medium per inane ſolutæ,
Neſcirent ſervare fidem, jamque agmine rupto
Diverſæ hac illac fugient, & in ordia prima
Dilabentur, uti pulvis projectus in auras.
Nam niſi corporibus ſtipentur corpora, eorum
Partibus haud teneant nexas ſua vincula partes,
Singula laxa fluant. Quod ſint plena omnia, rebus
Hinc ſua durities: dura quæ mole cohærent,
Undique, ceu pleno mundi cratere, premuntur.
Hoc adeo certis promtum eſt deprendere ſignis.
Dimidios pulchro levati marmoris orbes,
Si lapſu oppoſito, ne furtim interfluat aër,
Apte inter ſe ſe jungas, jam nulla virûm vis
Diverſo poterit junctos divellere niſu:
Hos etenim preſſu valido denſata coërcet
Materies, firmiſque tenet complexa catenis.
Hinc quoque difficili diſcinditur unda natatu,
Atque obluctantes, vix vi propulſa lacertos,
Certatim reprimit, pectuſque fatigat anhelum,
Et, quaſi diſcidium metuens, findentibus obſtat.
Vimineam pariter virgam ſi forte coruſcas,
Illam incurvari modo lentarique videbis,
Tum ſtrident auræ tenues, tum ſibilat aër;
Unde repulſari pleno liquet aëre virgam.
Sic etiam, tonitru nubes quatiente fragoſas,
Prævertit fulgur ſtrepitum; quia pervolat ignis
Ocior, aëriæ ſed noſtris auribus undæ
Tardos important, loca per conferta, ſonores.

Denique cur ſe ſe parvo clinamine flectit,
Quæ venit ætherias a ſidere miſſa per auras
Lux oculis, etſi, quantum in ſe eſt, recta feratur?
Nempe abrumpit iter, radiosque intrata refringit,
Quæ medio cælum terrasque interluit æſtu,
Materies diverſa, magisque minusque reſiſtens;
Ac lucem exiguis amfractibus ire parumper
Detortam cogit: ſed non detorta meatus
Per vacuos, nihil eſt ubi quod detorqueat, iret.
Quippe moras nectunt, quamvis liquentia, paſſim
Corpora, circuitum propter quo mutua ſe ſe
Excipiunt, ſedes & commutare jubentur:
Quod non accideret, ſi quovis impete fractus,
Et qua percutitur liquor, illa parte dehiſcens,
Objicibusque vacans, venas aperiret inanes.
Ergo ſtant pleno, ſunt quanquam libera, mundo
Corpora; quæ laxe in vacuo ſi ſparſa paterent,
Diffluerent paſſim; nec certo fœdere poſſent
Accipere, acceptosque aliis transmittere motus.

Propterea miror, tam docto, tamque ſagaci
Neutono vacuum placuiſſe, ut motibus aptum
Sidereis. Etenim, dum certos atque perennes
Aſtrorum curſus, cum vi obſiſtente fluenti
Conciliare nequit, diſcordantesque Planetis
Ducere transverſim per conica ſegmina curat,
Communi ingenitæ gravitatis lege Cometas,
Nil reperit melius, quam ſi tollatur ab omni
Æthere materies agitanda; globique ferantur
Attractu vario rapti per inania. Dicam,
Tanti pace viri, quo non ſolertior alter,

Natu-

Naturam rerum ad leges componere motus,
Ac mundi partes juſta perpendere libra,
Et radium ſolis transverſo priſmate fractum,
Septem in primigenos permanſuroſque colores
Solvere; quî potuit ſpatium ſibi fingere vanum?
Quod nihil eſt, multiſque prius nihil eſſe probatum eſt?
Quâ ratione valent in eo denſiſſima volvi,
Et ſervare ſuam volvendo corpora molem?
Attractus mitto varios, & pondera nullis
Exponenda modis, niſi motus vera propago
Contactu fiat, pulſumque a corpore corpus
Tendat eo ſemper, quo vis direxerit illud:
Quippe ſuus deinceps erit his locus. Attamen urget
Me ſtudium veri: metuo, ne ſurculus ille
Letiferi erroris, Gaſſendo nuper amatus,
Defenſore novo ſperet ſe poſſe tueri;
Atque hominis magni fama titulisque reſurgat.
Huic ergo liceat phyſicas opponere cauſas.

Conſtat enim corpus quodcunque movetur in orbem,
Aufugere a motus centro, ſibi cum nihil obſtat;
Molirique fugam aſſidue, ſi forte quid obſtet.
Cœleſtes igitur ſphæræ, cum ſemper in orbem,
Et proprio ſuper axe, & circum immobile centrum,
Volvantur, vacuo ſi currant undique cinctæ,
Scilicet a ſtatione procul, rectaque recedent,
Et centri immemores & curſus ante peracti.
Ceu valida emiſſus funda lapis exit in auras,
Et metam aſſequitur ſubito, & prævertitur Euros:

Fortior a gyro eſt illi, & directior ictus:
At lapis erumpat, diſtento fune per orbem
Ut primum actus erit, ſi non retinacula fundæ
Præpediant. Ergo fugient vaga ſidera, vaſti
Perque vias nihili faciles, per aperta locorum,
Impete ſervato, penetrabunt futile regnum;
Donec in objectam, quæ motus forte retundat,
Materiem inciderint, aut tangant mœnia mundi.

Præterea cuiusque brevi reſoluta peribit
Maſſa globi: quoniam partes hinc inde rotatu
Disjiciet late ſparſas per inane quietum;
Ut rota curriculo collectas vibrat arenas.
In tenues atomos primum atmoſphærion ibit;
Inde ſuperficies; dehinc interiora ſequentur.
In ſubjecta ſibi radios male prodigus aſtra
Diſperget, nunquam redituros delius ignis.
Corporibus denſis gravitas quoque nulla futura eſt.
Quin levitatis erunt majoris, & ocius ibunt
A centro: ſi quidem plus, quam rariſſima, motus
Accipient. Qui poſſe trahi per centripetam vim
Reſpondebit, eum, quæ ſit vis illa? rogabo.
Namque manus fundam exagitans, hoc miſſile ſaxum
Centripeta non vi, ſed funda continet ipſa.
Pulſantes equidem vires intelligo, nusquam
Occultas magicisque pares, tantumque valentes,
Ut non centrifugæ poſſint obſiſtere contra;
Sed gravitas etiam creſcat, dum corpora centro
Accedunt propius. Videor mihi cernere terra
Emergens, quidquid caliginis ac tenebrarum
Pellæi juvenis doctor conjecerat olim,

In

In Phyſicæ ſtudium; ſolitus dare nomina rebus
Pro cauſis, unoque ſecans problemata verbo.

Vis ea, quæ centro promanans corpora cogit
Ad centrum, ac toto circum diffunditur orbe,
Aut nihil eſt, aut materiem toto orbe requirit
Diffuſam, qua vis a centro ad corpora tendat.
Sphærarum centris igitur nunc præfice mentes,
Quæ cum centrifugis decertent viribus; imo
Victrices propriis circum undique corpora frenis
Contineant, retrahant fugitiva, elapſa reducant,
Ellipſeſque creent, non veros motibus orbes;
Atque ideo, quoties tentat deſcribere corpus
Tangentem (quoniam perimetri linea curva
Ex infinite parvis tangentibus exſtat
Innumeris) toties reſtringant atque recurvent,
Interdum laxare velint, ac lora remittant.
Ceu puer intextam chartis & vimine lento
Alitis effigiem, credit levioribus auris
Fune regens; aut in triviis multiplice filo
Ludicrorum hominum jocularia membra moventur.

Simplice nec filo Newtoni fabula pendet,
Texentis varias vario pro tempore leges:
Hoc vel tota poteſt uno convicta refelli.
Nam ſi materiæ venis attractus inhæret,
Ac ſine pernicie nequit interituque revelli,
Vis ea per cunctas fluit undique prædita partes,
Ingenio ſimili: ſimili regit omnia ritu;
Inſita nam toti, membris lex omnibus una eſt.
Ergo cuncta pari ratione trahentque trahenturque,
Et leges omnis natura ſequetur eaſdem.

At

At neque corruptis turbatæ moribus urbes
Diſſona tot decreta, & tot diſcrimina legum
Effudere unquam; tua quot doctrina profudit.
Nam, Neutone, tibi quoties vaſto æquore rerum
Res nova ſe ſe aperit; toties convertere vela
Cogeris, atque alias attractus fingere formas.
Ecce alio ſe more regunt per inane planetæ,
More alio magnes, alioque electrica virtus.
Sic tua circumagitur quavis verſatilis aura,
Et vaga per varios errat ſententia flexus:
Atque adeo rudibus non diſcrepat inſtrumentis,
Uno quæ poſitu dant unum ſtridula carmen:
Sed quoties juvat inde novos extundere cantus,
Et variare melos, toties mutare neceſſe eſt
Effœtam compagem & pauperis organa muſæ.

Quod ſi ridiculum eſt, tales confingere cauſas,
Et vires, intermedio quocunque carentes,
In vi centripeta nil non e viribus ortum
Centrifugis, agnoſce lubens. Quapropter inanis
Abjice commentum, quo mundi tota periret
Machina, nec poſſent ulli conſiſtere motus.
Verum corporibus, quæ ſit gravitatis origo,
Hæc, ubi labentes atomos per inane refellam.
Materiæ demum qui poſſit ſumma fluentis
Et volvi pulſu aſſiduo, & parere moventi,
Sic, ut nulla tamen fiant diſpendia motus;
Quæque peregrinos adducat norma Cometas;
Hæc, ubi cœleſtes fluxus & ſidera dicam.

Nil igitur vaſto in mundo non undique preſſum eſt.
Inverſis hærent ideo ſuſpenſa lagenis

Vina,

Vina, cadoque negant ſe effundere ſubtus aperto,
Si non immiſſus laticem depreſſerit aër.
Sed mirere magis: rapido cum turbine venti
Inflixere ſalo nubes, ac fervidus hauſit
Inter aquas nimboſque interceptum aëra vortex;
Tortilis actutum pelagi de fluctibus unda
Tollitur, & cœlo caput inter nubila condit:
Curſitat erectum commota per æquora flumen,
Deprenſis miſere nautis, ac navibus ingens
Exitium; ni qua perrumpant arte columnam,
Et ſeriem undarum, jugi quas antlia ductu
Extrahit, aura levis propere intromiſſa recidat.
Tum cadit horrendo præceps cum murmure gurges.

Hinc etiam totis licet inſtes viribus, unda
Comprimitur nihil aut paulum: ac ſi plumbeus undæ
Plenus uter multo valide quaſſabitur ictu,
Aut nihil offendit contuſum malleus utrem,
Verberibus caſſis innoxius usque reſultans;
Aut, ſi percutias iterum vehementior, exit
Guttatim, & ſolidi per cæca foramina plumbi
Exſudat potius, quam condenſetur aquæ vis,
Ac ſeipſam adſtringat ſpatio contenta minori.
Cur tamen in vacuas non ſe corpuſcula ſedes
Conjiciunt, ſi perfugiis, quot credis, abundant?
Protinus abſimilem dices obſtare figuram.
Irrita ſunt igitur ſpatia hæc, & inepta juvandis
Motibus, ingreſſum illa negant ſi partibus undæ.

Non ſic aëriæ partes, cum forte premuntur.
Conſtringi patiuntur enim, & ſubſidere norunt,
Et coacervari, donec vi denique magna

Diſſi-

Diſſiliant, rumpantque moras, & vincula ſolvant,
Cuncta repentinis lacerantes obvia rimis;
Ac ſonitu horribili fugiant per aperta viarum,
Si modo cœperunt aliqua ferviſcere flamma.
Sulphureas veluti nubes, cinerumque procellas
Undique viſceribus calidis Ætnæa vorago,
Saxaque toſta vomit, nigra fuligine cælum
Suffundens, aperitque novis latera ampla ruinis,
Et ferrugineos eructat faucibus ignes.

Diſcrimen tantum vacuis ne per aëra crebris,
Et per aquas paucis tribuas? Facit ætheris ardor,
Quo ſcatet aërius, ſed parcius humor aquoſus
Conſeritur; fluit unde minus, minus unde liqueſcit.
Sic, ubi vallatas exercitus obſidet arces,
Ignivomum ſpirant fabrefacta tonitrua Martem,
Fulmineoſque globos immani pondere torquent,
Pulveris accenſi tanta eſt violentia! Turres
Præcipitant, muroſque & propugnacula frangunt:
Pulſa tremit reboatque procul conterrita tellus.
At ſi tam multis terebratur inanibus aër,
Non eſt, offenſus cur tam gravis intonet; ibunt
Pervia particulæ per ſpiramenta ſilentes:
Impetus eluſi vaneſcet flaccidus ignis,
Et fumum imbellem jaciet per inania cæli.
Unde ciet tantos igitur vis flammea motus?
Nempe quod implexum prius, adſtrictumque catena
Solvat, & abruptis jam liberet aëra vinclis;
Cui via turgendi nulla eſt, ni corpora vibret
Cuncta procul niſu, quo dilatatur, eodem.

Tunc

Tunc fit in aërii lento ſubtemine textus,
Quod fieri plane ſinuato cernis in arcu,
Miles ubi torquet nervo pulſante ſagittam.
Nervus enim intenſus curvati cornua ligni
Contrahit; hinc adeo patulos convexa meatus
Pars aperit, ſtrictis obturat concava fibris:
Verum æther, de more vias ingreſſus hiantes,
Non habet, intercluſo abitu, quo tendere poſſit.
Ergo premens valido contortas impete fibras,
Corrigere & preſſu aſſiduo producere certat.
Nervus obeſt: nervum ſed enim ſimul atque remiſit
Arcitenens, laxante manu, retinacula ceſſant.
Propterea tum liberior ſe ſe explicat arcus,
Et reſilit nervus, partes diſtractus in ambas:
Qua vi pulſa repente fugit, rapiturque ſagitta.
Sic ventoſa ferit tenui catapulta fragore;
Sic tacitas vibrat pyrio ſine pulvere glandes,
Compreſſi ferrea quot ſunt in arundine flocci
Aëris, en tot habes arcus reſilire paratos.

Nec propius vero eſt quod ais, perlucida quando
Corpora ſunt quædam, tenero ſeu mollia textu,
Aut fluida, id totum vacuis compluribus inter
Conjunctas atomos tribui, acceptumque referri.
Nam ſi res, Quinti, ſic ſe ſe, ut dicis, haberet,
Quæ perlucida ſunt, quæ mollia, quæque liqueſcunt,
Hæc leviora forent, quam quæ transmittere lucem
Denſa negant, ſolidaque & dura mole cohærent.
Quod tamen in molli ſecus evenit atque fluenti
Mercurio. Certe is non mobilitatis honore
Cedit aquæ; quin ſe ſe etiam calefactus in auras

Eve-

Evehit, inſinuatque poris; nam cuncta minutim
Scrutator penetrat volucri corpuſcula fumo:
Tantum humectando non eſt, neque tactus adhæret.
Multa tamen vincit, ſolido quæ corpore conſtant,
Mercurii gravitas. Auri rigor omne metallum
Vincere duritie, lapideſque, ut pondere cunctos
Debuerat; quam molle tamen, quam ductile noſti.
Dura natat glacies; levior pars dura metalli
Partibus ejuſdem liquefactis, ut probat uſus.
Cera natat lymphis; ceram omnis ſorbeat humor,
Si perluciditas a multo oriatur inani;
Non oleum nitida veheretur opacius unda,
Non rigidus pumex, non lento cortice ſuber.
Foſſilium quoque rex adamas, quem parturit una
Dives opum & Phœbi radiis melioribus ardens
India, non durus ſimul ac perlucidus eſſet.
Perlucere etenim multis ab inanibus ortum,
Duritiem excludit paucis ab inanibus ortam.

At vero quæ ſunt directæ pervia luci
Corpora, clathrorum ritu compacta videntur,
Ac ſtrue multiplici foliorum reticulata.
Mollia ſi fuerint, laqueos imitantur Arachnes;
Ut rivi labentis aquæ, ſeu limpidus aër.
Si prædura, ſilex velut eſt cryſtallina, crates
Ferratas referunt, queis pervia ſæpe domorum
Claudimus, ut facilis detur tranſpectus in hortos,
Permeat exiles aditus pars altera lucis,
Altera cancellis offenſa retunditur; unde
Reſplendent crates partim, partimque videri
Ulteriora ſinunt, ac ſi nihil inter adeſſet;

Interea

Interea caulas puriſſimus occupat æther.
Hinc ſi pronus aquam ſpectes in margine ponti,
Protinus illa ſoli tenuem declivis arenam
Exhibet, ac nitidis conchylia mixta lapillis:
At mare ſi magnum proſpectas, littore ab alto,
Luminis ingentem transverſa per æquora tractum
Adſpicies; Phœbi nam ſe radiantis imago
Projicit in planum, tremuliſque reflectitur undis.

Præterea vitrum candens, atque ipſa, rigore
Depoſito, cernis molleſcere cocta metalla;
Non interjectu vacui diffuſilis, imo
Corporis advectu, quo vincula cæca repente
Diſſiliunt, fitque ex geminis mixtura liqueſcens:
Quando volatilibus jaculis per ſulphura ſerpit,
Et ſalium frangit nexus, parteſque ſolutas
Diſſipat irriguus, varieque interſecat ignis.
Sæpe nec ipſa operi vis ignea ſufficit: addi
Nempe ſolent nitrum ſolvendo & alumina ferro,
Quæ referent, obeliſque viam rimentur acutis.
Quin etiam ipſe adamas ferrum, qui ſpernit & ignes,
Ære repercuſſa excipiat ſi ſpicula ſolis,
Traditur humeſcens fluere, accedente ſmaragdo.

Hoc accedit, uti, quoties rareſcere corpus
Contigit, admiſſæ veniant in viſcera partes,
Quarum abitu denſum, ejecto velut hoſpite, fiet.
Sic aqua conceptis ebullit fervida flammis,
Pellitque in teretes dilatatum aëra bullas:
In glaciem concreta riget, ſimul avolat ignis
Exiguus, qui particulas agitare ſolebat.

Aſt hujus miranda quidem natura videtur,
Quod ſalis haud æquo plus unquam ſorbeat; omne
Quod ſupereſt, fundo intactum ſatiata remittat.
Nec minus interea fucum, variosque colores
Ebibit: & quoties vim certam ardoris adepta eſt,
Sic ſtat, & adjunctis nihilo magis ignibus ardet.
Quare diſſimiles in ea, multosque meatus
Abſit ut eſſe negem; ſolum nego prorſus inanes:
Aëre nam fœtos, & partibus ætheris aio,
Quæ non effugiunt ſemper: nam creſcere lympham
Cernimus adjectis ſalibus, quos lympha reſolvit.
Ligna quoque in ſpatium, ſi quando irrepſerit humor,
Amplius evadunt; contracta humore fugato
Areſcunt, rimisque brevi finduntur hiulcis.
Tantum prorſus abeſt, ut corpora vana tumeſcant,
Atque incremento cava dilatentur inani.

Quos igitur vacui tractus toto orbe putabas
Hactenus immenſos, & non auctoris egentes,
Ut foret absque Deo quiddam, ſaltemque creata
Non eſſent ſpatia, & velut incunabula mundi;
Ocius abjicias animo; loculosque vacantes
Corporis in medio cujusque, hæc omnia temnas;
Delirantis uti luſus & ſomnia ſectæ.
Ecce vides, ut ſit fragili male credita fundo
Machina, quam falſa deceptus imagine rerum,
Exſtruis in vacuo, penetrabilibusque lacunis.

ANTI-LUCRETIUS,

SIVE

DE DEO ET NATURA

LIBRI NOVEM

AD QUINTIUM

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Quintium ad capeſſendam virtutem hortatur. Tum hoc libro de atomis quærendum proponit: a v. 1. ad v. 63.

Exponit Epicuri conſilium in fingendis atomis. Deinde quæſtionis hujus hanc diſtributionem inſtituit: 1. *Per ſe non eſſe atomos.* 2. *Non eſſe numero infinitas.* 3. *Non individuas, ac proinde non immortales.* 4. *Non propria gravitate præditas.* 5. *Non eo, quo donantur motu, poſſe inter ſe coaleſcere. Hoc libro tres primas partes exſequitur; poſtremas duas, quæ motum atomorum ſpectant, ad ſequentem librum pertinent:* a v. 63. ad v. 111.

1. *Atomos per ſe non eſſe oſtendit, quia non omni dote ac facultate pollent; quia ſingulæ poſſunt non eſſe; quia inane ſine atomis eſſe poteſt:* a v. 111. ad v. 182.

2. *Innumeras eſſe non poſſe probat, quod majore inani circumſcriptæ ſint; quod earum numerus & augeri & incolumi mundo imminui poſſit; quod quidquid a numero incipit, in numerum deſinat; quod ut ſpatio, ſic numero finitas eſſe oporteat. Oſtendit quam abſurdum ſit illud Epicuri commentum, in atomorum claſſibus numero finitis, atomos numero infinitas collocaſſe:* a v. 182. ad v. 510.

3. *Negat immortales eſſe atomos, & individuas; eaſque dividi poſſe confirmat ex eo, quod ſint figuratæ. Hic affert argumenta præcipua, quibus probatur, materiam in infinitum dividi poſſe; ſolvitque Epicureorum ea de re objectiones:* a v. 510. ad v. 803.

Abſurdam eſſe oſtendit Spinoſæ unitatem: a v. 803. ad v. 873.

Ex eo quod dividuæ ſint atomi, concludit, eas ex natura ſua ſolidas non eſſe, ac proinde fabro indiguiſſe, ut coaleſcerent; quod conſequi quoque demonſtrat, ex eo quod neceſſariæ non ſint atomorum figuræ: a v. 873. ad v. 1018.

Anaxagoræ homœomeriam confert cum atomis, nec magis abſurdam probat: a v. 1018. ad v. 1047.

Concludit materiam e nihilo factam; Deum non conſtare e materia; quod Epicurus quærit in atomis, id in ſolo Deo ineſſe: a v. 1047. ad finem.

DE ATOMIS.

Felix, qui veras avidus cognoſcere cauſas,
Senſus aſſurgit ſupra; nullumque ſecutus
Ductorem, præter lumen rationis amicum,
Vimque animi; reliquis mortalibus invia tentat
Ipſe loca, explorat rerum caput, atque per omnes
Naturæ latebras ire imperterritus audet.
Illum non anceps regum favor, aut levis aura
Fortunæ, miſeriſque bonis contenta voluptas
Dimoveant, veri ſanctum ut deponat amorem.
Scilicet haud ſatis eſt rivos ſpectare fluentes,
Aut herba in molli patulæque ſub arboris umbra
Proſtratum, nitido radiantes rore lapillos
Mirari, ac tremulo labentes murmure lymphas,
Et flores quos nutrit aquarum lacteus humor,
Ac bibulo ſemper viridantem ceſpite ripam:
Fontem ipſum indagare juvat, penituſque latentes
Rimari venas laticumque exordia prima.
Quorſum igitur nos corporibus circumundique ſepti,
Materiæ decus ac formam externumque nitorem

Miramur tantum, ſummoque in cortice rerum
Ludimus? Internam cur non penetramus in ædem
Naturæ, atque adytis immitti poſcimus ipſis?
Quam pulchrum eſt in principiis, in origine rerum
Defixiſſe oculos & nobile mentis acumen!
Pervolat huc ſapiens; nugæ ſunt cætera vulgi.
Hinc nullus digno vates extollere verſu
Pythagoræ magni poterit, magnique Platonis
Illuſtres animas: ingens quibus inſtitit ardor,
Se primum, auctoremque ſui & primordia cuncta
Quærere contemplando. Hos non tenuere paterni
Deliciæ moresque ſoli; quin protinus omnem
Ægyptum & Syri luſtrarent littora ponti;
Incoluit primum quas alma ſcientia ſedes:
Atque viros ibi conſulerent ſapientipotentes
Longævosque, & doctrinæ monumenta vetuſtæ:
Civibus ut tandem non vellera murice tincta,
Non aurum aut gemmas, aſt aurea dicta ferentes,
Ditarent patriam, nova per commercia veri.

Hoc animo, Quinti, naturam inviſere tecum
Dulce mihi: dulce eſt altos intrare receſſus,
Et præferre facem, & greſſus firmare labantes.
Ne te, quæſo, viæ capiant mala tædia longæ.
Sunt rigidi, fateor, trito ſine tramite montes,
Sunt duræ cautes, ac ſpinis horrida paſſim
Virgulta, & foſſæ juga per ſalebroſa profundæ:
Macte animo tamen interea dum alludere conor,
Defeſſamque tibi rerum aſperitate moleſta
Non injucundo ſolari carmine mentem.
Haud ſecus in ſylvis, ac frondes inter opacas

Ingenitum carmen modulatur muſicus ales,
Dum fovet implumes fœtus placidiſſima conjux:
Nam ramo nunc ille ſedens, nunc præpete penna
Huc illuc circumvolitans, noctesque dieſque
Invigilat cuſtos; liquida tum voce canorus
Perſonat omne nemus: molli hæc abſcondita nido
Suaves aure bibit numeros, oblita laboris;
Et vix aſſiduæ ſentit faſtidia curæ.

Nunc ſupereſt, atomos ut perſpiciamus in ipſas:
Altera nam ſectæ baſis eſt. An firmior hæc ſit,
Cognoſces. Vix crediderim, quia non ſibi conſtat
Ipſe parens atomorum; & tanquam erroris amore
Ebrius, interdum proprio ſe confodit enſe.

Primum infinitas, infinitoque natantes
In nihilo poſuit. Nimirum utrumque volebat
Æterno e ſolio pellendi numinis audax
Conatus. Nam ſi per ſe ſe, ac ſemper ab ævo
Stant omnes, numero quis eas includere certo,
Utque tot, haud plures eſſent decernere quivit?
Tum ſi, ut progenerent aliquid, temerarius illis
Accidere occurſus debet, quo plurima, caſu
Conciliante, cohors glomeretur corpus in unum;
Infinita foret ſparſæ niſi materiæ vis,
Fortunæ credenda joco, & concreſcere prompta,
Raro vel nunquam potuiſſent corpora gigni.
Quinimo ſi magnum adeo ſupereſſet inane,
Undique diffugerent, ac per deſerta locorum
Vſque vagarentur naturæ elementa; nec eſſet,
Cogere qui tandem ac diſperſa reducere poſſet.

Sic ſpatium immenſum minima infinita popoſcit.
Nec tamen hic, aliqua ſine libertate, locari
Fas erat, ut quodam poſſent coaleſcere motu.
Nam ſi denſa nimis, nimis & ſtipata fuiſſent,
Non aliunde impulſa quidem & motoris egena,
Torpebant, ſomnoque gravi infœcunda jacebant.
Unde ſoluta eadem ſimul atque frequentia fingi
Par fuit, & proprio gravitatis percita niſu;
Quando hic præ cunctis ultroneus eſſe videtur.

Ingenioſa quidem hæc; verum ratione ſagaci
Si fuerint excuſſa, ruunt fundamine nullo.
Ac veluti ſcenis agitur dum fabula noſtris,
Ludificant oculos ſpectacula vana tuentes,
Et mentitarum capiunt dulcedine rerum:
Ut modo porticibus longis ſimulacra Deorum
Aurea marmoreas inter mirere columnas;
Et modo præceſſas turres, arcusque ſuperbos;
Aut claſſem in portu ventis dare vela parantem,
Exſtantesque mari ſcopulos, incurvaque longe
Littora fluctifrago pelagi ſpumantia rore;
Nunc impendentes ſylvarum cautibus umbras;
Inde vorax Erebi barathrum, & Plutonia regna,
Hinc placidum nemus Elyſii ſedesque beatas:
At pulchrum adſpicias poſtica parte theatrum,
Nil præter telasque leves, leviterque perunctas
Cernis, & avulſo ruit omnis machina clavo.
Sic introſpectum fallacis dogma Epicuri
Concidet, inque ſuum evaneſcens ibit inane;
Quando nec innumeras, nec progenitore carentes,
Non individuas, immortalesve, nec ultro

Laben-

Labentes atomos, nec eo concreſcere motu
Quo dicuntur agi, mox ipſe fatebere victus.

Protinus in mentem revoces, quod dicere nuper
Me memini; cum de vacuo lis orta vigeret;
Rem prorſus nullam per ſe conſtare poteſſe,
Quæ ſimul haud eſſet genere omni prædita dotum.
Deficiente aliquâ, rem cernimus eſſe creatam;
Et majorem illi cauſam præcellere. Quidquid
Ex alio non eſt, nequit ullo limite claudi.
Et cur, quod per ſe eſt, non dotibus affluet illis,
Cætera quas habeant, queis per ſe ſtare negatum eſt?
Dii veſtri, quos in latebras Epicurus adegit,
Ut mollem ducant ſecura per otia vitam;
Dii veſtri, quos fortuito corpuſcula nexu
Compegêre, velut tibi res compingitur omnis,
Per ſe ſe non ſunt; felices attamen illic
Æternum vivunt, ac læta pace fruuntur:
Et felix, atomus quæ per ſe eſt, eſſe nequibit?
Multa valent homines, membrorum robore partim,
Et partim ingenio; per ſe non eſſe fateris:
Si per ſe eſt atomus, cur ipſi nulla poteſtas?
Te male naturam rerum docuêre magiſtri.
Quæ tenet æternum propriis a viribus ævum,
Atque eſt idcirco, quia per ſe debuit eſſe,
Et non eſſe nequit; res illa, utcunque vocetur,
In ſe habeat totum eſſe, ac totum poſſe, neceſſe eſt.
Numen habes, numen tibi neſcius adſtruis ipſe.
Cur Epicurus enim numero docet innumerali
Eſſe atomos? Quia ponit eas auctore carentes.
At ſi auctore carent, cur illas non quoque dixit

Ut numero, ſic mente, ac viribus infinitas?
Cur non eſſe Deos voluit? Nam nomine tanto
Dignior eſt atomus, quæ per ſe ſtare putatur,
Quam Divi ex atomis temere incurrentibus orti.
Hanc tamen invalidam facit & rationis egentem;
Hos ratione animi donat, vitaque beata.
Naturæ nihil æternæ concedit avarus,
Omnia fortuitæ. Quam ſint hæc diſſona, ſentis?

Tandem igitur falſi veſtigia blanda ſecutum
Ductoris te pœniteat, dulciſſime Quinti.
Divinos pudeat tam parvis rebus honores
Decreviſſe. Leves micas, tenuiſſima ſegnis
Materiæ ramenta, meri ludibria caſus,
Per ſe naturamque ſuam conſtare putabas!
At certe quidquid per ſe eſt, ſic eſſe neceſſum eſt,
Ut cum percipitur, ſimul ipſum eluceat eſſe;
Et, ſi ponatur penitus non eſſe, repugnet.
Hæc atomis tribui nequeunt. Vis, ordine dicam?
Scilicet hæc atomus, quæ nunc mihi jungitur, eſſe
Ut ſine me poterat, poteram ſic eſſe ſine illa.
Æternum in vacuo potuit disjuncta vagari,
Æternum poterit. Cum ergo ſit inutilis orbi,
Ponamus non eſſe: ruent num cætera rerum?
Nequaquam. Non hanc igitur perſtare neceſſum eſt;
Illiusque loco, ſatis eſt, ſi perſtet inane.
Unius hinc atomi ratio non poſtulat, ut ſit.
Quod ſi unam e rerum natura expungere poſſim,
Expungam geminas, expungam quatuor, omnes
Denique. Namque omnes nihil excellentius in ſe,

Naturam; quod ſpectat, habent, quam parvula quidquid
Ac ſimplex atomus revera poſſidet omnis.
Nulla igitur per ſe, ſi per ſe non fuit una.

Immenſum qui præterea ſibi fingit inane,
Rem quaſi perpetuam, certe ut rem cogitet, ipſi
Nil atomis opus eſt: intelligit eſſe reapſe
Magnum aliquid, quod materia ſecernit ab omni.
Ergo materiæ molem totam eſſe ſua vi,
Non modo non vincit, fieri ſed poſſe fatetur,
Ut nil materiæ ſit funditus omne per ævum.
Olli materies eſt adventitia mundo.
Quare igitur per ſe, quare infinita putatur?
Sed faciam, ut verum noſcas; utcunque Lucretî
Obſtrepat, & contra decantet garrula Siren.

Innumeras vis eſſe atomos, ſed majus inane
Innumeris atomis. Quanam compingitur arte
Infinitum illud male parcum, & parte reciſum,
Quod jam ſtare nequit, quoniam pede claudicat uno?
Nempe infinitum infinito poſſe putaſti
Eſſe minus? Nonne hoc ipſo, quod creſcere poſſit,
Mancum ac finitum eſt? Quod majus, nonne minori
Semper limes erit? Porro non æquat inane
Materies, quia non explet; ſed libera fertur
Per medium, vacuos & paſſim linquit hiatus;
Major, ſi nullum ſupereſſet inane, futura.
Quapropter quemcunque locum deprendis inanem,
Illic materiæ finem ſimul eſſe fateris.
Nam ſi pertendam infinitas æquoris undas,
Littora tu digito monſtrans ubi deſinit æquor,

Me

Me ſubito falſi convinces: haud ſecus & te
Convincam, oſtendens vacuum ſine corpore purum.
Adſpice ut ambo ſibi noceant obſtentque viciſſim,
Quæ tu fraterno nexu conjuncta putabas;
Et mediam regni partem infinita gemella
Subripiant, lacerentque immani vulnere totum,
Elige; nam regno alterutrum decedat, oportet.
Sed caveas; quia materiem ſi tollere mavis,
In nihilum jam cuncta ruent: ſi tollis inane,
Non eſt, materia ut poſſit ſtipata moveri.

Quid vetat, objicies, ne ſurſum linea duplex
Ducatur ſine fine quidem, tamen una profundo
Exeat a centro telluris, & altera tantum
A facie? Tunc ſunt expertes limitis ambæ,
Nec tamen æquales. Vanos imitare Sophiſtas,
O Quinti! Geminas habet utraque linea partes:
Hac ſunt æquales, qua ſunt ſine limite; ſed qua
Ponis inæquales, finitas eſſe fateris:
Limes enim eſt illis, ubi primum exordia ſumunt.
At tua materies nuſquam eſt ſine limite, quando
Mergitur in vacuo, quod ab omni parte redundat.

Ergo dormitat præclari dogmatis auctor,
Innumeras cum vult atomos, quibus addere poſſem
Vel plures; nondum ut penitus repleatur inane.
Nam locus eſt cunctis. Fingamus millia centum
Adjungi: num propterea complebitur? Eſſet
Finitum, poſſet ſi centum millibus olim
Compleri. Porro non tantum hæc millia fas eſt
Adjungi, verum bis, ter, quater, amplius, immo
Millia mille modis iterum repetita. Profecto

Cras-

Craſſior eſſe poteſt globus hic telluris & undæ,
Quam nunc eſt; paulo fieri quoque denſior aër;
Partibus & cunctis vacui ſuccedere corpus;
Nil etenim prohibet, quod nunc ſit inane repleri.
Ergo materiæ tumefactam creſcere molem,
Perque novas atomos augeri poſſe fatendum.
Creſcere ſi poſſit, nunc finitam eſſe neceſſe eſt.

Augeri ut poterit, poterit quoque, ſoſpite mundo
Imminui: demtis ſiquidem ſuccedere inane
Corporibus promtum eſt; vacuumque ut corpora ſupplent,
Sic vacuum, nulla jactura, corpora ſupplet,
Nunc porro demas atomorum, nam licet, unam;
En, quam jactabas immenſam, ſumma repente
Fit minor: at centum ſi demſeris; ecce minorem
Semper habes. Immenſum ergo majuſve minuſve
Eſſe poteſt, quam nunc revera eſt. Perge, poëta,
Quid ſtas? Æternum pariter dic, poſſe putari
Longius aut brevius. Riſum teneatis, amici!
Confutare pudet, liquido quæ falſa videntur.
Partibus adjectis veluti res creſcere nunquam
Infinita poteſt, nequit & decreſcere demtis.

Præterea cum quæque atomus finita ſit in ſe,
Quotquot erunt, vel ſi plures quam intelligis, eſſent,
Haud unquam in numerum poterunt coaleſcere tantum,
Qui non deſcriptos habeat circum undique fines.
Nempe ſat eſt numeri primordia ducere ab uno.
Namque hæc dividuis natura eſt inſita rebus,
Ut quæ principium, finem quoque norit: utraque

Parte

Parte nihil: rerum hæc extrema; fugaque perenni
Exit in hoc tandem, quidquid promanat ab illo.
Quare infiniti finitas dicere partes,
Quæ ſtent una omnes, numerumque ſuapte putari
Natura plenum, qui non augeſcere poſſit,
Abſurdum eſt. Vel enim quiddam potes addere ſummæ;
Atque ita limes erat: vel non potes addere quidquam;
Exhauſta eſt igitur numeri & præcluſa poteſtas:
Unde infinitus ſimul ac finitus habetur:
Quod pugnans recta procul a ratione recedit.
Quidquid habet numerum, per ſe innumerabile non eſt.
Quidquid & extenſum eſt, menſuram admittat oportet.

Quod ſi autem numeros vulgo ſine fine patentes
Dicimus, idcirco quia poſſunt creſcere ſemper,
Nilque vetat ſummæ ſuperaddi cuilibet unum;
Obſerva numeros, ut fuſius ante probavi,
Re nihil eſſe quidem, mera ſed phantaſmata rerum,
Solius ingenii fœtus prolemque caducam.
Scilicet hoc ipſo, quod poſſumus addere ſummæ,
Summam infinitam re ipſa nullam eſſe fatendum eſt.
Ergo cum liqueat, quidquid numeratur id eſſe
Finitum, & partes numerari poſſe minutas,
Quarum conflatur denſo e glomeramine totum;
Hinc ſequitur, quidquid multis coaleſcere ponas,
Partibus aggeſtis & conſiſtentibus una,
Haud infinitum poſſe, immenſumve putari:
Atque ita materiæ ſummam, quæ in ſemina parva

Divi-

Dividitur, certos intra conſiſtere fines:
Quodque infinitum eſt, unum ſimul eſſe reapſe;
Cui nullæ partes adimi aut accedere poſſint.

Certe Materies, quocunque extenſa pateſcat,
Infinita nequit, ſi non immenſa, putari.
Porro Materies nequaquam immenſa videtur,
Hoc ipſo, quod ſit variis affecta figuris,
Atque in multigenas claſſes, te auctore, tributa.
Hoc etiam, Quinti, tua per documenta probabo.
Qui ſpatium putat immenſum, velut ante docebas,
Hæc immenſa vocet, ſpatium quibus omne tenetur:
Ut vocat æternum, quod nullo tempore non eſt.
Pars etenim ſpatii quæcunque relicta ſuperſit,
Res ibi deficiens non eſt immenſa profecto.
Multimodis igitur cum ſit diſtincta figuris,
Atque ideo in multas atomorum ſumma cohortes
Sit diviſa, tuo præceptoriſque poëtæ
Judicio, quæcunque cohors immenſa putetur,
Hac opus eſt una ſpatium ſimul omne repleri.
Terminus eſt illi, quod non penetratur ab ipſa.
Porro, dic ſodes, gens infinita cuborum,
An toto, quantum eſt, ſpatio protenditur una?
Haud certe: ſiquidem globulis jam non locus eſſet,
Nec ſpiris, triquetris, rhombis, mucronibus, hamis.
Conica gens totum ſola exæquarit inane:
Quo nunc pyramides, quo diſci, quove cylindri
Migrabunt; juvat his ſpatium ultra quærere ſedes.
Nulla igitur ſpatium immenſum ſola occupat. Ergo
Nulla immenſa poteſt, nulla infinita vocari:
Dant aliis aliæ finem accipiuntque viciſſim.

Sed

Sed quæ ſunt finita loco, finita neceſſe eſt
Sint etiam numero, quare ſub quaque figura
Innumeras atomos conſiſtere poſſe, negandum.
Porro finitas atomorum dicere formas,
Atque ideo claſſes, queis dant ſua nomina formæ,
Cogeris. Hinc ſequitur concluſam limite certo
Materiæ ſummam: cum non coaleſcere poſſit
Undique finitis e partibus infinitum.
Sed quoniam ſpatii quodcunque relinquis inane,
Æque infinitum eſt atque id, quod corpore comples,
Inde liquet ſpatii ſummam non poſſe repleri,
Ni nova materiæ ſumma infinita creetur.
Quæ nunc ſparſa natat vacuo, quam curta brevisque eſt!
Ampla videre mihi videor, quæ dolia vulgo
Aſſervant, inter cava fundamenta domorum
Teutones, aut cryptis gelidoque in monte reciſis
Porticibus, veteri ſacrata palatia Baccho:
In quæ ſi jaceres quantum capit amphora vini,
Hoſpitibus, pro! quanta mihi vindemia! dicens;
Imo quam tenuis, dicam, ſi dolia cernas.

Et cur, ſi numero ſunt infinita, volebas
Semina materiæ ſpatium quæcunque pererrant,
Finitis tamen inter ſe diſtare figuris?
Haud equidem ignoro, quid ad hæc contraria forſan
Invitum te compulerit. Cum nempe videres,
Non infinitas paſſim conſurgere rerum
In mundo ſpecies, at finibus eſſe coactam
Quamque ſuis, nullamque nova ſplendeſcere forma,
Intellexiſti, quamvis agnoſcere nolles,

Quid

Quid foret, eſſe aliquid certa quod lege domaret
Effuſam vim materiæ, frenoque protervam
Luxuriem & rapidos poſſet compeſcere motus.
Mens erat; at tibi mens fabrica procul exulat omni:
Ergo materiæ potius reſecanda poteſtas,
Ipſaque per certas formarum, ſub duce nullo,
Diſtribuenda fuit legiones atque catervas:
Ut reſponderi poſſet quærentibus, inter
Quadrupedes quare nil grandius eſt Elephanto?
Cur non centimanos Briarei de ſtirpe Gigantes,
Centauros, Scyllas, aut qualis fingitur Argus,
Semibovesque viros edit natura creatrix,
Et Satyros; at ſe generatim ſæcla propagant;
Nec ſurgunt nova monſtra, ſed omni gente parentum
Naſcuntur ſimiles atque omni tempore fœtus?
Scilicet innumeras atomos in quaque repoſtas
Claſſe quidem, at non innumeras occurrere claſſes.

O miſerum effugium! Tua ſi corpuſcula per ſe
Conſiſtunt, dominoque carent, ac ſponte regunt ſe;
Dic mihi, quæ virtus, quæ cauſa potentior ipſa
Materia, paucas ad claſſes illa redegit
Semina, quæ nobis æterna, immenſaque jactas?
Dic age, nam debes: factique ediſſere cauſam,
Si potes; aut gratis hæc omnia ficta fatere.
Nempe tuis aptas naturæ geſta repertis,
Qui tua naturæ geſtis aptare reperta
Debueras: nec te tamen extricas labyrintho.
Nam ſi atomi ſunt innumeræ ſub quaque figura,
Saltem infinitæ generis cujusque creati
Res fierent; paſſimque lupi, paſſimque leones,

Et pecudes paſſim, lapides, plantæ exorerentur,
Atque homines; omnis ſemper daret omnia tellus:
Nec volucres aër, nec piſces unda teneret.
Quæ via naſcendi cunctis animantibus una eſt,
Infinita foret. Nullo de ſanguine patrum
Improviſus adeſſet equus, bos, ales & anguis;
Non ſenſim vires, non augmen adeptus ab annis,
At vegetus grandisque, & jam perfectus adulto
Corpore; ſeminibus confeſtim ac ſponte coactis.
Nam quæ facta ſemel, fieri cur poſſe negares?
Poma ſine arboribus, ſine terra & ſemine fruges
Affluerent; interdum alieno tempore meſſis
Creſceret; inque mari medio conſurgeret arbos.
Omni luce novi ſoles, nova ſidera cunctis
Noctibus; innumeri diverſo crine Cometæ
Nunc pervulgarent peregrino lumine cælum,
Nunc levitate pari fugerent, oculisque videntum
Eriperentur, & immenſo haurirentur inani.
Namque infinitis debent concurrere ſemper
Infinita modis, ullo nec limite ſiſti;
Quando infinitum numero non clauditur ullo.

Adſpice teſſerulas, queis ludicra bella geruntur
In tabula, vario quam ſegmina picta colore
Diſtinguunt. Prima pedites in fronte locati,
Regem & reginam, famulos equitesque tuentur,
Nec poſitæ gemino deſunt in margine turres:
Quisque ſua ſolet ire via, miſcentur & intrant
Alternis inimicam aciem; fit plurima cædes
Hinc atque hinc, donec cedat rex undique captus:
Interea quoties pugnæ variatur imago!

Quam

Quam diverſa etiam, quam multiplici poſitura,
Objicibusque novis pugnantum invertitur ordo,
Invertique poteſt! Non ſunt tot in æquore fluctus,
Nec tot habent ſylvæ frondes, aut gramina campi.
Quid, ſi infinitis ageretur ludus utrinque
Teſſerulis; an ſumma foret finita modorum?

Nec juvat innumeros alibi confingere mundos,
In quibus omnigenum ſcateat ſine limite rerum
Copia, quæ noſtro parce conceditur orbi.
Nam ſi revera ſtarent, quos exſtruis, orbes,
Qua ratione probas noſtratibus eſſe replendos
Corporibus; nec poſſe novis coaleſcere formis
Tot concurrentes atomos, nova ſemper ut illic
Ac penitus nobis incognita corpora gignant?
Namque modi,quibus hæ partes concreſcere poſſunt,
Non tantum multo ſunt plures partibus ipſis,
Verum infinite plures. Quæ nexibus ergo
Diverſis poterunt diverſe corpora gigni,
Sunt infinite magis infinita. Quis autem
Tantum infinitum tanta virtute coërcet,
Ne, ſibi permiſſum atque omni variabile caſu,
Det ſpecies aliquando novas, veteresque viciſſim
Diffingat? Fixa eſt adeo ſi norma creandis
Corporibus, qualem ſervat natura perennem;
Si rerum genera & certa & finita videntur;
Eſſe modum finemque atomis frenumque neceſſe eſt.

Naturas porro ſimiles non ſola figura
Principiorum, ut forte putas, at certus eorum
Nexus & ad leges quidam ſtatus efficit ordo.

Quin aliam ſpeciem referentia prorſus, ab iisdem
Principiis, aliter digeſtis corpora fient.
Ut nive candidior limus, quem ſerica regna
Finxerunt dudum, quique his jam fingitur oris,
Piſtus utraque manu figuli, cedensque moventis
Arbitrio, currente rota, dat monſtra Deorum,
Omnigenasque feras & Eoi munera ponti:
Ex illo nunc forma viri, nunc urceus exit.
Qui cibus in noſtros facilis convertitur artus,
In cane fit canis; atque leo, ſi forte leonis
Venerit in ſtomachum. Ros idem gramina campi,
Hortorum flores, frumentaque nutrit in arvis.
Phocarum veluti rector, quem fabula narrat
Multimodis oculos hominum eluſiſſe figuris.
Nam villoſus aper, durum atque immobile ſaxum,
Flamma vorax, fluviusque liquens erat, ac ferus anguis;
Mille novas iterum ſpecies iterumque daturus,
Arcto ni premerent fugitivum vincula nexu:
Humanos donec repararet denique vultus.
Unde licet paucæ varient elementa figuræ,
Res tamen innumeras & qualiacunque creabunt
Corpora, non ſpecie tantum, ceu reris, in una;
At multas itidem ſpecies, quot cudere poſſunt
Innumerabilium nexus, quos eſſe probavi
Prorſum infinitos. Unde infinita videres
Et rerum genera, & generis cujusque creata
Corpora, ſi vere ſub qualicunque figura,
Innumeras atomos totus comprenderet orbis:
Ergo quadrupedes immani maximitate,
Aut forma horribiles; Polyphemos, atque chimæras,
Gorgonas, harpyasque, ac ſeptem faucibus hydros.

E qua-

E quadris, duplici tantum quæ picta colore,
Sic incredibilis formarum copia prodit,
Mutatis ſæpè ordinibus, textuque quadrorum;
Unde pavimentis veniat decor atque venuſtas.

Æmula naturæ (quanto minor inferiorque!)
Mens humana, tamen vi freta laboris & artis,
Quam ratio ſolers parit, experientia firmat,
Mixturis elementorum, quæ paucula novit,
Spe lucri proprios nova corpora finxit in uſus,
Et ſpecies, quibus abſtinuit natura, creatis
Addidit; igne coquens, unguenta & pharmaca fecit,
Granaque ſulphurea, & vitrum, urenteſque lapillos;
Inſitione dedit priſcis nova germina truncis;
Juſſit & ignotos animalia prodere fœtus,
Robuſtumque genus mulos invexit in orbem.
Et tuus ille opifex mundi, rerum unicus auctor,
Omniparens caſus fundo tam divitè pollens,
Non facit hæc! Brevis huic virtus, aut curta ſupellex.
Eſſe atomis fines igitur frenumque neceſſe eſt.
Verum, quod per ſe eſt, frenum fineſque recùſat:
Ergo ſtare ſuis non poſſunt viribus unquam,
Et cauſam agnoſcunt atomi, numenque ſupremum.
Hic Deus, hic certe eſt! fruſtraque, Epicure, reclamas.

Nunc igitur ſpatio immenſo finita vagari,
Si dederis, nullo coaleſcent ſemina nexu.
Nempe mari magno ſi longe diſſita, venti
Navigia impellent aliquot rectoris egena,
Numquid fortuna tandem fore credis, ut uſquam
In claſſem coëant, & conſociata ferantur
Fluctibus Oceani, quantos tegit orbita ſolis,

Quantum & tranſverſus mundi protenditur axis?
Diſgregat in vacuo certe diſtantia major
Finitas atomos: per inania magna ſolutæ
Convenient nunquam; ſpatia infinita vagando
Non tranare, niſi infinito tempore, poſſunt.
Pro! Quam operis disjecta tui male membra cohærent!

At ſi materiam claudunt circum undique fines,
Illam ultra, quæris, quo ſit ventura ſagitta,
Quam bonus arcitenens valido contorſerit arcu.
Ex errore tuo dubium tibi naſcitur illud.
Ultra materiem nihil eſt; mitteſne ſagittam
In nihilum? Nihilo non eſt locus: ergo reſiſtet,
Nec poterit telum vetitos erumpere fines,
Et vires fruſtra effuſas mirabitur arcus.
Nec ſine corporibus locus eſt, nec mobile quidquam
Absque loco: ſpatium ſi funditus omne revellas,
Mors erit hæc motus; aliſque repente reciſis
Miſſile, jam nullo in directum tramite abibit
Injuſſum per iter raptantibus ætheris undis.

Æternas finxiſſe atomos totius ut orbis
Principium foret absque Deo, nusquamve creatum,
Atque infinitas, quod utrumque probata refellunt,
Haud ſatis eſt viſum implacato numinis hoſti:
Verum immortales etiam affirmare neceſſum
Huic fuit; ut cunctis etſi non dotibus, ævo
Mentiri numen ſaltem, ac ſupplere valerent.
Et quia corporibus mors eſt, elementa reſolvi
Cum cœpere, ſuos ac tandem rumpere nexus,

Idcir-

Idcirco nullis compactas ex elementis,
Verum perfecta pollentes ſimplicitate,
Ac ſolidas atomos, minimasque & vulnere nullo
Dividuas fecit; ne morti occumbere poſſent.

Nunc, individuas igitur non eſſe, probandum.
Res acta eſt: etenim variis exſtare figuris
Dixiſti: poſſunt ſine partibus eſſe figuræ?
Fac tibi quadratas, teretes, triquetrasve, licebit;
Plurimus extremas exaſperet angulus oras;
Sint aliæ cuneis ſimiles, aliæque cylindris;
Spirales aliis flexus, vel acumina fingas;
Permultis hamus, mucro, vel adunca proboſcis,
Cornua, vel dentes, rami perplexaque fila
Promineant; quasdam ſpeculo magis effice planas:
Denique ad arbitrium forma, prout eſt opus; omni
Ut poſſint hærere modo, facilique coire
Congreſſu: da quosque ſinus, da quaslibet anſas,
Tu pater, ac figulus: tandem necte, aſſue, texe;
Sed mihi ne minimas, ſic ut minus eſſe queat nil,
Neve haud compoſitas, immortalesque profecto
Dixeris, ut pote quæ non conſtent partibus ullis;
Et, cum principiis careant ipſiſſima rerum
Principia, haud unquam in res ullas poſſe reſolvi.
Nam circumcidi poſſunt, fierique minora,
Atque in perpetuum frangi, quæcunque figuris
Prædita ſunt. Ita quadratis mutare rotunda
Cædendo promtum eſt; iterum quadrata rotundis.
Quamque diu ſupereſt hamus, vel mucro, vel uncus,
Vel quæcunque poteſt atomum ſignare figura,
Semper ibi ſupereſt aliquid quod radere poſſis.

Aut illis igitur formam concedere nullam
Cogeris, atque anſas abradere funditus omnes;
Jamque adeo nullius erunt primordia molis:
Aut ſi vis illas aliqua irretire catena,
Quo melius poſſint nexus ſociare maritos;
Jam tibi principiis atomi, ceu cætera conſtent
Corpora. Nec dicas, quid primum in rebus ineſſe
Perpetuum, ſimplex, ſolidum, immortale, neceſſum,
Corporeumque ſimul: quoniam non amplius iſta
Conciliare potes; tibi nec jam impune licebit,
Dividuas atomis auferre ac reddere partes.

Quin etiam, ut velles omni ſpoliare figura,
Quæ tibi naturæ corpuſcula prima videntur;
Diſcrepat id quanquam vero, placitiſque repugnat;
Ne ſpoliata quidem, penitus ſine partibus eſſent.
Namque ubi nectuntur (ponamus talia necti)
Totane cum ſociis conjungi dixeris? An non?
Si tota; eſt igitur penetrabile corpus, & unum
Ex duplici fiet ſemper, nec mille decemve
Millia vel minimam poterunt extollere molem,
Totaque materies atomum redigetur in unam:
Quo quid ineptius eſt? At ſi non tota cohærent;
Ergo per partem. Sic nunquam eſt partibus orba
Materies. Ab ea partes ſi demſeris, auſers
Naturam, & nihilo reddis: nil poſſidet unum
Et ſimplex; menti laudem hanc permittit habendam:
Ipſa ſed extenſa eſt; atque hujus particula omnis,
Ut pars totius, in partes ita ſectile totum eſt.

Tres itaque annectas, ut fundamenta futuri
Corporis, in medio poſitam ſimul utraque tanget;

Altera

Altera ſed lævum tanget latus, altera dextrum.
Adjicias aliam ſubtusque ſuperque, videbis
Quatuor in media partes. Nunc ante retroque
Des alias, iterum mediam quæ tangere poſſint,
Sex numeras. Reſtant ſpatia interjecta, novisque
Seminibus poſſunt impleri, quæ ſimul iſtam,
Diverſa at facie, tangent: tot partibus ergo
Hæc atomus conſtat, quot habet circumundique parvas
Ac ſibi contiguas atomos; & partibus illis
Omnibus eſt etiam centrum commune, quod ipſum
Particulas alias complectitur, atque ita ſemper;
Ut nequeas unquam finem reperire ſecandi.
Quem ſi inveniſſes, extrema ſecutus, haberes
Rem non extenſam, ſine centro & partibus; hoc eſt,
Materiem, quæ materies non amplius eſſet.
Quod ſi tam parva terrentur imagine ſenſus,
Nec fugitiva ſequi conſpectu ſegmina poſſunt,
Adſpice quam late ſe parvula ductilis auri
Lamina protendat, repetito ſæpius ictu:
Flammante e ſtipula quam immenſa volumina fumi
Exſurgant, denſa & ſubtexant cærula nocte;
Quam levis inficiat quantos tinctura liquores;
Quam tenui demum inflammati ſulphuris aura
Ingratus vinis odor & ſapor inditus abſit.
Multa quidem, ſed craſſa tibi corpuſcula ſenſum
Quæ feriunt; quot non feriant vix credere poſſis:
Subtili nimium quia ſunt hæc prædita filo.

Ad perpendiculum ſi linea recta jacenti
Inciderit, puncto reſupinam figet in uno.

Si cadet oblique, paulo teget amplius illam;
Nec punctis tanget, licet inclinata, duobus,
Plusve minusve tamen, clivo prout illa minore
Vel majore cubat. Sic plusve minusve gradatim
Tactile fit punctum, prout angulus inde remanſit
Obtuſus vel acutus. Item ſi jungimus ambas,
Sic tamen, ut puncto fiet altera longior uno,
Nec magis exſuperet dextra quam parte ſiniſtra,
Et tibi dimidias atomos queis linea major
Prominet. Hoc etiam te Pyramis ipſa docebit.
Quatuor huic facies atomum ducuntur in unam;
Quatuor huic atomo partes ergo eſſe neceſſe eſt.
Nam ſit apex atomus; quæ linea proxima, binis
Eſt atomis, tribus eſt quæ tertia, ſic quoque deinceps.
Una duas igitur liquido premit, atque duæ tres,
Verum non totas; cum ſemper linea creſcat
Inferior, donec ſuperet baſis infima cunctas.

Cur diagonalem lateri commenſus, inanes
Deprendis curas, teque hic ſpes irrita fallit?
Si tamen ex atomis eſt omnis linea quadri,
Protinus obliquæ non eſt componere rectam
Cur nequeas; Atomis paribus nam ſi utraque conſtet,
Jam facile inventu eſt, quanto hæc numeroſior, illam
Exſuperet: ſed cum hoc fruſtra in molimine ſudas,
Majores atomis atomos agnoſcere debes.
Forte ideo nulla quadrari circulus arte,
Nulla vi potuit noſtræ per ſæcula mentis:
Tentatum multis opus infelicibus exit
Auſpiciis; vanum riſit natura laborem.
Nulla geometrices tibi non arcana repugnant.

Qui-

Quilibet innumeros in ſe implicat orbibus orbes
Circulus: at totidem centrum, qui proximus ambit,
Orbis habet partes, quot qui tenet ultimus oram.
Namque intermediis tot in orbibus, ordine certo,
Quo propius centrum eſt, majoribus usque minora
Reſpondent ſpatia, & decreſcit particularum
Menſura, haud numerus. Quin & ſi ſimplice puncto
Centrum ſtare putas, centro quoque cæcus in ipſo es.
Nam qua parte ſui latus unum reſpicit oræ,
Hac latus adverſum non reſpicit: unde tot illi
Sunt minimæ partes, quot ea numerantur in ora,
Etſi quæque minor. Centrum ipſum eſt circulus alter;
Qui rurſum innumeros in ſe complectitur orbes.

Ergo materies, ut pondera, tempora, motus,
Dividitur ſemper; nunquam horum extrema ſecando
Aſſequeris. Veluti motus pars nulla quies eſt;
Temporis ut partes minimæ ſunt tempora quædam;
Ponderis ut partes ſunt pondera; ſic quoque nulla
Corporis extenſi pars, non extenſa profecto eſt.
Quod ſi individuum nonnunquam in corpore punctum
Fingimus, hoc fit, uti centri ratio ipſa notetur:
Linea ſic ſpatio ſine lato fingitur, imo
Lata ſuperficies ſolido ſine; corporis etſi
Naturam longe, late, ſolideque profundam
Noverimus, nec poſſe aliter conſiſtere corpus.

At demonſtratur, dices, cum ſphæra jacenti
Ponitur in plano, punctum quo jungitur illi
Eſſe individuum. Sed enim qui talia monſtrant,
Effingunt animo ſphæram planumque minutis

E pun-

E punctis; uni quæ ſunt bene nota Matheſi,
Dum ſpatii rationem a corpore ſegregat ipſo;
Non phyſicæ, corpus quæ ſemper conſpicit ipſum.
Ergo, ſi punctum vere perpendimus illud
Contactus, veram ſolidi partem eſſe videmus,
Atque parem reliquis quas ſcindi poſſe probatum eſt.
Haud etenim plani faciem contingere ſolum
Cernitur, aſt etiam ſphæræ cui firmiter hæret,
Partes vicinis contingit partibus: ergo
Dividuum eſt, & particulis e pluribus in ſe
Conflatum; quamvis hac tantum parte videri
Poſſit nonnunquam, qua plano contiguum ſit.

Dividuas atomos igitur fatearis oportet;
Unde mori poſſunt. Nam reji quæ fuit ante,
Continuo mors eſt cum ſolvi cœpit, & illas
Diffluere in partes, quarum agmine conſtitit olim.
Nec dicas, plenæ cum ſint, quod lædere poſſit
Non admiſſuras, & ab omni vulnere prorſus
Immunes, nullum quia celant intus inane.
Præterquam quod enim, vacuum non eſſe revici
Corporibus cunctis, quæ conſtat morte reſolvi;
Si nequeunt atomi, quia plenæ, occumbere leto,
Non ergo has ſua ſimplicitas a morte tuetur,
Inſita durities hoc tantum munere donat:
Sed neque durities; etenim coëuntibus illis
Inter ſe, vacuum non eſt, qua parte cohærent,
Et tamen avelli vel te ipſo judice poſſunt.
Sic immortales atomi non eſſe probantur.
Et quia quidquid habet finem, moriturque peritque,
Hoc ſine principio non eſt, at cœpit oriri;

Æter-

Æternas atomos igitur non eſſe memento.
Omnia nativo mortalia corpore conſtant:
Quæque aliqua poſſunt labi & tabeſcere cauſa,
Nulla forent penitus, niſi quis foret auctor ut eſſent:
Eſt atomis ideo, vere mortalibus, auctor.

At quanquam in partes ſcindi queat infinitas
Materies, tamen haud dicas æqualia magnis
Corpora parva fore, ac nullo diſcrimine moles;
Ex infinitis quaſi ſingula partibus æque
Conſtarent. Quamvis etenim ſint corpora nulla,
Quæ non dimidia ſemper decreſcere poſſint
Parte ſui, moles tamen haud ſcinduntur in æquas;
Parva ſed in parvas, in magnas magna: reſectis
Partibus ut maneant eadem diſcrimina ſemper,
Quæ totis fuerant: nam ſemipede amplior ulna
Semiputata manet, veluti pede grandior ulna eſt.

Sed qua fronte mihi hæc Epicurus? Nonne ſub una
Semina materiæ locat infinita figura?
Dicam igitur. Tot ſunt atomi cujusque figuræ,
Summa figurarum quot circumplectitur omnis.
Inſuper, hic numerus ſpeciem, qui continet unam,
Æquator numero ſpecies, qui continet omnes.
Totum adeo per te non majus parte videtur.
Si capis hæc abſurda, profarisque ore ſereno,
Cur ea non capies, quæ demonſtrata reliqui?
Non enim inæquales, ut ſunt tua ſemina, verum
In decreſcentes abeunt mihi corpora partes;
Et ſint dividuæ quamvis, te non tamen ipſa
Diviſæ, ſemperque aliquo clauduntur acervo
Conjunctæ. Sic materiam, qualem eſſe docemus,
Haud

Haud infinitam quovis in corpore dices.
Nam ſemel adſcripta communi mole per omnes
Particulas, quamcunque tuo adſcripſiſſe libebit
Arbitrio, certe paucas in corpore parvo,
Multas in magno numerabis corpore moles:
Quamvis ſic minimam nequeas aſſumere partem,
Ut non ſint partes, conſtat quibus ipſa, minores.
Infinitum ergo eſt, non quod ſine fine ſecando
Fit minus, at nulli quod fines undique claudunt.
Infinitum etenim, atque immenſum nomine diſtant;
Re ſunt unum & idem, atque eadem de utroque feruntur:
Materies porro, qualem deſcribimus, etſi
Decreſcit ſemper, non eſt immenſa. Quid ergo eſt?
Congeries rerum, quæ poſſunt usque ſecari.
Res illæ ſeorſum, ac proprio ſub limite perſtant:
Atqui ex finitis coëuntibus & cumulatis
Summam infinitam conflari haud poſſe probatum eſt.

Verum quodcunque eſt, ſimplex ſit oportet & unum,
Objicis; at ſimplex nunquam dicetur & unum,
Quidquid dividitur: ſunt ergo corpora quædam,
Quæ prorſus non ulla queunt in fruſta ſecari.
Quod ſi non eſſet, jam certe nulla darentur
Principia, & corpus nullum, quod partibus eſſet
Compactum veris; in eis quia nil foret unum:
Atqui hoc a vera procul eſt ratione repulſum.
Namque ut principium numeri, quicunque ſit, unum eſt;
Atque omnis conſtat numerus compluribus unis;
Sic & principium compacti corporis unum eſt,

Atque

Atque adeo corpus multis compingitur unis.
Quod ſi per ſe ſe forſan nequit una vocari
Materies, at ſaltem unis conſletur oportet:
Ergo individuis illam conſtare fatendum.

Nil melius, Quinti, nil ipſe Epicurus, & ille
Qui latio captas deluſit carmine mentes,
Dixerit. Illa tamen mira quæ congeris arte,
Disjicere haud magnum eſt, tenuique evertere flatu.
Quodcumque eſt, unum eſt, fateor: ſed dicitur unum,
Haud ratione pari. Quod ſimplex intus & omni
Parte caret, vere hoc unum eſt. Ante omnia numen,
Quod modo tu, licet invitus fruſtraque reluctans
Agnoſces, unum eſt. Etiam mens noſtra, ſupremi
Numinis effigies, una eſt ac neſcia ſcindi.
At quæ ſolius natura eſt propria mentis,
Hanc cave materiæ tribuas. Diſcrimine quanto
Mentem & materiæ par ſit ſecernere textum,
Accipies poſthac. Sed corpus non magis unum
Eſſe poteſt, quam mens in partes una ſecari.
Nempe quod eſt, duplici diſtinguitur ordine rerum:
Quod non extenſum neque conſtat partibus ullis,
Simplice donatur natura, & dicitur unum:
At ſecus extenſum, quia conſtat partibus: ergo
Non individuum, non ſimplex eſſe, nec unum,
Ipſe vides. A ſe ſic longe diſſita pugnant
Unum & materies, nec eadem in ſede morantur:
Nulla poteſt adeo vere pars una vocari
Materiæ; quamvis hoc nomine cuncta vocentur
Corpora, quod multas habeant cum ſingula partes,
Molem aliquam reliquis ſejunctam molibus in ſe

Con-

Contineant: nam ſic lapis unus dicitur, unum
Flumen, & una domus; ſic omnis materiæ pars,
Circuitu proprio, propria finita figura.

Principium vero numeri ſic dicimus unum,
Ut tamen interdum mens illud frangere poſſit,
Atque infinite ſubducere: quod niſi fiat,
In partes æquas numerus non ſcinditur impar;
Nec ſeptem vel centum æqualiter in tria ſolves
Segmina. Dividuum ſic noſtra mente fit unum.
Aſt ubi materiam metimur, ſingula puncta
Dividimus re, non animo. Nam linea nulla eſt
Materiæ, partes quæ non ſcindatur in æquas.
At ſecus accideret, ſi vere, ut tu tibi ſuades,
Ex individuis conſtaret linea punctis.
Nam ſi punctorum numerus, queis linea conſtat,
Eſt impar, nunquam paria in duo ſegmina ſcindes.
Sunt igitur puncta hæc fictitia, ludicra, vana;
Materies nec ſeminibus compingitur unis.

Noverat id certe (reliquos nam numinis hoſtes
Confutare juvat) qui nunc Sinenſia partim
Dogmata complexus, partim veſana Stratonis
Reſtituit commenta, ſuiſque erroribus auxit,
Omnigeni Spinoſa Dei fabricator, & orbem
Appellare Deum, ne quis Deus imperet orbi;
Tanquam eſſet domus ipſa, domum qui condidit, auſus.
Sic rediviva novo ſe ſe munimine, cinxit
Impietas, tumidumque alta caput extulit arce.
Scilicet ex toto rerum glomeramine numen,
Conſtruxit, cui ſint pro corpore, corpora cuncta,

Et

Et cunctæ mentes pro mente, ſimulque perenni
Pro vita atque ævo, fuga temporis ipſa caduci,
Et qui ſeclorum jugis devolvitur ordo.
Pana putes; non Arcadicis in montibus illum
Capripedem, cui ſylvicolæ pecus omne ſacrabant,
Septiſono ſolitum calamo Syringa vocare,
Sectarique leves inter nemora avia Nymphas,
Cornutumque caput lenta præcingere pinu,
Mittere & inſanos per agreſtum corda timores;
Sed qui magnifico referebat nomine mundum.
Quidquid enim eſt, ipſi Deus eſt, idem unus & omnia.
At quia quod per ſe eſt, infinitum eſſe neceſſe eſt,
Nec tamen id rerum in numero, velut ante docebam,
Fas reperire fuit; monſtro nil territus, omnem
Abjecit numerum; nec multis partibus auctam
Materiæ ſummam voluit Spinoſa, ſed unam
Atque individuam vere ſine partibus ullis,
Immenſamque atomum. Demens qui ſe, ipſe, Deumque
Confudit ranis ac muribus; & proprium nil
Senſit ineſſe ſibi, vel cum ſe ſcire videret
Ignorante alio, atque alio lætante doleret.
Egregium numen, cultro quod ſcindere poſſis!
Non ſcindetur, ait, quamvis quæ membra videntur
Corporis immenſi forte in diverſa locorum
Tranſtulerim; quod ſcindit enim, & quod ſcinditur, unum eſt.
Inſulſe: ſi carnificem, gladiumque necato
Diſtingui nolit, nec progenitore creatum,
Nec paſtore lupos, nec vivis luce carentes.

Nam varios res una modos aſſumere quamvis
Temporibus poſſit variis, pugnantia nunquam,
Ut mortem vitamque, aſſumet tempore in uno;
Nec ſimul eſſe poteſt quadrata, ſimulque rotunda;
Et capere adverſas cum ſimplicitate figuras.
Vel ſi quadratur partim, partimque rotunda eſt;
Non jam individua, aut ſimplex, aut una putetur.
Unius multas generis res eſſe fatebor;
At rem unam dici, quæ res complectitur omnes
Non modo diſtinctas, ſed tot rationibus in ſe
Diverſas, quarum ſemper negat hæcce quod illa
Adſtruit, ac totum ſine partibus eſſe, repugnat.

Verum inſtat; res eſſe duas, quarum altera fines
Anguſtos habeat, cum neſciat altera finem,
Haud minus a vero forſan diſtare videtur.
Si fuerint etenim diverſæ, ſtentque ſeorſum;
Hæc, immenſa licet, licet infinita vocetur,
Non totum eſſe tenet, quod participatur ab illa:
Unde immenſa nequit, nequit infinita vocari.
Egregie dicit, ſi per ſe ſtare putemus
Res ambas; ſiquidem cum numine mundus haberet
Diviſum imperium; Deus & minor, at Deus eſſet.
Verum infinitæ ſi totum hoc debeat, ut ſit
Finita; haud certe natura precaria, pendens
E nihilo ducta, in nihilum per ſe apta revolvi,
Subdita, egena, recens atque adventitia finit
Naturam per ſe ſtantem, & quam ſtare neceſſe eſt.
Huic adjuncta nihil tribuit, nil demit ademta.
Scilicet eſt in ea, non ut pars cernitur eſſe
In toto; ſed ut in cauſis effecta videntur.
Unde novum aſtutæ ruit impietatis aſylum.

Hæc

Hæc in Spinoſam. Te nunc, Epicure, laceſſo.
Sunt igitur partes atomis, fruſtraque negares.
At partes atomorum illas quæ copula junxit?
Quæ cauſa arcet ab his vacuum? Quo glutine conſtant?
Nam qua tu ratione atomos ſociare laboras,
Corpus ut illarum nexu vinclisque creetur;
Hac ipſa ratione, atomos ut fingere poſſis,
Cogeris aſſutas atomorum nectere partes.
Cumque ſuas habeat pars intima quæque figuras,
Multimodis inerunt ſpatia interjecta figuris:
Et ſic nil ſolidi facies; atomosque caducas,
Hoc ipſo quia dividuas, cogere fateri,
Atque ita mutari faciles, ac proinde reſolvi.
Quod mutatur enim diſſolvitur, interit ergo.
Nec ſtatus eſſe poteſt disjunctis unus & idem:
Præcipue ſi motus erit per ſe inſitus omni
Materiæ. In motu mutabilitatis origo eſt.
Quod ſi compactæ tanta ſimul arte locantur
Particulæ, minima ne poſſint hiſcere rima,
Et ſolidam efficiant atomum, ſimulentve; profecto
Solertem agnoſcis fabrum, qui talia fecit;
Et fundamentum cunctis ut poneret unum
Corporibus, tam concinne tot ſparſa coëgit
Semina, conſociansque atomorum elementa ligavit,
Quæ poterant alia, atque alia ratione ligari.

Nam cum Atomus conſtet multis e partibus una,
Pars ea, quæ parti nunc jungitur ordine certo,
Ut totam conflent atomum, faciantque quadratam,
Per ſe, naturamque ſuam non poſtulat, ut ſit
Huic uni conjuncta: pari ratione, modoque,
Alterius poterat fieri comes, atque locari

Deſuper aut infrà, dextro latere atque ſiniſtro,
Et quævis pars eſſe atomi cujuslibet. Ergo
Cur iſti addicta eſt? In ea cur hæc loca ſervat?
Si rogitem, an poterit ratio diſſolvere cauſam?
Unde neceſſe fuit dextram prius eſſe fabrilem,
Quæ partes atomo tali, prout ordo deceret,
Diſtribuens tales, totum formaret ubique
Seminium, & rebus cunctis daret eſſe velut ſunt.
Qualis muſiva qui ſtrenuus arte laborat,
Cum libet aut veſtes hominum aut effingere vultus,
Ac permanſuros intermiſcere colores,
Eligit e multis, quos deſtinat ipſe lapillos,
Ut ſpecies varias operoſa in imagine reddant;
Defigens cunctos intrito, ac ſedibus aptans,
Compoſitosque manu addenſet junctimque coarctat.

Propterea tales atomi ſunt, qualia quæque
Corpora; connexis conflantur partibus. Ergo
Sic omnes atomi ſunt factæ, ut corpora fiunt;
Scilicet ex atomis, quæ compinguntur & ipſæ.
Nec primam invenies non ex brevioribus ortam,
Aut ſine principio, aut aliqua non arte locatam.
Ecce vides ut, cum cecidit nix plurima cælo,
Ludentes pueri ſoleant compingere maſſam
Cuncta pilæ ſimilem, & telis certare jocoſis:
In manibus teneris concreſcit mollis acervus
Qui fuit ante liquor: concretum ſæpe volutant,
Et nivis aggeſtu repetitis motibus augent,
In montem: hinc vaſtos immani mole Dracones,
Hinc templa, hinc arces, & propugnacula fingunt.
Corpora ſic motu, ſic tempore cuncta creantur
Ex atomis: ſic ipſæ atomi, partesque atomorum.

Illæ

Illæ congeriem ſenſim cumulantur in unam;
Donec eas tandem circumcæſura coërcens
Terminet, ac certo involvat ſub limite molem.

Quis demum proprias atomis & partibus ipſis,
Quarum atomi cœtu conſtant, dedit eſſe figuras;
Ut ſimiles partim inter ſe, partimque tot eſſent
Diſſimiles? Quis eas ſtuduit ſic ducere torno,
Nunc fodiens, nunc exacuens? Quæ lima terendo
Sæpius, effecit leves? Quæ dextera finxit
Tam varie comtas? Qua ſunt incude politæ?
Nam variæ aut ſimiles aliqua ſunt non ſine cauſa.

Quidni? Natura tales ſunt, inquis, ab ævo;
Corpora quandoquidem ſunt prima, neque indiga fabri:
Quæ, numero cum ſint prorſum infinita, repugnat
Cuncta pari filo atque pari cuncta eſſe figura.
Falleris, o Quinti: neque enim tibi corpora prima,
Corporibus quæ ſunt conflata prioribus. Illud
Jam demonſtratum eſt; quia conſtant partibus. Atqui
Si conflata ſemel fatearis, nata fateris.
Ergo quidquid habent in ſe vel habere putantur,
Id cauſæ debent. Fecit caſusve Deusve
Singula. Sed caſus primordia nulla creavit,
Nulla creare poteſt: ergo Deus. Undique numen
Conſpicuum: vires ac mentem agnoſce creantis!

Eſſe poteſt atomis nil per ſe ac ſemper ab ævo,
Materiæ niſi quod per ſe natura requirit.
Quapropter ſi corporibus nativa figura eſt,
Ac per ſe talis, talem fuit eſſe neceſſum.
Eſt igitur quadrata atomus, quoniam eſſe rotunda

Non potuit. Sed nil atomum vetat eſſe rotundam;
Cum ſint innumeræ paſſim, te judice, tales.
Ergo materiæ nullam natura figuram
Privatim expoſcit, cunctas amplectitur æque.
Quod ſi quadratam ambiret, nihil eſſe rotundum;
Nil & quadratum poſſet, ſi forte rotundam.
Attamen ex atomis quot quadratæ atque rotundæ?
Quadratas adeo per ſe, per ſeque rotundas,
Aut alia inſignes forma, qui dicit ab ævo
Naturaque ſua; haud ſecus hic pugnantia dicit,
Ac ſi homines per ſe nigros, aut diceret albos,
Aut grandes, aut exiguos; cum oſtenderet ipſe
Gallos, Æthiopas, Pygmæos, atque Gigantes.

Nimirum comperta tibi eſt natura modorum.
Rebus ineſſe quidem poſſunt & abeſſe, tametſi
Res maneant. Ceram invertas utcunque libebit;
Cera manet. Glaciem concretam reſpicis; unda eſt.
Nix cadit e cælo, qua terram albeſcere cernis;
Unda eſt. Olla fremit, fumusque aſſurgit in auras;
Unda eſt: mille modis variatam detegis undam.
Si nativus erit modus hic, ſive ille, nequibit
Auferri: ſi per ſe ſe eſt, alium eſſe repugnat.
Quod ſi translatis, ſive auctis, ſive reſectis
Partibus hic poterit modus exul abire, vel ille;
Non eſt nativus. Sed corpore cernis in omni
Quaslibet attritu mutari poſſe figuras,
Formarique novas. Ergo adventitia res eſt
Materiæ quicunque modus, quæcunque figura.

Hoc tuus ipſe quidem ſatis intellexerat auctor,
Nec dubitat vero cedens perſæpe fateri:

Cur

Cur nunc, everſa ſubito ratione modorum,
Æternas atomis dat moles atque figuras,
Immemor ipſe ſui? Quidnam inconſtantia tanta
Portendit? Jamne ipſe capis quam fœda magiſtro
Inde tuo nota, quæve fides ſit habenda bilingui?
Hæc conjuncta ſolet, cum de primis elementis,
At cum de mixtis ſermo eſt, eventa vocare:
Sed nova non rerum naturam nomina mutant.
Nonne atomos mixtas, ut corpora cuncta, probavi?
Nil igitur conjunctum atomis adſcribere par eſt,
Quod mixtis pariter conjunctum non ſit, & ipſi
Materiæ, ſic, ut nequeat perſtare ſine illo
Materies. Quocunque poteſt orbata videri
Integra & incolumis, conjunctum hoc ſcilicet ipſi
Appellare nefas: interque eventa locandum eſt.
Haud ullum corpus ſine qualicunque figura
Unquam ſtare poteſt; igitur conjuncta reapſe,
Corporibus cunctis, eſt qualiscunque figura,
Ut pote finitis ac certo limite clauſis.
Corpus at omne poteſt ſine tali ſtare figura:
Ergo non talis conjungitur, evenit ipſi.
Ut ſine qualicunque ſitu conſiſtere corpus
Non poterit; poterit ſine tali, vel ſine tali:
Nec refert ubi ſit, modo quadam ſede locetur.

Haud certe ingenio totas Epicurus habenas
Immiſit, paucis ornans ſua ſemina formis.
Fingere cum ſciret, quidni auſus fingere plures?
Cur & Anaxagoræ contemſit Homœomeriam?
Non Epicureis audacior illa repertis;
Satque videbatur veſtris accomoda rebus:
Omni ſtructa modo confertim ſemina præbens,

Quæ ſibi congeneres adeant, paſſimque ſequantur
Particulas, coëant illis, aliaſque recuſent;
Seque oculi jungant oculis, atque auribus aures,
Argentum argento, flori flos, ignis & igni.
Sed fallax tuus ille Dei contemtor & hoſtis,
Prævidit nunquam poſſe hæc infecta putari
Corpora, quæ ſignum tanti ſpecimenque laboris,
Et manifeſta ſuæ ferrent veſtigia cauſæ.
Ergo atomis artem nimiam detraxit; & illas
Simpliciore dedit cultu, primiſque figuris
Tantum exornatas; fortunæ cætera credens,
Quæ concurrentes parerent eventa figuræ.

Verum & commentis quid parcere profuit? Æque
Abſurdum eſt, atomos ſi per ſe dixeris eſſe,
Plusve minusve rudes, plus aut minus eſſe politas.
Tam nempe artificis manus eſt adhibenda, ligonem
Aut raſtrum ut facias, quibus agrum exercet arator,
Quam clypeum, quo flava Thetis donavit Achillem,
Pacis ubi Ignipotens bellique inſculpſerat artes;
Et ſtygiis intinctum undis thoraca Minervæ,
In quo ſtant geminæ Sphinges, torvumque renidet
Gorgonis horrendæ facies redimita colubris.

Fixum igitur teneas animo certumque fugaces
Eſſe modos, & in his penitus nihil eſſe neceſſum.
Materies porro, ſeu maſſam intelligis omnem,
Seu varias ejus partes, conſiſtere nunquam
Abſque modis potuit: non hunc aliumve requirens,
Per ſe naturamque ſuam (quia quos ſemel olim
Per ſe naturamque ſuam tenuiſſet ab ævo,
Nunquam hos ex ulla poſſet deponere cauſa)

Aſt

Aſt aliquem ſemper, nempe hunc aliumve, perinde eſt.
Ergo quos habuit primos, ſervatque tenaces,
Vel quos deponit ſemper, ſemperque reſumit;
Hos cum non habeat per ſe ſe, habuiſſe neceſſe eſt
Ex alio; Et quoniam revera tempore nullo
Stare poteſt informis & omni caſſa figura
Materies, ſequitur per ſe conſiſtere nullam
Materiem: atque ab eo totum hoc ſumſiſſe quod eſſet,
A quo etiam hoc ſumſit talis, vel talis ut eſſet.
Propterea quidquid per ſe eſt variabile, non eſt
Æternum: at pendere aliquo ex moderante neceſſe eſt.
Talis materies; nequit ergo æterna vocari.
At ſi materies non eſt æterna, creari
Debuit e nihilo; per ſe ſe non fuit unquam,
Eſt tamen; e nihilo ſemel ergo exſiſtere cœpit.

At qui materiam fecit, non ille profecto
Materia conſtat. Nam ſi conſtaret & ipſe
Partibus advectis per motum ac tempora quædam,
Prævius huic eſſet motus. Simul altera cauſa
Inquirenda foret; quæ motum partibus illis,
Atque ſitum nutu proprio, formamque dediſſet.
Per ſe, aut æternus minime foret ille, ſed alter.
Atqui principium, quo corpora cuncta creantur,
Æternum plane ac per ſe eſt, velut eſſe fateris:
Unde incorporeum, Quinti, ſimul eſſe neceſſe eſt.
Ergo materiæ Deus & moderator & auctor,
Materia ipſe caret, perituri eſt corporis expers.

At nihil e nihilo, exclamas: Epicurus id olim
Exclamabat: idem reſpondet muſa Lucretî;

Non ſecus ac reſonans curvis in vallibus Echo,
Paſtorum liquidas voces & carmina reddit.
Sed nihil e nihilo fieri dum poſſe tuentur,
Ecquid contendunt? Terraſne ac ſidera cæli,
Oceanumque e particulis conſtare coactis?
Singula quæque ſuo vegetantia ſemine naſci;
Ac fœtus animantum e progenitoribus ante
Formatis? Haud inficior. Sed copia rerum,
Ipſaque materies, ex qua ſunt omnia facta,
Unde ſit, hoc opus eſt. Per ſe non eſſe probavi;
Eſt igitur cauſa ex aliqua: quæ cauſa profecto
Non eſt materies, ſed quiddam antiquius illa.
Ergo materies omni ævo non fuit. Inde
Dicimus e nihilo factam, quia facta reapſe eſt.

Quid rerum indagas exordia rebus in ipſis;
Simplicitatem in compoſitis; formasque perennes
In mixtis reſolubilibus; primumque vel unum,
Hic ubi nec primum quidquam ſimplexve, nec unum eſt?
Scilicet eſt aliquid per ſe immortale, neceſſum,
Æternum, immenſum, primum, immutabile, ſimplex,
Atque infinitum infinite. Nempe quid hoc eſt,
Ni Deus eſt? In eo mundi primordia quæras.

Abſtruſum per iter gradimur, Quinti. Arida late
Luſtramus loca, præruptis quæ cautibus horrent.
Præmonui, durumque fore ingratumque laborem!
Hic animos reparare velis: hic ſiſte parumper.
Quippe voluptati eſt labor intermiſſus, & ultro
Ad nova collapſas reficit molimina vires.

ANTI-

ANTI-LUCRETIUS,

SIVE

DE DEO ET NATURA

LIBRI NOVEM

AD QUINTIUM.

LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Irriſa Lucretianæ doctrinæ arrogantia & abſurditate, de motu hoc libro quærendum proponit, exponitque inſitam atomis ab Epicuro gravitatem & declinationem: a v. 1. ad v. 103.

1. *Declinationem refutat variis argumentis:* a v. 103. ad v. 237.

Ex declinatione atomorum non poſſe, ut cenſet Epicurus, explicari mentis humanæ libertatem: a v. 237. ad v. 323.

Gaſſendi commentum de diverſa atomorum velocitate confutat: a v. 323. ad v. 402.

2. *Gravitatem atomorum impugnat:* a v. 402. ad v. 541.

Gravitatis cauſam enuntiare aggreditur, quam repetit ab æthere terram ambiente. Admonet hypotheſim ſuam a ſe non pro certiſſima adduci, ſed tanquam Epicurea ſaniorem: a v. 541. ad v. 581.

Diviſa ſubtili, quæ terram circumfluit, materia, in plures Pyramides, ex earum vi centrifuga oriri putat corporum gravitatem, ac præterea ex æquali terreni vorticis preſſura: a v. 581. ad v. 695.

Corpus nullum per ſe aut grave aut leve eſſe, probat variis exemplis: a v. 695. ad v. 933.

Gravitatem Neutonianam in attractu poſitam refellit, ac Carteſii ſententiam cum Neutoni ſententia comparat: a. v. 933. *ad v.* 1125.

Redit ad motum Epicureum, oſtenditque, neque connecti, neque reſilire atomos potuiſſe: a v. 1125. ad v. 1295.

Spinoſæ ſententiam de motu æterno & in ipſa materiæ natura inhærente evertit, concluditque, motum ab auctore aliquo a materia diverſo, afflari materiæ debere: a. v. 1295. ad finem.

❀):o:(❀

DE MOTU.

Ac veluti medio jam feſſus monte viator,
Saxoſum per iter poſtquam ereptavit, in alta
Tandem rupe ſedens, vultum ſudore madentem
Tergit, & aſcenſu labefactos recreat artus:
Tum rigidas cautes & quæ juga vicit anhelans,
Cernere amat, relegitque oculis veſtigia lætis:
Surgit mox, avidus ſummum exſuperare cacumen,
Quique viæ ſupereſt labor, hunc animoſior implet.
Abdita materiæ ſic nos penetralia tandem
Emenſos, juvat ire, novosque accingier auſus.

Dum gradimur, ſenſim tenebras lux orta reſolvit:
Et male fucati decreſcit gloria vatis.
Numine calcato ſedenim ſpoliiſque ſuperbus,
Quam plenis cantabat ovans ſua ſemina buccis!
Quam tumide magni celebrabat inanis honorem!
Jamque immortales Epicuri ad templa ferebat
Exuvias, viridi redimitus tempora lauro
Victor; ob ereptum ſuperis & manibus orbem,

Atque

Atque incantatas præclaro carmine gentes.
Mœſta ſequebatur manibus poſt terga revinctis
Relligio, ſtipata choro lugente piorum;
Victima ſacrilegûm cultro mactanda profano.
Tum ſaltu atque jocis pubes inſana micare,
Spargere purpureos flores myrtumque virentem.
Nec deerant, Veneris lectiſſima turba, puellæ,
Quæ calathis ferrent uvas, & Adonidis hortos.
Jam duce tu gradiens ratione, quid ille creparet
Vidiſti; fragiles nugas & vana tropæa,
Non ſine deſpectu quodam tacitoque pudore
Miratus tenues dilabi prorſus in auras:
Nec perſonatæ ſteterunt mendacia muſæ.

Unde putas, Quinti, vero tam diſſita rerum
Principia, æternumque ſibi pugnantia, tantam
Inveniſſe fidem? Quæ vis arcana ſequaces
Traxit, & aſſuetis homines abſterruit aris?
Namque ciere feras nunquam felicior Orpheus
E ſylvis, qua Threïcius fluit amnis in æquor;
Aut exſultantes pelago Delphinas Arion:
Auritos lapides cithara nec blandior olim
Ducere, Cadmæas plectro qui condidit arces.
Quæ nubes animos adeo caligine tetra
Obduxit, lucem ingenitam ut reſtinguere poſſet;
Ipſiusque nitens veri jubar abderet umbra?
Senſuum adulatrix, & falſi lena Cupido.

Des, inquit, ſpatium cunctis penetrabile rebus,
Ac ſine fine patens; quod partes attamen imas,
Et ſuperas habeat; quod ſtet vigeatque ſua vi;

Cætera

Cætera par nihilo: des largam materiæ vim,
Æque infinitam; ſed quæ non impleat illud:
Congeneres atomos, varias tamen; atque figuris
Omnibus inſignes, cum ſimplicitatis honore;
Extenſas, non dividuas; ſine partibus, & cum
Partibus. Adjicias totum non amplius eſſe
Una parte ſui; atque modos non eſſe modorum
De genere; extemplo mundum ſine numine condam,
Credo equidem. Verum qui tot tibi monſtra dediſſet,
Huic tres Anticyræ ſanando non ſatis eſſent.

At quia corporibus non ſufficit una creandis
Materies, aliquis ni jungat ſemina motus,
Re ſuper hac ſi non meliora Lucretius edet,
Bilem grandiloquus doctor, riſumve movebit.
Ergo, ne partem hanc leviter cenſoria virga
Prætereat, quæ præcipua eſt, minus ardua quamvis,
Nunc inquirendum de motibus. Hic Epicurum
Cernimus erroris ſcopulo alliſiſſe volentem.
Namque animi dubius, cum naturale movendi
Principium cauſamque atomis quæſiſſet in ipſis,
Optaretque, ut multimodas dedit eſſe figuras,
Sic quoque multimodis atomos impulſibus omnes
Urgeri; quo commodius transverſa vagatæ
Obventare ſibi ac cœtus celebrare frequentes
Inter ſe poſſent; ſolam, quo munus obiret,
Invenit gravitatem. Et eam ſic nexibus arctis
Omni materiæ conjunctam edixit, ab illa
Nunquam ut divelli quovis molimine poſſet;
Propria ceu reji natura atque intima virtus.

Verum

Verum Democrito quondam hæc elementa docendi,
Quæ vetus ante omnes Leucippus tradidit auctor,
Si non & primum Phœnici debita Moſcho,
Reſponſum fuerat; tali haud primordia motu
Miſceri, nedum regredi, aut incurrere poſſent.
Namque parallelis æternum ductibus ibunt;
Nec prior unquam atomus potis exſpectare ſequentem eſt.
Unde ſimul nullis poterunt coaleſcere vinclis.
Riſerat objectum forte, ut ridere ſolebat
Omnia Democritus; ſed enim non ſolverat unquam:
Et qui ſolviſſet, manifeſto lumine victus?
Pondere cuncta ſuo quoniam directa feruntur
Ad perpendiculum, ni cauſa ſuborta vetabit.
At puro in vacuo, quæ cauſa ſuborta vetaret?
Nam placidus ventis cum cælo decidit imber,
Gutta nequit ſuperas præcurrens ſiſtere guttas,
Aut quatere a tergo, pulſasve reflectere ſurſum.
Sed neque transverſas una ſecum ima petentes,
Ordine quo primum liquidis ſunt nubibus actæ,
Ulla ferire poteſt, aliisve per aëra necti.
Hæc reputans & mente cavens Epicurus acuta,
Declinare atomos ait, & deſcendere motu
Obliquo. Sic fortuitis occurſibus anſam
Præbuit; optatisque ratus nil defore tandem,
Et patre Democrito longe ſolertior, ire
Detortas atomos juſſit, quo pondera ferrent.

Exprobrare viro nolim, quod & ipſe libenter
Confeſſus vitium, proprio emendare reperto

Niti-

Nititur: haud illi probro eſt quod deſipit alter.
Culpam igitur veterem ſileo; ſed in hocce repertum
Invehor, & quam ſit fallax & inutile, dicam.
Nam vel cuncta ſimul corpuſcula, ſponte cadendo,
Declinant ſimili deſcenſu, & paſſibus æquis,
Atque parallelo motu ſunt percita; tumque
Nil agit: aſt eadem redeunt incommoda ſemper;
Semina quandoquidem disjunctim, ut diximus, ibunt,
Nec ſe unquam attingent: vel quædam obliqua moventur,
Quædam non; & ſic, ut diſtant plurima formis,
Diſtabunt pariter motu: provincia cuique
Jam dabitur: bifidumque atomi ſcindentur in agmen,
Tramite currentûm obliquo, rectoque cadentûm.
Unde ergo accipiunt proprii divortia lapſus;
Etſi naturæ paris, etſi neſcia cauſæ?
Nam quæcunque pari ſunt mobilitate, parique
Prædita natura, nulloque auctore moventur,
Non eſt ut motus in ſe diſcrimina gignant.

O Epicure pater! Vellet ſi talia credi
Relligio, quantis eadem commenta cachinnis
Exciperes! Matrem dixiſti ſæpe malorum,
Aſt errorum etiam & potiori jure vocares.
Materiæ ſic ipſa tuæ primordia vertis
Ad libitum! Quidni, quoniam te ſculpere multas
Non puduit primis individuiſque figuras
Principiis, totidem ſimul auſis indere motus?
Namque rotare alia, atque alia intorquere per omnes
Curvarum amfractus, per qualeſcunque figuras,
A moto quotquot deſcribi corpore poſſunt,

Per ſpiras, rhombos, & flexus atque reflexus
Fulguris in morem, aut colubri repentis in herba;
Nunc et reticuli, telæ nunc textilis inſtar,
Ducere ſic poteras, velut inclinare parumper.
Quandoquidem natura, Deo quam ſubtrahis omnem,
Nutibus ipſa tuis famulatur, pronaque ſervit.
Ponere vis mundo leges, at ponere neſcis.
Qui regnum affectas, quin firmius utere regno?
Sobrius imperii, ſaltem hac in parte, videris
Atque verecundus; neque opes impendis abunde,
Omnipotens Epicure. Atomi, tua maxima cura,
Parce congenitas per te accepere figuras;
Parcius & motum. Tamen hunc variare decebat
Pluribus innumeriſque modis: ut nempe tot inter
Diſſimiles, imo adverſos, cum deforet unus,
Alter opem ſubito ferret; caſuque venirent
Quidam opportuni, per quos occurrere tandem
Agmina pugnantûm, ſimul & concreſcere poſſent.
Nam licet innumeras miro trahat ordine turmas
Impiger, & variis fulgens exercitus armis
Spiret bella ferox, ſeu fortes ille maniplos
Explicat in campo, ſeu cogitur ire viritim;
Ac per pontis iter deducitur agmine longo;
Prælia non miſcet, ſi non erit obvius hoſtis:
Nec ſtagnat, nullo qui defluit objice, rivus.

Continuo obtrudes, id per me non ſtetit unquam:
At ſimiles atomi natura, & ſponte cadentes,
Per ſe non poterant ſic in diverſa vagari.
Certe non poterant. Sed cur potuere cadendo,
Partim flectere iter, partim procedere recta?

Non minor eſt ratio (ſi pro ratione voluntas)
Cur varie exagites, quam cur deflectere cogas.
Utilior tibi, cum ſtrueres vice numinis orbem,
Fabula, ſed vero magis haud aliena fuiſſet.
Cur tua tam diſcors pugnat ſententia ſecum?
Usque adeo in laqueos ultro ſe ſe induit error!
Nempe negas alio impulſu per inane quietum
Veloces atomos, proprio quam pondere, ferri;
Et perpendiculi ad normam ſimul omne fateris
Delabi, ſubſtrata vetant niſi corpora, corpus:
Aſt idem (quis crediderit) legum ipſe tuarum
Immemor, hos atomos labentes, objice nullo,
Declinare jubes. Et ſunt qui nomen adorent,
O fallax Epicure, tuum! Quibus eſſe videris
Naturæ ſolus myſtes, verique ſacerdos!
Quorſum igitur delira tua hæc corpuſcula tendunt?
An ſic ire volunt! Invitane torquet inane;
Aut ventus quidam Æolio fugitivus ab antro?
Nonne vides, ut jam in formis oſtendimus antehac,
Poſſe nihil reji, per ſe ſe quæ ſtat, adeſſe
Conjunctum, niſi quod cum illa non eſſe repugnet.
Ergo ſi quasdam per ſe procedere recta
Vis atomos, omnes per ſe ſic ire neceſſe eſt:
Si quasdam inflectas, inflectere cogeris omnes.
Atque ideo, cum quæque atomus, te judice, ferri
Poſſit utroque modo, per ſe neutrum eſſe fateris.
Alterutrum, quaſi congenitum affirmare, profecto
Deſipere eſt; utrumque ſimul, quo nomine dicam?

Adde quod oblique ſoleat res mota vocari,
Cum locus unde venit nobis haud eſſe videtur

E regione; licet vere directa ſit in ſe.
Quadrati latus adſpicio; quodcunque per illud
Venerit, hoc ad me recta procedere dicam:
Per diagonalem vero ſi venerit, etſi
Tramite directo, quia non convertor ad illam
Unde venit partem, ſubito procedere dicam
Corpus id oblique. Secus autem deinde futurum eſt,
Si diagonalem, qua naſcitur aut cadit, illuc
Translato percurram oculo; tunc namque viciſſim
Ibit in obliquum quadri latus omne videnti;
Quæque erat obliquo tractu via, recta futura eſt.
Sic æquatori inclinata eſt orbita ſolis,
Olli dum Æquator ſimul inclinatur & ipſe.
Obliquas igitur, quarum te nomine jactas
Inventor, rectasque vias quod diſcrepat inter,
Hoc totum inde oritur, quod ſint data puncta ſecundum
Adſpectus varios. At inanis gurgite vaſto,
Immenſisque locis, age, dic, ubi terminus, a quo
Diſcedant atomi celeres; ubi terminus, ad quem
Perveniant? Quo reſpectu, qua parte locorum
Oblique potius, quam directe; aut vice verſa
Pergere dicamus? Quæ te dementia cepit,
Ut, quæ prima jacis veluti fundamina ſectæ,
In te verſa ruant, proprio & te pondere frangant?

Ex infinito veniunt mea ſemina, dices;
Ac Terræ centrum verſus gravitate feruntur.
Infinitum ergo tibi circulus eſſe videtur,
In quo terra locum centri tenet. Aſt ego nuper
Jam ſatis oſtendi, quam ſit contraria vero,

Quam-

Quamque pudenda tuæ ſuper hoc ſententia mentis.
Verum eſto: neque enim hoc, ſi dem, tua dicta juvabit.
Scilicet ad centrum quæ linea tendit ab oris,
Recta venit breviore via: ſi torta veniret,
Prorſus aberraret centro. Si proinde cadentes
Tempore ab æterno, perque infinita locorum
Deflectes atomos, arcus deſcribere cordam
Cogentur, minime radium: gravitate remota
Ad centrum non pervenient: clinamine tanto
Extra delatæ, procul a regione viarum
Excedent. Res mira, locum, quo ſemina mittis,
Declinare jubes! Obſtas, ne juſſa faceſſant!
Siccine Democriti mendum ſarcire putabas?
Ipſe tegis vitium vitio, fruſtraque bis erras.

Futiliora quidem petis argumenta, repertum
Hunc motum ut ſtatuas, e noſtra in rebus agendis
Libertate. Novum Logicæ genus! Eſt homo liber,
Inquis: agit quæ vult; quæ non vult, ſponte relinquit:
Ergo declinant atomi; fit ſerva voluntas,
Si non declinant. At ridiculum eſſe probavi
Clinamen. Quod ſi facilis concedere vellem,
Hinc libertatis nunquam peteretur origo.
Singula ponamus deflecti ſemina. Quid tum?
Hinc homo liber erit, dicis. Quæ copula nectit
Hæc effata? Nihil video, quod ſuadeat unum
Ex alio naſci: quin & contraria cerno.
Nam ſi declinent atomi per inane vagantes,
Natura, propriis & viribus, ac ſine cauſa,
Declinant ideo, quia declinare neceſſe eſt.
Aut ſi, dum currunt ita, libertate fruuntur,

Quam dare corporibus poſſint exinde creatis,
Tunc non ſolus homo tali potietur honore,
Qui proprius mentis tamen eſt, velut ipſe fateris;
Libera erunt pariter quæ corpora cunque videmus.
Unda per acclives proprio non pondere ripas
Curret, at interdum ſtagnans reſupina ſedebit.
Non nunquam errabit ſtipulis innoxia flamma,
Inviſasque domos tantum, vel ligna cremabit,
Si volet. Iſte lapis quem immotum mille per annos
Sæcla vident hominum, ſummo de culmine turris
Sponte cadet, cum ſtare loco faſtidiet alto.
Si libeat ſoli, ſol non orietur, & umbras
Pellere nocturnas luna indignata negabit.
Quidquid in orbe vides, ne jam contingere caſu,
Ne vi naturæ, ne motu denique dicas;
Verum ex arbitrio, propriaque libidine rerum:
Si dotem eximiam, qua gens humana potitur,
Omnibus ex æquo rebus natura creatrix
Indulſit, proprio neque nos hoc munere donat.

Sed libertatem cunctis dum prodigus æque
Corporibus tribuis, cur nobis invidus aufers?
Nam, bene ſi memini ſectæ documenta profanæ,
Quidquid agas, licet ipſe putes, te poſſe reapſe
Non agere id quod agis, ſolius materiæ vi,
Atque ignoratis impulſibus illud agetur;
Nec poterit non eſſe quod eſt: quia ſive movetur
Oblique, ſeu recta meat, non libera currit
Materies, æque nobis cauſa unica motus,
Ac ſoli & lunæ, lapidi, fluvioque, vel igni.
Propterea nobis indeclinabile fatum

In-

Incumbet: Fatum omniparens, cui tanta poteſtas
In ſuperos ipſumque Jovem celebrata Poëtis,
Quanta Jovi ſuperisque in nos olim eſſe putata eſt.
Hoc deteſtatus ſimul adſtruis, omnia motu
Materiæ dum vis fieri & clinamine cæco;
Ac ſolas atomos interno pondere preſſas
Inſtituis rerum cauſas, quæcunque genuntur.

Quin etiam nil fortuito contingere poſſet.
Unde ruit caſus, divûm pater atque hominum rex
Ille tuus. Neque enim caſu eſt, quod jam eſſe neceſſe eſt.
Nempe improviſo concurſu & viribus æquis,
Dum tibi nunc temere & nullo cogente videntur
Innecti, quæ ſponte moves primordia mundi
Per vacuum; tamen eſt, quare innectantur, in illis
Cauſa latens & certa; nequit qua ſtante volando
Quæque atomus non huic jungi, cui jungitur: idque
Lex quaſi lata foret: quia tali concita niſu
Non vitare poteſt aliam, quæ pondere tali
Labitur: & tali decurrens tempore, eodem
Tempore decurrentem offendat oportet, eodem
Inque loco. Tali ſi ſit demum utraque forma,
Ut coenant; certe nequeunt utrinque revelli:
Si ſecus; haud ullo poterunt concreſcere nexu.
Et quoniam inde oritur quidquid, ſic fiat oportet
Ut mixtura dedit, manifeſtum linquitur ex te,
Naturæ legem cunctis incumbere rebus;
Et legem invictam, cui nil obſiſtere poſſit;
Fortunæque locum non jam ſupereſſe: neque ullam
Libertatem homini manſuram; ſi nihil ipſi

Præter adhærentes atomos conceſſeris. Ergo
Cum regina ſui & proprii ſibi conſcia juris,
Frenum indignetur fatis avulſa voluntas,
Arguit in ſe ſe quiddam præſtantius omni
Materia, & punctis alienum prorſus ab iſtis.
Illa ſed uberius, cum mens tractanda redibit.
Nunc ſatis eſt monſtraſſe tuis nil poſſe creari
Motibus: idcirco quia, ſeu directa movebis
Ad perpendiculum, ſeu flecti ſemina finges,
Haud ullis poterunt unquam coaleſcere vinclis.
Ergo nil, etiam poſito clinamine, vinces.

Verum alias aliis atomos velocius ire
Si donetur, ais, quidni concreſcere poſſint
Nexibus innumeris? Gaſſendus quippe volebat
Natura ſimiles, non mobilitate: quod unum
Addere qui velit inventis utriusque magiſtri,
Congreſſus faciles atomis utcunque parabit.
Nam fieri poterit ſola ratione cadendi,
Ut quæ poſterior fuit, accelerata priorem
Occupet, ac ſecum vinclis abducat; & ambæ
Arripiant alias, aut arripiantur ab illis.
Lux ea Democrito cur non affulſerat? Eheu!
Non opus illapſas vacui de culmine ſummo,
Atque parallelas, Epicuro deinde fuiſſet
Inclinare atomos, tantamque incurrere labem.
Nam veluti curſu dum fervet odora canum vis
Per nemus & ſalebras, clangore accenſa tubarum
Et clamore virûm, ac fugientis olentia cervi,
Nare ſagax, longo ſequitur veſtigia tractu,
Etſi omnes ardore pari, tamen unus & alter

An-

Antevolant, ſternuntque feram, lacerantque jacentem
Dentibus: approperat non æquis paſſibus agmen.
Aut ubi prædator deſcendit ab æthere milvus
Perdicem in timidam, contractis quæ fugit alis,
Præcipitans in humum ſimul ingruit ocior ille,
Unguibus illaqueans prædam, raptatque cadentem:
Sic poſſunt atomi quædam, etſi pone ſequentes,
Maturare gradum; ac ſenſim, quia pondere præſtant,
In præcedentes ruere & concreſcere lapſu.

Callidus effugium tentat Gaſſendus inane,
Nec quidquam auxilii convicto fert Epicuro,
Qui per ſe conſtare atomos, per ſeque moveri
Dixerat, & variis tantum diſtare figuris.
Ocior has inter nam ſi, vel tardior una eſt,
Natura ſimiles atomi non amplius ergo
Dicentur. Quæ cauſa novi diſcriminis illa
Eſſe poteſt? Quænam velocibus addidit alas,
Ut caderent multo citius, pigriſque negavit?
Pluſve minuſve graves, inquis, confingere poſſum.
Sic variis dederas conſiſtere poſſe figuris,
Quod falſum oſtendi, nullo ſi auctore creantur:
Nec minus a recta, quod ais ratione recedit.
Corporibus cunctis gravitas pro mole profecto eſt.
Mole ergo diſtant atomi, ſi pondere diſtent.
Et quia particulis conſtant, levis altera paucas
Particulas ſortita fuit, gravis altera plures.
Inter eas natura parens diviſit inique
Materiem, exiguis parciſſima, prodiga craſſis.
Si cauſam agnoſcunt, varias ſic eſſe fatebor;
Talia ſunt etenim quæ corpora cunque videntur:
Si non agnoſcunt, varias ſic eſſe repugnat.

Adde, quod in vacuo caderent ſi corpora prima,
Quanquam impar illis gravitas fortaſſe daretur,
Undique deciderent ſimul omnia tempore in uno.
Includas vitreo plumam lapidemque canali,
Aëre ſubtracto; plumam, lapidemque videbis
Protinus æquato pariter deſcendere lapſu.
Cauſa prius fuerat diſcriminis obviùs aër,
Qui findendus utrique venit, plumæque cadenti,
Quam lapidi certe magis atque diutius obſtat.
Sed nihil in vacuo fungetur munere tali:
Perpetuo penetratur enim, dum nempe ſolutus,
Ac rorem ſimulans atomorum decidit imber.
Quin etiam æterno ſi præcipitantur ab ævo,
Ac ſimul immenſos percurrunt ſemina tractus,
Nullum poſterius, nullum prius ire licebit.
Nam quæ cauſa moram faceret per inane quietum
Poſtremo lapſis? Regio fortaſſe remota eſt
E qua proveniunt, longeque remotior illa
Unde priora cadunt? Vel ſunt dimiſſa profundo
Tardius e vacuo? Menſuras quis ferat autem
Immenſo in ſpatio, atque æterno in tempore tales
Quæ rem finitam ſignant? Quis proxima centro,
Sive remota loca, aut centrum quis totius ipſum
Dædale, cur proprio vagus erras in labyrintho?
Hic tibimet via cæca, et inextricabilis error.
Dicis in immenſo nullum conſiſtere centrum,
Et merito: nunc ut prægrandia corpora formes,
In centrum attractas atomos concurrere dicis:
Centrum eſt, & non eſt. Pugnas tecum ipſe,
Lucreti.

Præterea, vel ſi diverſo tempore labi
Aut ſimiles aut diſſimiles gravitate, figura,
Mole, graduque atomos punctum in commune daretur,
In quo, ceu motus poſſent requieſcere centro,
Non talem efficerent mundum, qualem eſſe videmus.
Dic ubi enimvero centrum id commune reponas?
In medio terræ; ſi quidem, te judice, mundi
Nucleus eſt, in quo ſubſidit funditus, ut fex,
Materies craſſa? Illuc ergo confluit omne
Seminium, & vacui regiones deſerit altas:
Illud præcipue, quod aculeis conſtat & hamis,
Unde metalla doces & arenam & ſaxa creari;
Quodque fluit globulis queis manat liquor aquarum:
Nec ceſſare poteſt; quia nunquam ceſſat origo
Præcipitis motus, immenſaque copia rerum.
Sic aliis alias cumulari ſemper oportet,
Ac ſuperaddi atomos æterno pondere preſſas.
Creſcere in immenſum tellus glomeramine tanto
Debuit, & vaſtam ferre ultra ſidera molem.
Cur fines intra certos ſe tota coërcet?
Cur alibi paſſa eſt, ſimili ratione modoque,
Solis & aſtrorum prægrandia corpora cœlo
Formari? Nam illic ampliſſima principiorum
Congeries aptanda fuit. Cur luna, perinde
Ac tellus, atomis etiam concrevit aduncis?
Cur & Saturnus cum lucifero comitatu;
Magnus & ipſe ſua ſtipatus Jupiter aula;
Mars & Mercurius; nec non, gens rara, Cometæ?
Sunt igitur mundi tot centra, quot aſtra videntur?
Quam diſtracta fuit gravitas; quam ſciſſa tot inter
Im-

Immenſi partes vacui? Quot ſomnia fingis?
Centrum ubi non fuerit, gravitas ibi nulla profecto.
At non eſſe poteſt aliquo ſine vortice centrum:
Et pariter nullus fluido ſine corpore vortex.
Unde neceſſe foret, caderent ſi pondere quodam
Semina, vorticibus multis in plurima centra
Detrudi, variæ facerent ut molis acervos:
Quod placido in vacuo nunquam ſperare licebit.

Corpora jam formata etenim poſuiſſe neceſſe eſt,
Et fluida, & motu circum exagitata perenni,
Ante graves atomi quam ſint ac centra petentes.
At quoniam ex atomis corpus per inania lapſis
Conflatur, motus atomorum anteire nequivit:
Nam tunc non eſſent, ut ais, primordia rerum.
Ergo per medium ſi delabuntur inane,
Nec reperire queunt, imo nec quærere centrum.
Huc etiam accedit, quod fuſius ante docebam,
Cum de infinito canerem; & revocaſſe juvabit,
Ne cadat ex animo, quidquid jam rite probatum eſt.
Vidimus in ſpatio, nullus quod terminus ambit,
Ponderibus non eſſe locum: quia ſcilicet, unde,
Et quo deſcendant, non eſt; ſupera, infima deſunt;
Nec ſurſum idcirco, nec deorſum tendere quovis
Poſſe modo fictas atomos, quæcunque darentur.
Spes atomis igitur gravitatis nulla futura eſt.
Si nulla eſt gravitas, ergo vis nulla movendi:
Cauſam etenim motus una in gravitate locabas.
Unde vides atomos nequaquam poſſe moveri;
Vel ſi motus ineſt, nullo coaleſcere nexu.
Egregium nunc dogma boni mirare Lucreti!

Quæ

Quæ manifeſta putat, manifeſte falſa probantur:
Et ſi vera forent, quod colligit, eſſe nequiret.

Sæpe fit, oblata rerum ut dulcedine capti
Miremur faciles, plauſuque ſequamur amico
Qui nos decipiunt. Quales jocularia mimi
Prodigia exercent: digitis hi namque micantes
Attentos fallunt oculos, dum vaſcula tractant
Apta dolis: fraudem velatam præpete geſtu,
Virga & voce juvant; & ubi poſuere lapillum,
Oſtendunt volucrem. Stupet ore ignarus hianti
Spectator: temnat, ſi quando noverit artem.
Haud aliter ſolers oculos auferre Poëta,
Excuſſo tibi debebit ludibria fuco.
Quid ſit enim gravitas quovis in corpore, nondum
Perſpexti: nam corporibus male credis ineſſe
Materiæ certam ut comitem; exemplumque creatis
A rebus ſtolide rerum ad primordia ducis.
Corpora quod videas in terram plurima labi,
Dumque immota jacent, ad centrum vergere, eoque
Donec perveniant molimine tendere certo:
Corporis idcirco genus omne graveſcere cenſes
Per ſe ipſum, atque illuc innato pondere ferri.
Tanta fides oculis, ac diffidentia menti eſt!
Aſt etiam, ſi ſola tibi ſit regula ſenſus,
Cur non materiæ levitas innata videtur,
Corpora cum cernas nonnunquam aſcendere ſurſum?
Nonne leves flammas, levia hæc ſimulacra putaſti,
Quas veluti rerum exuvias, & limpida vela,
Audieras fluctu paſſim volitare perenni,

Ut

Ut veniant oculis formæ rerum atque colores,
Ac viſæ ſomno in medio ſine more figuræ?
Namque hoc te, quanquam falſum eſt, docuere magiſtri.
Quin age, nonne leves atomorum dicis acervos,
Naribus unde tuis volucres naſcuntur odores,
Uvida quos florum jaciunt pigmenta, vel herbæ
Fragrantes; quive arboribus Nabathæa per arva
Deſtillant ſucci, nardusque & pocula myrrhæ?
Aurea lux pariter, quam ſol circumundique vibrat,
Nec terris tantum, aſt omni late ingerit orbi,
Et quam debilius noſtri dant attamen ignes,
Mentitæque faces nocturno tempore ſolem?
Cum ſuperas æque in partes mittatur & imas,
Nonne tibi levis atque gravis ſimul eſſe videtur?
Judicio lux nempe tuo, vibrata perenni
Sideris effluvio manat, ceu flammea quædam
Progenies. Nativa quidem & validiſſima longe
Vis illa eſt, qua ſe tot lucida tela diei
Diffundunt circum, nec ſe diffundere ceſſant;
Et vaſtum rapido pervadunt æthera motu.
Inſita materiae gravitas ſi cauſa perennis
Et motus, ergo radii gravitate feruntur.
Adſpice, ut hi motus ambo in contraria vergant.
Extremis gravitas ad centrum tendit ab oris;
Lux autem extremas a centro tendit ad oras.
At nullum per ſe corpus grave, ſeu leve credas.
Neutrum etenim ratio, neutrum experientia firmat.

Materies omnis, quaqua ſpectare lubebit,
Mobilis eſt per ſe, non per ſe mota: neque ullam
Affectat

Affectat mundi partem, ſuperamve vel imam,
Aut lævum dextrumve latus; quocunque cietur,
Huc properat; nec motum ambit placidamve quietem;
Neutrum præponit, ſed idonea ſemper utrique eſt.
Quidquid enim vel ſtare poteſt, vel quoslibet æque
Suſcipere impreſſos motus, lentosve citosve,
Atque huc atque illuc ferri diſcrimine nullo;
Dum manet incolume & naturam ſervat eandem,
Non habet unde modum magis hunc quam ſeligat illum;
Sed qualem accepit retinet: nil ſe movet unquam,
Ni quoddam in ſe ſe lumen rationis & artem
Diſcernendi habeat, qua deſtituuntur inertis
Semina materiæ, ſenſu pollentia nullo.
Cum videas igitur certâ ratione moveri
Corpora, continuo motricem intellige cauſam
Nam mutare ſitum, ſine cauſa, qui ſibi primum
Contigerit, res nulla poteſt. Quæ cauſa cadendi
Eſt atomis igitur, vexant quas nulla profecto
Corpora, nec circum tangunt, nec deſuper urgent?
In quocunque ſitu fuerint, ubicunque locorum,
Et quocunque modo; ſic & perſtare neceſſe eſt.

Nunc autem cum materiæ ſint omnia plena,
Idcirco terram verſum properare videmus
Corpora. Nam præter, quæ nos circumfluit, auram,
Aura fluit longe ſubtilior, incita miris
Et tenuata modis, velut aëris ipſius aër.

Salve Elementorum pars ſubtiliſſima! ſummæ
Dexteritatis opus, ſummi ſimul inſtrumentum

Ar-

Artificis; gaudens humanos fallere ſenſus,
Ut fabri manus ipſa, & ſola mente videri:
Materiæ flos & ſanguis, diffuſus in omnes
Corporis immenſi venas: Tu filia primum,
Nunc genitrix motus. Tu cunctis didita membris
Vaſto vivere das, animalis ſpiritus, orbi.
Te ſine nullus honos rebus: procul iret in auras
Diſſiliens tellus: firma tu mole revinctam
Comprimis; ac ſi quo terreſtria corpora niſu
Deſerta ſurſum effugiant ſtatione, retundis,
Et pulſata ſuo feſtinas reddere centro:
A te pondus habent; a te gravitatis origo eſt.

Ambit enim terram & pigra ſe mole moventem,
Abripit increpitans valido tenuiſſima pulſu
Materies; circaque ſuum torquerier axem
Dum jubet, ac celeri correptam turbine volvit,
Volvitur ipſa comes, gyroque rotatur eodem.

Non tamen ex illo gravitatem accedere motu
Crediderim; nam cum terram liquor ille volutans
Usque parallelis noſtros premat orbibus orbes,
Communemque habeat cum terra turbinis axem,
Cuncta parallelo caderent tibi corpora lapſu.
In tropicis igitur, tropicorum pondera centrum
Non terræ appeterent; nullo diſcrimine, rectus,
Quacumque inciderent, ſemper foret angulus axi.
Nec tamen id fieri certa ratione pateſcit.
Cauſa ergo gravium caſus aliunde petenda eſt.

Abdita naturæ penetralia, viſcera rerum
Ingredimur, Quinti; dictu res ardua, cunctis

Unde

Unde hæc corporibus veniat propenſio. Quod ſi
Hæc tibi non firmo ſtabit ſententia greſſu,
Aſt opifex motus ſolertior, adſpice, quanto eſt
Noſtra hæc materies, atomis & certior iſtis.

Principio terram liquido qui vortice cingit,
Ætheris oceänum in multas fac mente ſecari
Pyramidum formas; quarum pars latior alte
Surgit, ad extremas pertendens vorticis oras;
At centro collecti apices junguntur in imo.
Illæ omnes ſe ſe invicto certamine librant,
Centrifuga virtute pares; quia materiæ vis
Omnibus eſt eadem: quod ſi qua eſt viribus impar,
Protinus exſuperant aliæ, & ſubſidere cogunt,
Dum ſuſpenſa ſuas æquarint ſingula vires.
Aſt ubi Pyramidem penetravit corpus in unam,
Mole ſua quantum eſt, tantum de centrifuga vi
Detrahit; ingenita nam forma particularum,
Æquare ætherios tardo nequit agmine curſus.
Ergo deprimitur, quæ molem includit inertem,
Pyramis; incumbunt vicinæ adiguntque deorſum;
Undique enim a centro niſu majore recedunt.
Hæc depreſſa pigrum tuditando corpus adurget,
Caſtigatque moras, repetito verbere retro
Præcipitans; verſuſque apicem propellere certat,
Qui terræ tenui contingit acumine centrum.

Præterea rapido Tellurem turbine vortex
Circumagens, pariter latere undique preſſus ab omni,
In ſphæram, aut ſphæræ ſimilem glomeratur in orbem.
Nam qua forte minus premeretur, ſcilicet illac

Efflueret, terramque ignotis traderet undis.
At quoties latere ex omni, pariterque, rotunda,
Comprimitur moles, vis undique facta per omnes
Ad centrum radios concordi tramite tendit.
Sic grave Pyramidi immiſcens ſe corpus, abire
Cogitur ad centrum terræ, quo pertinet omnis
Preſſuræ radius; quaque ipſa urgetur & urget
Pyramis, hac debet juſſo decurrere lapſu.
Sic lapis ut valido jactu vibratur in auras,
Et ſecat aërios violento vulnere fluctus,
Nititur hunc contra incumbens ſublimis ab alto
Materies, talique incuſſa reverberat ictu,
Ut centrum verſus labi cogatur, humoque
Reſtitui: non ingenito, quod fingere gaudes,
Pondere; non vano centri communis amore,
Ut fingunt aliqui; proprio non denique motu;
Sed bis vim paſſus, primum a vibrante lacerto,
Mox a cœleſtis preſſura & robore molis.

Nec minus in lymphis hujus gravitatis imago,
Et fida & conſtans reperitur: ſcilicet unda
Nititur in fundum; inque pares diviſa columnas,
Has inter ſe omnes libramine ſuſtinet æquo:
Inde ſuperficies patet uno æquata tenore.
Injice ſuber aquis immergens, injice ligna;
Ligna petent ſummum valido conniſa natatu,
Proſiliet ſuperas celeri impete ſuber ad undas.
Cauſa rei quænam eſt? Nimirum liquor aquaï
Fertur in ima magis, quam lignum aut futile ſuber:
Libramen ſimul omne perit; depulſaque quantum
Unda ſua ſuperat gravitate hæc corpora, tantum

De-

Debilitant liquidam, cui ſunt commiſſa, columnam.
Ergo vicinæ vincunt, & cedere juſſam
Protollunt certatim, & in altum aſſurgere cogunt.
Illa fugit ſurſum, propellens frivola, donec
Reſpuat in cœlum, & reddat natalibus auris.

Hinc quæcunque latent lymphis circumdata, tantum
Ponderis amittunt, quanto ſe pondere librat
Par fluidi moles: tanta nam parte levantur.
Id ſentire ſolent, pelago, qui ſæpe profundo
Funibus extractas merces ad ſumma tulerunt
Æquoris, & validi, cum ſolvitur anchora, nautæ.
Nam facilis primum aſcenſus; juvat unda laborem:
Cum vero aërias grave onus pervenit ad auras,
Tum labor ingeminat, contorquendoque rudenti
Sudans turba virûm duplicatis viribus inſtat.

Nunc in aquis fieri quæ diximus, omnia, Quinti,
Ætheris in pelago ratione geruntur eadem.
Hic tantum fines rerum convertito: metas
Vorticis ætherii ſupremas fundus habeto;
Eſto Pyramis hic, illic quæcunque columna eſt.
Ut ſurgunt per aquas, ſic lapſa per æthera cernes
Corpora detrudi, & ſimili propellier æſtu
Illic verſum auras, hic verſum concita terras.

Hoc unum diſcrimen erit, quod corpora quædam
Ima petunt liquidi, & fundo graviora reſidunt:
At quæ terrena late ditione tenentur,
Omnia centrifugis cum vincat viribus æther,

Nulla queunt ullo capere ultima vorticis auſu.
Terram cuncta ſuam repetunt; & adacta deorſum
Quo mage deſcendunt, caſu citiore feruntur.
Inſtat enim aura ſequax, nec deſinit ictibus ictus
Congeminare, fugamque fuga premit usque fatigans.

At cum librantur, magis aut minus inde graveſcunt
Corpora, particulis quod ſint minus aut mage mixtis
Æthere: non quod eas vacuum per fruſtra receſſum
Segreget, ac nihilo ſaturas rareſcere cogat:
Sed quia quidquid habent propriæ terreſtria molis,
Hoc toto ad centrum pelluntur; at ætheris illa
Si quid habent, toto hoc ſupera ad laquearia tendunt.

Jam folia & ſtipulas, pappos, plumasque videmus
Ante quidem volitare diu, quam lapſa quieſcant:
Nam vix truduntur ſatis, ut diffindere poſſint
Aëra ſuppoſitum, levibus ludibria ventis.
Sed condenſa poros tenues, paucasque lacunas
Intus habent; facilemque aditum luctantibus auris
Dura negant; quare nequeunt eludere plagas
Ætheris obnixi contra, ſed tota reſiſtunt;
Ut pariter totis contendens viribus æther
Ingruit, aſſiduo detrudens corpora pulſu.
Hinc ferri maſſæ præponderat aurea maſſa,
Et ferrum ſaxo, ſaxum oſſibus, oſſa liquori;
Tum varii inter ſe diſtant gravitate liquores.

Ergo corporibus ſtat pondus ab æthere ſummo:
Cuique ſuum, hic centrum glomeratis partibus
implet,

Con-

Continuisque premit jaculis: huc omnia trudit
Centrifuga virtute valens: totum aëra terris
Injicit, immerſæ quo ſtant; ſimul aëre tectos
Continet oceani latices, vaſtoque fluento
Incurvam faciem, convexumque efficit æquor.

Inde coarctatæ punctum vertuntur in unum
Omnes usque globi partes: & ſi qua reſultat,
Pellitur in medium ſubito; magis aut minus acri
Impete, pro vario textu, quo prædita quæque eſt.
Hinc adeo quæ preſſa magis, cum forte movendo
Fit vicina minus preſſæ, librantur; & illa
Defluit, hæc ſurgit. Non quod levis hæc propria vi,
Aut gravis illa ſuo ſit pondere: ſed quia centrum
Verſus, inæquali pulſu ac ratione feruntur.
Haud ſecus ac geminas triplicato ſtamine lances
Cernis in ambiguo ſuſpendi, ac vincere neutram,
Aut vinci; donec poſito, ſi forte lubebit,
Alterutram digito depreſſeris, aut onus ipſi
Injicies aliquod; nam tunc onerata repente
Præcipitat, filumque trahens aſſurgere cogit
Adverſam. Parit oppoſitos cauſa unica motus.
Quantumvis grave ſit corpus, graviore propinquo
Fit leve: vaneſcit majori pondere pondus.
Quam grave ſit lignum, quanto cadat impete, noſti;
Cum ruit in ſylvis ventorum turbine magno
Fraxinus, aut crebra truncum percuſſa ſecuri:
Hanc tamen in fluvium mittas, ecce ima relinquet
Ocius, ac totis ſurſum revometur ab undis:
Aëre, quod lignum grave ſit magis, at minus unda.

Nam levis eſt aër, ſi pleraque corpora cernas;
Ipſe gravis: viden' e puteis ut ab aëre juſſas
Antlia tollat aquas? Et hydrargyrus ipſe, metallis
Poſt aurum cunctis gravior, ſi clauſeris illum
In vitro, paulum ſubſidat lentus & ægre,
Deſcenſu dubio, ac demitti ſponte recuſet
Magna parte ſui; tubulo cum ſubtus aperto
Funditur in lancem: ſuſpenſus denique reſtet,
Et maneat propriæ oblitus gravitatis in alto;
Ventorumque vices illic, & amabile ſudum
Mobilitate ſua, & certos prænuntiet imbres?
Exterius viget aëriæ preſſura columnæ;
Interius nulla omnino, quæ deprimat aura eſt.
Tum pleno ſi forte cado ſiphona videbis
Immerſum, aſſiduo vix hauſta educitur aër,
Cum ſimul aſcendunt latices; fundoque relicto
Alta petunt, recidunt; ſurguntque, caduntque
[illegible] viciſſim;
Mæandrique cavi ſinuoſa volumina tandem
Percurrunt faciles, atque uno & ſimplice motu.
Haud ſecus, extrema pannum ſi tinxeris ora,
Paulatim e vaſis fundo levis unda feretur,
Et pannum late diffuſilis imbuet omnem;
Donec ſumma petens labro deſtillet ab alto.

Ergo aër levis aut gravis eſt ratione propinqui
Corporis; & quanquam currentis ab ætheris orbe
Centrifugo ſemper leviorem ſuſcipit ictum,
Quam liquor omnis aquæ, tamen illum deprimit
[illegible] ignis;
Ipſaque in exiguos rareſcens unda vapores.

Haud

Haud aliter ſenſim tollunt ſe nubila cœlo;
Quæ matutinis veſpertinisque videntur
Temporibus, fumi in morem, conſurgere terra,
Sæpius e pelago, fluviis lacubusque, vel udis
Vallibus & pratis, ubi largius incubat humor.
Partibus aëriis quia tunc fit rarior unda,
Et minus ætherii perſentit verberis ictum;
Erigitur ſuper, atque loco ſibi cedere cogens
Paulatim id ſurſum, cœloque potitur aperto.
Tum ſolito gravior nobis oſtenditur aër,
In tubulis, quos hunc ars mira paravit ad uſum,
Mercurii molem, quia tum, qua parte pateſcunt,
Opprimit incumbens; & qua clauduntur inanes
Aëris, urget in hanc, ſurſumque aſcendere cogit.
Particulæ vero ſurgant cum ſemper aquoſæ,
Quas magis atque magis Phœbi rarefacit æſtus
Fervidior; tantum in numerum regionibus altis
Conveniunt, ut jam nequeant conſiſtere ſeorſum:
Frigus ibi ſedenim, ne pergant altius, obſtat.
Ergo ſe tandem per mutua vincula nectunt:
Et ſic in guttas parili magis aëre denſas,
Cum rediere, cadunt. Simul aër ipſe reſurgit;
Inferiora tenet quoniam liquor. Ocius imbres
Labentur cœlo. Sed mercurium ante videbis
Ejuſdem in longo tubuli deſcendere ramo:
Exterior ſiquidem minus illum jam premit aër,
Parte ex oppoſita. Quin ipſe metallicus humor
Mercurii coctus graviorem decutit auram,
Ac ſenſus hominum fugiens aſcendere diſcit;
Cum fuerint ejus ſic attenuata calore
Semina, ut aëriis gracili ſubtemine præſtent.

Sic ubi vere novo ſqualens ager omnis in hortum
Vertitur, & frondes meditatur ſylva tenellas,
Haud mora prægnanti conſurgit in arbore ſuccus
E terra veniens, atque ab radicibus imis.
Namque ut collectus longæ per frigora brumæ,
Ac cæcis terræ latebris abſconditus humor,
Incipit afflatu radiorum agitante moveri,
Exhalat nebulas tenues, udumque vaporem
Sulphure diluto fœtum, ſalibusque ſolutis:
Unde mador terris & fertilitatis honores.
Sic adeo per particulas attollitur omnis:
Et paſſim offendens in humo nutritia plantæ
Stamina, reptantes fibras ſimilesque capillis,
Ingreditur tubulos facile intromiſſus hiantes,
Anguſtasque vias alimentis pinguibus implet.
Dant facilem ſcandenti aditum, clauſoque recurſum
Calle negant tenues ſuſpenſo cardine valvæ.
At calor interea reſerat turgentia ramis
Germina, præteritus quæ ſenſim foverat annus.
Jamque laborati duro ſub cortice ſucci
Erumpunt; frondemque & flores ordine miro
Implicitos, unctæ monſtrant in acumine gemmæ.
Hæc autem ut primis valeant ſe efferre diebus,
Ille poteſt ſatis eſſe latex, quem continet arbos
Autumni memorem, & cui bruma geluque pepercit:
Verum ut ſerventur poſthac creſcantque, neceſſe eſt
Auxilium adventare novum, ſuccosque recentes.
Qua ratione igitur ſupra liquor intimus exit,
Hac etiam novus adveniens aſcendit ab imo.
Arbore ſic tota nuſquam intermiſſa liquorum
Fit ſeries, & qui ſequitur propulſat euntem:

Utque

Utque dies creſcunt, creſcit quoque motus; & ingens
Undique productis radicibus influit unda.
Nam verni accedunt hibernis imbribus imbres:
Et jam ſublimis dominatur in æthere Phœbus;
Quo calefit terræ facies, auræque tepeſcunt.
Ergo tunc fibris humor venit ubere pleno.
Tot fontes rivis formant coeuntibus amnem,
Qui truncum invadens, tenero ſub cortice lignum
Irrigat, ac læto perfundit rore canales
Transverſos; & alit genitalia clauſtra medullæ.
Nam vectas deponit opes, pariterque repertis
Imbuitur: formas hinc ſe convertit in omnes,
Dum varios penetrat longe lateque meatus;
Paſſim & fermento veteri commixtus oberrat,
Partibus adjiciens partes, nova tegmina priſcis
Tegminibus: Sed cum jam exuberet, omne foramen
Intrat, ubi reſident ramorum exordia prima:
Hæc aperit, pulſatque foras, ramosque valentes,
Ac bifidos trifidosque ſimul producit in auras.
Aſt ubi poma latent incepta, ſuisque referta
Seminibus, liquidam tubulis huc invehit eſcam.
Poma tument, flores cum depoſuere caducos;
Et formam accipiunt ſenſim, propriumque ſaporem:
Ac ſe ſe expandunt, pomis umbracula, frondes.
Sic uno aſcenſu conditi ſæpe liquoris,
Qui pulſus venit e gremio telluris opimæ,
Et primum nata eſt, & mox adoleſcere cœpit,
Et parte ex omni crevit renovata quotannis,
Quæ nunc præcelſis e montibus eminet arbos;
Ventoſoque ferens nemoroſa cacumina cœlo,
Radicum ſylva terras exhaurit alentes.

Contemplator item, qui fons devectus in hortum
Vertice ab excelſo montis, reſerata ſepulcri
Oſtia cum fuerint, plumbique ſolutus opaco
Carcere, deductos jaculetur ad æthera fluctus:
Atque ibi ſe ſe ipſum conſpergens rore reflexo,
Diſſipet in gemmas; factusque argenteus imber,
Cum ſonitu tremulo ſtagnans diverberet æquor.
Scilicet impulſu ſaliens effertur eodem,
Quo ſumma præceps ab origine venerat illuc
Declivis: fecitque levem, modo cum gravis eſſet,
Continui ſeries tantum inclinata canalis.
Ceu duo cum ſurgunt adverſa fronte ſupini,
Contiguis montes radicibus: ecce revulſus
Vortice ventorum, aut tacitis ſuffoſſus ab annis
Forte ſilex, ſummo alterius de culmine præceps
Si ruat, immani lapſu petit ima reſultans
Improbus; anguſta ſed non in valle quieſcit;
Verum ipſa gravitate levis, jam ſurgere montem
Audet in adverſum, atque animoſo proxima ſaltu
Appetit; exhauſto donec latera ardua motu
Deſerit æger, inerſque relapſa mole recumbit.

Poſtremo cœlum obſerves. Ibi nare Planetas
Telluri non abſimiles, & corpore craſſo,
Æthera per liquidum, ac volvi conſtanter in orbem
Cernimus; enormes quaſi ſint ſine pondere maſſæ:
Quandoquidem fluidis, æque ac nos, undique cincti,
In nullam poſſunt mundi ſubſidere partem:
Sed, quo ſunt poſiti ſemel, illo deinde moveri
Curriculo debent: ut non mutabilis unquam
Orbita ſit, nulliſque forinſecus obvia plagis.

Sol

Sol illis vere centrum eſt: nec deſinit illos
Incutere in ſolem, quoad in ſe eſt, concitus æther.
Sed quia ſubſtrato pariter ſunt æthere fulti,
Et vim centrifugam jugi obtinuere rotatu,
Propterea ſervare locum coguntur eundem;
Viribus hinc atque hinc libratis; ordine miro
Quem tua gens vel neſcivit, vel ſcire refugit.
Scilicet inviſum metuens ibi cernere numen.
Sed quamvis omni caſſus gravitate Planeta,
Suſpenſusque ſuo videatur currere coelo;
Non ita, quæ vaſto complexu corpora portans
Circumagit ſecum, & privato turbine verſat.
Namque his officiunt fluida, & ſuus ingruit æther,
Ne proprium linquant, cui ſunt addicta, Planetam,
Unde, brevi ad maſſam redeant projecta, neceſſe eſt:
Quo fit, ut is molem ſervet conſtanter eandem.

Hoc igitur teneas animo ſervesque fidelis,
Quod ratio docuit, quod & experientia monſtrat:
Nil grave per ſe ſe eſt; gravitatis plurima quamvis
Nomine donentur, tanquam foret indita virtus.

Et vero videas naturæ multa referri,
Quæ tamen in dubio eſt, an primitus inſita vere,
An magis ex alio veniant ſuperaddita rebus.
Credis aquam ex ſe ſe, natura & ſponte liquentem?
Aſpice concretam. Vi frigoris algida, dices,
Vertitur in glaciem: quin vi liquefacta caloris
Diffluit, urgebo. Scytha judicet; ille rigenti
Sub coelo natus, totum qui pene per annum
Venatur niveos ſolidis in fluctibus urſos;

Aut

Aut Magellanæ vix cognitus incola terræ;
Perſpicuum lapidem & cryſtalli fuſilis inſtar
Credet aquas, æſtu faciles, quocunque reſolvi,
Natura duras, alieno ardore fluentes:
Ceu gummi nobis, & pix & cera videntur:
Et qualem fore credis aquam, ſi Phœbus abeſſet
Annos tres, & continua ſub nocte jacerent
Stagna, lacus, fontes, & mobilis æquora ponti.
Ut rem quisque videre ſolet, ſic æſtimat ejus
Naturam, & proprium ſtatuit, quod moris apud ſe eſt.
Porro neuter aquis ſtatus eſt, quem dicere poſſis
Innatum: namque unda fluit, motantibus intus
Partibus ignitis; glacie conſtricta rigeſcit,
Partibus ignitis illinc abeuntibus. Unde
Corpus idem atque unum lapis eſt, humorque viciſſim.
Ecquid durius eſt, rigidi, quam robora ferri?
Dura tamen ferri ſolvuntur robora flamma.
Igne volatilius toto quid in orbe videtur?
At ſilice in dura, vinctus deſesque maneret
Semper & ignotus, tandem ni clauſtra paterent
Conflictu chalybis, quo percutiente ſolutus
Emicat; attriti mordet fragmenta metalli,
Et jacit in teretes penitus liquefacta favillas.
Usque adeo nec tam fluitantia corpora cernes,
Quæ non ſiſtantur; nec ſic adamantina, quæ non
Evadant fluida, atque aliquo ſolvente liqueſcant.
Sic etiam conſtare gravi, quæ mole feruntur,
Hæc levia eſſe queunt: gravitas in corpore nulla,
Nullus & in centrum niſus: quodcunque videtur
Pondus ab impulſu venit, alteriusque prementis.

Eſt

Eſt opus. At nihil eſt atomos per inane quietum
Quod feriat, pulſetque: igitur fatearis oportet,
Principium fore tunc nullum gravitatis in illis;
Ac nullo quatiente hæſuras omne per ævum.

Fiſa ſuis numeris Neutonia ſecta, reciſo
Impulſu, magicis totum dedit artibus orbem.
Sol trahit errantes ſphæras, trahiturque viciſſim:
Prævalet ingenti maſſa, centroque potenti,
Nec tamen adducit; nam tramite pergere recto
Impetus eſt ollis, jam primo impreſſus ab ævo.
Mutua vis etiam rapit, atque hinc inde trahuntur
Conatu ſociarum, & centro abſcedere tentant.
Naſcitur e tanto medius certamine motus:
Unde par ovatas ſimul unusquisque planeta
Cogitur ire vias, Kepleri dogma ſecutus.
Ingenioſa quidem, certisque accommoda cœli
Motibus, hæc ſolido ſtaret ſi machina fundo.
Accipimus numeros, quia rem deſcribere poſſunt;
Reſpuimus cauſam, gratis quia ficta videtur.

Principio quæram, quid ſit vis illa trahendi?
Reſpondent; vis eſt, per quam in ſtatione quieſcens
Corpus, agit tamen in diſtans, atque imprimit olli
Motum ad ſe directum, & iners accedere cogit;
Inter utrumque licet nil ſit quo tangere poſſit
Aut tangi, ſed ſolum occulta & mutua virtus.
Oſtenſum eſt corpus non ullum poſſe moveri,
Id niſi mens regat imperitans, quæ vertere malit
Quam ſervare ſitum; quia corpus utrique paratum eſt:
Præterea, ſi maluerit, quæ ſeligat unum

Ex

Ex infinitis & circumſtantibus (æque
Quos & inire poteſt) radiis, aliosque relinquat:
Tum cito, ſeu lente, prout ipſi nempe libebit.
Hæc mens una poteſt; nequit his ſine motus oriri:
Ergo mentis inops, per ſe eſt immobile corpus.

Aſt ubi mens motum impreſſit, jam corpora certum eſt
Nunquàm poſſe trahi, ſerie niſi juncta fluentis
Aut ſolidæ, per quam ſe motus utrinque propaget,
Materiæ: quoniam ſit per contagia motus
Corporis in corpus. Quodcunque movetur, oportet
Impelli, & tangi quodcunque impellitur. Ergo
Conjungi tractum atque trahens per vincla neceſſe eſt.
Haud aliter currum rapiunt per aperta quadrigæ
Alipedes, ſtadiumque vorant. Sic æquore in alto
Malus agit navim, cui ſtricte inſertus adhæret,
Et malum antennæ, atque antennas turgida vela,
Velaque ventorum flatus, ſive incitus aër.

Quinetiam in ſolis attractibus, omne movendi
Ponere principium, varia inter corpora mentis
Indiga, continuo eſt agnoſcere, corpus ineptum
Ad proprios motus, cunctis conatibus impar:
Atque ita manſurum, niſi vis aliunde petatur.
Unde autem hæc veniet? ſimiline a corpore, nullis
Viribus inſtructo, pariter quia mentis egenum eſt?
Sed res nulla poteſt, quod non habet, hoc dare cuiquam.
Ambo igitur pigro torpent immota veterno.

Hæc manifeſta patent. Quid jam Neutonia proles?
Dos ea materiæ, Naturæ maxima lex eſt.

Ergo

Ergo Naturæ lex eſt, & materiæ dos,
Ut fiat, ſi quid fieri nequit? Optima ſane
Regula, digna ſophis, & correctoribus orbis!
Motus cauſa quies, & opum ſit mater egeſtas!
Jam nunc Mechanici taceant, & quærere ceſſent
In ventis, in aquis, in ponderibus ſuſpenſis,
In jumentorum nervis, hominumque lacertis
Auxilium impulſus. Et quid reperire laborant
Organa mille, modoſve, quibus transfundere motum
Ex uno valeant in cætera corpora, vectes,
Atque rotas, funes, trochleas, & elaſtica? Quare
Vel minimo metuunt affrictu abſumere vires,
Arte geometrica, naturæ geſta ſecuti?
Nam ſic veliferæ percurrunt æquora puppes,
Sic junctis tellurem exercet bobus arator,
Sic fabricæ ſurgunt, latices tolluntur in auras,
Sic mola confringit ſegetes, & vina premuntur;
Ut cor ſanguineos vibrat per membra liquores.
Heu miſeri! ſine tot conflictibus, & ſine tanta
Inſtrumentorum ſerie, per inane quietum
Attractus parit omnipotens miracula mundi;
Et quanquam nihil eſt, rerum caput eſſe jubetur.

Singula concordant, inquis, cum attractibus. Eſto:
Singula concordant etiam cum impulſibus. Illi
Non intelligimus quid ſint: hos cernere promtum eſt;
Obvia continui ſequimur contagia motus,
Per mare, per terras omnes, perque aëra paſſim.
Numquid natura eſt mutabilis & ſibi diſcors?
Hic pellens, alibi traheret? Dum cauſa vel una
Sufficit, oppoſitas malletne admittere cauſas?

Ve-

Verum, ais, attractus etiam hic veſtigia quædam
Non deſunt. Olea haud multum diſtantia ſe ſe
Continuò miſcent: eadem, cum lamina duplex,
Quâ parte ora patent, recipit, properare videntur
In partem quæ clauſa. Tubus tenuiſſimus alte
Suſpenſam conſtringet aquam, labique vetabit.
Quis neſcit magnete rapi vix mobile ferrum,
Electris paleas, auri ramenta vel æris;
Vimque hanc funiculo longinqua in corpora duci?
Succus in arboreos poſſetne aſſurgere truncos,
Vere novo, ſeu ramorum in ſublimia ferri;
In frondem, in florem vertendus, & in ſua poma,
Contra naturam gravitatis, juraque centri;
Ni tacite ſub humo radix crinita latentem
Sugeret, ac fibræ circum ſupraque vocarent?
Sic paulum immerſos aqua percolanda repente,
Cernitur inſolito curſu tranſcendere pannos.

Hæc tu dum enarras, quod erat dubitabile, ponis;
Scilicet attractu fieri: ſecus omnia fiunt.
Corpus enim quodvis involvitur atmoſphæra,
Hoc eſt, effluvio ſubtili particularum,
Quæ ſemper magis aut minus effunduntur in auras,
Unde retorquentur, quoniam illas reprimit aër,
Compulſaſque adigit, quantum compellitur ipſe.
Quod ſi, dum volitant, forte in corpuſcula quædam
Inciderint, ea corripiunt, niſi maſſa reſiſtat,
Et motus in centrum abigunt vi ſimplice pulſus.
Sic gutta e ramis pendens, cum decidit imber,
Orbe ſuos tenui ſuſtentat gemmea caſus;
Sic cohibetur aqua in tubulis conſtricta minutis;

Sic

Sic interceptus gemina inter vitra, receſſus
Nititur in cæcos, tardus licet, humor olivæ:
Partibus ex aliis valide quia preſſus, ab illa
Non itidem, certe concedere debet in illam.
Aſt olea inter ſe quando adſpirare videntur
Cominus, injiciunt ſibi vincula; dum fugit aër
Qui medius, verum qui ſupra, incumbit & urget:
Quid mirum, citius quod ſe per mutua jungant?
Magnetem qui ſpectat, habet clariſſima pulſus
Argumenta. Vide, chartam ſi texeris albam
Pulvere, quem ferro detraxit lima minutum,
Affinis quantum valeat præſentia ſaxi.
Undique materies œſtro quaſi percita currit,
Vorticis in morem, formans concentrica circum
Agmina, demonſtratque vias quibus intrat, & exit
Effluvium, geminoſque polos: tum pendula ferri
Maſſa triplo gravior lapidi ſe ſe applicat ultro.
Cætera quæ cumulas, ſupra jam evicta pateſcunt.
Ergo tuum ingenio *ſyſtema* ſuperbit inani.

Haud ego (Neutonus clamat) *ſyſtemata* fingo.
Ille quidem haud fingit, ſed dudum ficta coaptat.
Virtutem occultam, & cæcos in corpore ſenſus
Debet Ariſtoteli; Vacuum tulit ex Epicuro;
Aſt utrumque logi: proprium tamen ille duobus
E nihilis totum conflat, mirabile dictu!
Carteſio bellum indicens, qui cuncta volebat
Mechanice fieri, pulſuque a mente profecto.
Hic aliis nonnulla quidem emendanda reliquit:
Idque lubens fateor; non omnes omnia poſſunt.
Erudit ipſa dies, ætatem corrigit ætas;

Et nova monſtrantur ſtudio quæſita per annos.
Sol patitur maculas, luna occultatur opaca
Interdum, ſæpe & velatur nubibus atris:
Usque tamen lucis pater eſt, manet interea ſol.
Ergo Carteſium temere inſectantur & urgent,
Qui nihil obtrudunt, niſi ſomnia fatidicarum.
Nec redimit genus hoc vitii perfecta Matheſis.
Scilicet illa modos tantum deſcribit agendi,
Naturam vero non inveſtigat agentis.
Cum fieri poſſit numeros det ut algebra rectos,
Abſurdo ad libitum poſito quaſi certius eſſet.
At Sophiæ eſt cauſas, non tantum effecta notare:
Dux veri Sophia eſt; Sophiæ germana Matheſis;
Ambæ concordem gaudent impendere curam;
Utraque naturam complectitur, altera manca eſt.
Motum hunc ſi caſu fieri, vel amore docerem,
(Hæc habuere ſuos etenim commenta patronos)
Turbinis aut inſtar, crepitantibus ire flagellis
Sidera percuſſa, & varia vertigine volvi;
Si canerem aurigas illis aſſiſtere divos,
Credidit ut cœli plerumque ignara vetuſtas,
Et curſum inter ſe pactum ſervare regendo;
Si fretus Ptolomæo, operoſos orbibus orbes
Adjicerem, usque novis cœlum intricans Epicyclis;
Legitimos poſſem numeros implere: quid inde?
Veraces numeri, mendax at cauſa ſubeſſet.
Talis erat Phyſicæ facies, cum obſcura peroſus
Carteſius lucem induxit, larvasque fugavit,
Ipſe geometriæ princeps, at ſubditus illi;
Atque viam veri munivit ad ardua templa.
Aſt ubi vorticibus totum ferviſcere cœlum

Edo-

Edocuit, centrum fugientibus, unde repulſæ
In ſolem ſphæræ, recta tamen ire vetantur,
Flumine centrifugo quoniam rapiuntur & ipſæ;
Nil dixit, quod non probet experientia motus
In gyrum, certæque ſuper libramine leges;
Quod non ſit facile intellectu, quodve repugnet.
Tu, Neutone, ſecus; dum vim per inania inanem
Pro radice locas. Numera, metire, reforma,
Nam quis te melius poſſit? Verum adjice vero;
Plaudemus, juſtumque tibi pæana canemus.
Durine, an molles, quibus omnis conditur æther,
Sint globuli, poſſint ſervata lege Kepleri,
Ovata circa ſolem vertigine volvi,
Vorticuloſque ſuos agitare in vortice magno,
Contemplare; tuo pendemus ab ore docentis.
Theſſala ſed nuſquam per te commenta reſurgant.
Namque Deus, non materies, par eſſe movendo
Cernitur; hanc legi mentis parere neceſſum eſt.

Si nunc, rite memor, quæ ſunt evicta remenſus,
Omnia colligere, inque unum componere faſcem
Non refugis, Quinti; quam longe diſſita vero
Sint Epicurei vatis mendacia, noſces.
Tot taleſque atomos, quas ſtare haud poſſe probatum eſt,
Effingit: motum his, quem funditus eſſe repugnat,
Eſſe jubet: Quid reſpondes, facunde Lucreti?
Ecce immota tibi pendent exordia rerum
In vacuo. Quam vaſta quidem, ſed quam irrita languet
Materies! Quis habet ſopor, aut lethargus inertem?

Libera ſunt ſpatia, & certe non obſtat inane.
Torporem in pleno timuiſti; nec minus illum
In vacuo reperis. Verum ſi montibus ornos
Carmina, ſi poſſunt cœlo deducere lunam,
Deduces atomos, etſi gravitatis egenas.
Dic, age, deſcendant: ut ſolem & ſidera fingas;
Ut circumfuſus tellurem inveſtiat aër;
Ut magnam oceanus partem telluris inundet;
Ut ſe ſe attollant montes; ut gramina campis,
Ac ſylvæ creſcant; habitentque animalia Terras.
Nil agis: ecce ſedent atomi, ſemperque ſedebunt.

Fingitur Alcides, lernæ dum vinceret hydram
Multiplicem, clava & ferro metuendus & igni,
Vix unum exſecuiſſe caput, cum ſanguine ab ipſo
Ecce novum linguiſque minax & dentibus uncis
Prodierat ſubito: nec jam ſpes certa triumphi:
Nil cædes, ictuſque juvant. Stetit acrior heros
In redivivam hoſtem; ſecundaque vulnera flammis
Exurens, tandem oppreſſit reparabile monſtrum.
Haud ſecus impietas, quamvis ad prælia numen
Uſque vocet, ſemperque novos exaſperet angues,
Unius cadet ætherio rationis ab igni.

Jam vero cenſes atomos reſilire coactas,
Continuo ſurſum attolli, cum forte cadendo
Perculerint alias diſcordes, ac minus aptas
Nexibus. Hæc autem vero ſententia pugnat
Multimodis. Primo ſequitur nullum eſſe liquorem,
Ac nihil in mundo fluidum potuiſſe creari.
Scilicet e globulis fluidi genus omne liquoris

Le-

Levibus ac prorſum terſis exſtare, docebas:
Particularum etenim de mobilitate, fluorem
Totius naſci conſtat. Tollatur ab illis
Mobilitas, ecce incipiet concreſcere totum.
Ni terſæ fuerint, ni leves atque rotundæ,
Perpetuo inter ſe vix poſſunt fervere motu.
Sed ni compoſitæ pariter glomeramen in unum
Et coacervatæ, corpus formare nequibunt,
Quale eſt ætherium, qualis quo veſcimur aër;
Qualia ſunt omnes maria involventia terras,
Ac ſuper atque intus noſtrum diffuſa per orbem.
Verum age, tot globuli magnum per inane vagantes,
Quo jungi potuere modo, ut coaleſcere in unum,
Ac ſeorſum tantas poſſent compingere moles?
Nam neque ſunt furcis inſtructi, hamiſque recurvis;
Quales vis atomos alias per mutua necti,
Quarum e conventu condenſa vel aſpera ſurgant.
Plana ſuperficies globulis; quacunque prehenſos
Dixeris, effugient; neque carpi aut carpere poſſunt:
Eſt ea nam tereti ſua dos innata figuræ.
Ergo cum globulus globulum percuſſit, ab illo
Protinus exſiliens vacui ſuprema petivit.
Diſcordes igitur cunctos fateare neceſſe eſt;
Quoque magis ſimiles, minus hoc compingier aptos:
Hinc ideo nullum fieri potuiſſe liquorem.
Si propria dicas tandem gravitate relabi,
Quanquam per vacuum cogi renuere cadendo,
Et ſic in centro feliciter eſſe coactos,
Extemplo regeram: noſtris hæc fabula telis
Profligata jacet, toties cur victa reſurgat?
Non hic res, ut ſunt modo, ſed primordia rerum

Quærimus, & motum, qui primitus illa coëgit.
Non erat in vacuo gravitas, hoc rite probavi.
Jamque probo globulos nullis coaleſcere poſſe
Motibus; idcirco quia ſi motore carentes
Vi propria & quocunque modo per inane feruntur,
Protinus averſi, cum ſe tetigere, recedunt.

Verum, quod mirere magis, dulciſſime Quinti,
Quem perhibes, ille ipſe nequit globuli eſſe reſultus.
Hic te etiam demens Epicuri inſcitia fallit;
Omnia qui ſenſu, nihil autem lumine mentis
Æſtimat, erroresque novos erroribus addit.
Parjetis offenſu pila viribus acta reſultat,
Contorſit, quam reticulo circumundique tenſo
Strenuus in nigra juvenis validusque palæſtra;
Eque ſolo, cum lapſa fuit, ſurſum incita fertur.
Quapropter? Quoniam ſtratum pariesque reſiſtunt,
Accepta motus aliquanta parte; pilamque
Nonnil flexibilem (quo conſtat elaſtica virtus)
Paulum complanant, ac firma mole retundunt.
Hoc pila non faciet, ſi fluxa in retia forte
Inciderit; motum quia ſorbent protinus omnem:
Non faciet, vel ſi lapidem glans plumbea tundat;
Dilatatur enim, quia mollior: hujus & omnes
Particulæ nimio quaſſæ violenter ab ictu,
Mutavere ſitum. Nec vero ferrea valde
Glans reſilit, quoniam nimio durata rigore eſt.
Hinc duo junge ſimul, vera ut ſit cauſa repulſus,
Quo corpus remeare eadem veſtigia retro
Cogitur, obliquum vel ſæpe refringere curſum:
Scilicet, ut partim ſit durum, & flexile partim,
Atque ita conflictu paulum molleſcat in ipſo.

His

His animadverſis, jam res tibi clara patebit.
Si per inane cadens atomus contundere poſſet
Præcurrentem atomum, qui poſſe reſiſtere credis
Offenſam? Certe ſtatio nec firmior illi eſt,
Nec robur majus: deſcendunt viribus æquis,
Æquali ſunt mole, viam ſectantur eandem.
Si ſtaret, minime illapſam reflectere poſſet;
Ergo, cum fugiat, multo minus icta reſiſtit.
Per motus igitur leges, quid fiet utrinque?
Aut necti poterunt faciles; ac tum ſimul ibunt:
Aut minime poterunt necti; tumque impete facto
Labentur ſeorſum. Veluti de nubibus atris,
Undique præcipitans ruit arvis noxia grando,
Et vitem ferit ac ſegetes & tecta domorum.

Præterea, virtus non eſt ut elaſtica poſſit
Alterutram ſurſum, verſo in contraria motu,
Pellere. Ponis enim naturæ inflexilis omnes,
Ac ſumme duras atomos, ſummeque rigentes.
Ergo, ut ſe feriant, nunquam reſilire valebunt.
Nunc autem, quia vorticulos in vortice magno
Ponimus innumeros, qui ſemper aguntur in orbem:
Expoſitu facile eſt, cur corpora ſæpe reſultent;
Qualis humum repetens, pueris jactantibus, alte
Tollitur, atque iterum pulſatur in aëra follis?
Cur etiam tractus valide, ac molimine magno
Tellurem verſum, nec ruptus in arbore ramus,
Tum ſibi permiſſus propria virtute reſurgat?
Cur contorta ſuis conetur lamina vinclis
Exſolvi; ac ſubito, ſi tandem libera, niſu
Conſuetam in formam redeat? Cur milite Partho

Mendacem ſimulante fugam, & vibrante ſagittas,
Contractum primo, & laxatum denique funem
Ligneus extendat, ſe ſe dum corrigit, arcus?
Cur ſclopum explodas compreſſo, deinde remiſſo
Aëre, namque modum noſti? cur denique pulvis
Martius (humani dirum, at mirabile ſemper
Ingenii, poſſent animum ſi nota movere,
Portentum) prunis, & nitro & ſulphure mixtis,
Conflagret ſubito, frangatque potentius igni
Fulmineo rupes, & propugnacula vertat?
Aëris interius preſſi cum flamma ſuborta
Explicuit minimas & ſolvit carcere partes.
Omnibus his etenim celer ac circumfluus æther
Inſolitum tradit privato ex impete motum;
Ocius ingrediens occluſos ante meatus,
Et laxata novis agitans corpuſcula plagis.
At certe in medio nullum æthera ponis inani:
Exulat hinc adeo, per quam congreſſa reſultent
Semina, vel retro pulſentur, elaſtica cauſa.

Ictibus hiſce tui nunc tandem everſa Lucreti
Fundamenta reor: ſiquidem gravitate negata
Seminibus, torpent æterno languida ſomno;
Et gravitate data, nihil eſt quod gignere poſſint.
Nativos igitur motus in Materiæ vi,
Fortuitos etiam nexus excluſimus omnes.
Nec ridenda minus vani commenta poëtæ,
Sive parit, ſive ire jubet primordia rerum.
Ergo nunc ſileat tantiſper, & ora pudore
Tincta tegat; donec revocem ad certamina victum.
Sed velut obſeſſæ defenſor ſtrenuus urbis,

Cum

Cum videt adverſo jam plenas milite foſſas,
Diruta munimenta, ipſumque in mœnibus hoſtem;
Non ſe propterea dedit; quin acer in arcem
Confugit, & vallum ſudibus prætexit acutis:
Hinc prorumpit adhuc, hinc tela noviſſima torquet:
Sic per inexhauſtas accenſa cupidinis artes
Impietas alio renovat ſub vindice pugnam.
Sed, quocunque Deum fugiens penetraverit, audax
Inſequar, ipſe manu nova ſepimenta revellam.

Ergo ſi ſpretis tandem caſtris Epicuri
Xeinophanemve ducem, aut Spinoſam transfuga adires,
Perquirens in materiæ non partibus ipſis
Divſim ſparſis, at ſumma & corpore pleno,
Principium motus, tibi non melioribus irent
Auſpiciis nova bella, novus labor. Undique ſurgent
Argumenta tuæ penitus contraria menti.
Quocirca ſerves animo, monituſque revolvas,
Impulſu corpus duntaxat poſſe moveri,
Nec fore, tot calles, inter quibus undique cinctum eſt,
Unum ut ſponte ineat, par omnibus æque ineundis.
Ergo niſi in motum, cauſa impellente, feretur,
Stabit iners, placidumque ſua in ſtatione manebit.

Eſto, inquis, pellatur: at eſt fortaſſis in omni
Materiæ textu motus æterna propago;
Qua fit, ut impulſum vicino a corpore corpus
Corpora conſimili vicina reverberet ictu;
Detque quod accepit, tali ratione modoque,
Ut nec principium, nec finis motibus inſit.

 Quam

Quam cito, quam facile, o Quinti, lucem effugis ipſam;
Et documenta tuo labuntur pectore noſtra!
Non potes impulſus illos admittere, ſemper
Acceptos, ſemperque datos, quin ſingula ponas
Corpora cum dederint plagam, accepiſſe priorem;
Nec potuiſſe dari, quæ non accepta fuiſſet.
Propria conditio eſt igitur naturaque motus,
Traditus ut fuerit. Debet procedere ſemper
E motore aliquo, ceu filius e patre naſci.
Ergo in materia cum ſit, transfuſus in illam
Advenit cauſa ex aliqua: quæ cauſa profecto
Non eſt materies, non eſt brutum & rude corpus.
Nam ſi eſſet, qui ſeligeret, rationis egenum?
Materies adeo vel motum extrinſecus hauſit,
Ex aliqua re incorporea, mentiſque potita;
Vel partem ſane quamdam illius eſſe neceſſe eſt,
Quæ nulli acceptum referens, in cætera motum
Corpora diſtribuat: ſed motum diximus ante
Transfundi: quare hic ſubito ſine patre repertus?
Nonne etiam pars materiæ, quæcunque ſit illa,
Corpus erit rationis egens, ac perſimile illi,
Quod modo faſſus eras per ſe non poſſe moveri?
Ergo, ut materiæ pars nulla eſt, quæ mera non ſit
Materies, nullam omnino ſic eſſe fatendum eſt,
Quæ propriis unquam ſe viribus erigat ultra
Vires materiæ, & valeat traducere motum;
Ni ſuſceptum ab eo, motum qui gignere poſſit.

Cernimus aſſidua ſolem vertigine volvi,
Turbinis in morem directi ſemper ad Euros.

At

At ſol converti poterat conſtanter ad auſtros.
Quid vetuit rem ſic fieri? Solisne voluntas,
An lex materiæ? Solem ſi velle putabis,
Græca ſuperſtitio grates tibi læta rependet.
Si lex materiæ; tali ergo lege neceſſe eſt
Impetus ut ſuper calidis averſus ab auſtris,
Omni in materia per ſe contendat ad euros,
Hoc, vel ſi taceam, experientia ſola refellit.
Motus enim partes mundi contendit in omnes.
Materiæ non eſt igitur convertere motum.
Et quia nullus erit, niſi ſit converſus in illud
Hocve latus mundi, victus fatearis oportet,
Ex illo motum accepiſſe ut funditus eſſet,
Unde etiam accepit talis vel talis ut eſſet.

Præterea, quidquid natura tale videtur,
Illius ut nequeant eſſe uno tempore partes,
Aſt aliæ veniant ſemper, ſemperque creentur
Poſt alias, æternum illud ſibi fingere nemo
Sana mente poteſt. Totum quodcunque vocamus,
Natura eſſe nequit diverſum a partibus ipſis.
Nam totum eſſe nihil niſi ſummam particularum,
Cernimus. Hinc motus ſi per ſe æternus habetur,
Particulas omnes æternas eſſe neceſſe eſt.
At, quæ, dum loquimur, veniunt, ac temporis omni
Momento natæ, nec heri, nec nuper, ut ipſe
Credis, erant; non ſunt æternæ; nullaque proinde
Æterna eſt. Igitur, quod conſtat partibus illis
Perpetuo genitis, æternum credere noli.
Cur genus humanum jugi reparabile fœtu,
Eſſe novum, recteque putas? Hoc ſcilicet ipſo,

Quod

Quod ſit perpetuo reparandum; ac filius eſſe
Debuerit, quicumque pater. Si filius; ergo
Non eſt æternus: quia patrem, ſive priorem
Agnoſcit, quo proveniens exivit in auras.
Semina de arboribus, de ſemine provenit arbos.
Nulla arbos igitur, nullum quoque ſemen ab ævo
Sic ortum cepiſſe diem noctemque neceſſe eſt:
Nempe dies noctem ſequitur, ſequiturque diem nox.
Neutra poteſt ergo per ſe, aut æterna vocari.
Utram etenim natam dices, utramve parentem?
Non æterno etiam tempus prolabitur ævo;
Quando ex particulis (memini me dicere pridem)
Semper progenitis conſtat, ſemperque caducis.
Ver, æſtas, autumnus, hiems, annum ordine ducunt;
Inque vicem ſe ſe, mundi argumenta recentis,
Excipiunt. Inter ſibi ſuccedentia nullum eſt,
Quod non poſt aliud veniat: nullum ergo ſua vi
Tempus & usque fuit; nullum conſiſtere poſſet,
Ni cauſæ arbitrio, primum quoddam eſſe jubentis,
A quo deinde fluant reliqua, alternisque recurſent.

Quidni, reſpondes, nativo jure moveri
Omnia dicantur? Placeat conjungere motum
Corporibus, dotem ut propriam, nullius egebunt
Impulſu: fruſtra motus quæretur origo.
Talia de formis atomorum ſomnia nuper
Jactantem audivi. Nolebas indiga fabri
Corpora; motoris pariter non indiga velles.
Unde ego jam notis ſermonibus utar; & illa
Quo cecidere modo, facili cadet hoc quoque pulſu.
Si nativus erit per ſe ſe in corpore motus,

Ut

Ut dos materiæ; qualis, quantuſve rogabo:
Quam verſus mundi partem? Lentusne, citusne?
Rectus, an obliquus? Forſan curvatus in orbem?
Nam cuncti eſſe ſimul nequeunt: unum eſſe neceſſe eſt.
Si talem aut talem dicas; alium eſſe repugnat:
Nam ſecus eſſe nequit, natura quod ipſa popoſcit.
Sed motus nullæ ſpecies cum corpore pugnant:
Cur ergo hanc per ſe præ cunctis corpus habebit;
Æquo jure aliam per ſe cum poſſit habere?
Hanc etiam, ſi per ſe habeat, variare nequibit:
Nam quod naturæ eſt, nulla eſt mutabile cauſa.
Sed motum ſemper variari poſſe videmus:
Ergo materiæ nativum haud eſſe fatendum eſt.

Nequicquam objicias: ut qualemcunque figuram
Certo corpus habet, quamvis nullam ſibi certo
Vindicet ante alias; ita motum corpus habebit
Qualemcunque, licet valeat ſibi ſumere nullum:
Atque hunc externæ variabunt denique cauſæ:
Ut rota circumagitur directo fluminis ictu;
Cum ſecus haud poſſit proprio ſuper axe moveri.
Sic ais? Ecce quies e rebus tollitur omnis;
Nec motu caruiſſe, ut non caruiſſe figura,
Corpora jam poſſunt: quod nec tu effarier auſis.
Eſſe figuratum nam corpus quodque neceſſe eſt:
Rem, poſitus limes qui terminat, ipſe figurat.
Sed corpus nulla motum ratione requirit:
Stare poteſt; neque naturam, ſtatione quieta,
Corporis amittit. Moveatur, ſive quieſcat,
Corpus idem remanet, compactum e partibus iiſdem.

Non-

Nonne etiam, tibi dum gravitas nativa placebat,
Collapſas atomos, in centrum forte cadendo
Si tandem veniant, ibi tum ceſſare putabas?
Pauſam ergo requiemve atomis aliquando futuram
Intellexiſti, motum his non eſſe perennem;
Nec tibi propterea viſæ ſunt interituræ.

Huc accedit, uti corpus circumundique preſſum
Si fuerit, nulla poſſit ratione moveri.
Plenum ideo ſpatium tu formidare ſolebas,
Corpora ne turpi ſtarent immerſa veterno:
Nec peritura tamen, quamvis immota, putaſti
Tum ſi mole pari, nec non & viribus æquis
Concurrant adverſa duo, evaneſcere motus
Cernitur, & placidæ ſuccedunt otia pacis.
Materies igitur motum non ſponte requirit,
Ut ſibi conjunctum; nam corpora ſæpe quieſcunt:
Nec vero requiem; nam corpora ſæpe moventur.
Nativus quare non eſt in corpore motus;
Nec nativa quies. Jam cernis utrumque modorum
Eſſe genus: quoniam, natura ſemper eadem,
Corporibus poſſunt & adeſſe, & abeſſe viciſſim.
Qualis homo jaceat molli ſeu lentus in herba,
Seu pernicis equi fodiat calcaribus armos,
Semper homo eſt. Ita nil proprium ſibi comparat aër,
Amittite, ſilet cœlo cum forte ſereno,
Vel cum terribili ventorum turbine raptus
Sternit humum ſylvis, quaſſas ruit æquore naves.
Sic Anio, poſtquam de rupibus orta Sabinis
Flumina tranquillus vexit ſub Tiburis arcem,
Deficiente ſolo confeſtim, alveique ruina

Præ-

Præcipitatur, & in barathri prærupta fragoſus
Mergitur, ac niveo deſpumans imbre reſultat:
Unde levem tollit nebulam, qua pingitur Iris.
Rurſum et vorticibus per concava ſaxa retortis
Infremit; & cæcas fluctu ſubeunte cavernas
Ingreſſus, vallem crebris mugitibus implet.
Hinc redit ad lucem: dein per juga collis amœni
Labitur in centum rivos diviſus; & ima
Cum tetigit, ſubito diſperſas colligit undas,
Et placido Latios interluit agmine campos.
Sed nihil ipſe novi tot motibus accipit usquam,
Non primum a lapſu, præceps cum decidit omnis;
Nil quoque dum reſilit; nec, dum ſorbentibus antris
Ingeritur; nec dum variis anfractibus exit;
Aut ubi declivi tacitus prolabitur alveo.
Quid fieri cenſes, ubi corpus forte quieſcit?
Nempe ſitum ſervat. Vel quid, cum forte movetur?
Nempe ſitum mutat. Verum ſi tempore paulo
Et multum & crebro ſitus hic variabitur, ecce,
Motus erit velox: multo ſi tempore paulum,
Lentus erit. Qua parte ſitus hi deinde novantur,
Et quam deſcribunt mutati ſæpe figuram;
Hinc titulos motus, diverſaque nomina ſumit.
Ergo continuata rei poſitura, quies eſt:
Continuata ſitus autem mutatio, motus.

Omnis at ille ſitus, ſeu permanet unus & idem,
Mutaturve, rei modus eſt, vereque modorum
De genere, in rebus qui ſunt aliquando, vel abſunt.
Unde patet, quales jam vidimus eſſe figuras,
Tales eſſe ſitus. Duplex natura figuræ:

Al.

Altera nam fines rectos habet, altera curvos.
Sic etiam poſitura duplex: quæ permanet, & quæ
Mutatur. Sicut nulli eſt addicta figuræ
Materies, nulli eſt poſituræ dedita: nullam
Affectat, nullam renuit, par omnibus æque:
Impertire ſibi nullam, deponere nullam,
Aut variare poteſt; & quam tenet, usque tenebit,
Quamdiu ab externo non immutabitur ictu.
Eſſe nequit corpus ſine qualicunque figura:
Sed curvos habeat fines, rectosve, perinde eſt.
Absque ſitu quocunque nequit conſiſtere corpus:
Aſt illum ſervet ſemper, mutetve, perinde eſt.
Ergo cum motus poſituræ ſit genus unum,
Quo ſine materia eſt, naturamque integra ſervat;
Corporibus, ſi non aliunde afflabitur, abſit,
Advena materiæ toti, peregrinus, & hoſpes.



ANTI-

ANTI-LUCRETIUS,

SIVE

DE DEO ET NATURA

LIBRI NOVEM

AD QUINTIUM,

LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM.

Collectis breviter iis, quæ ſuperioribus libris effecta ſunt, laudat Lucretii poëſim, vecordiam vituperat: tum ad mentem humanam, de qua hoc in libro agendum eſt, progreditur: a v. 1. ad. v. 89.

Eſſe aliquas mentes oſtendit, & a mente ſola petendam eſſe cauſam motus: a v. 89. ad v. 259.

Mentem non eſſe corpoream probat ex natura materiæ; & ex eo, quod ex variis materiæ modis, quales ſunt poſitura, moles, figura, motuſque partium, exiſtere mens nequaquam poſſit; ſed variæ tantum rerum corporearum formæ: quod patefacit exemplo ignis, cujus omnia phænomena explicat: a v. 259. ad v. 609.

Aliis argumentis evincit, mentem nihil habere cum materia commune; & cauſam exſtitiſſe materia priorem, quæ hunc illumve motum materiæ daret: a v. 609. ad v. 713.

Objicienti Epicuro mentem affici contagione corporis, ac proinde corpoream eſſe & mortalem, reſpondet cum corpore conjunctam quidem, at non eandem eſſe. Quod illuſtrat exemplo citharæ ac citharœdi: a v. 713. ad v. 812.

Diſtincto triplici genere cogitationis, ex eo, quod mens uno tempore & plura ſentit, & varios ſenſus inter ſe comparat, concludit, unam ac ſimplicem eſſe, ac proinde immortalem. Fœdere corporis & mentis fieri, ut a corpore ad mentem varii affectus, habituſque tranſeant: a v. 812. ad v. 1011.

Objicienti Lockio ignorari materiæ naturam, ac proinde neſciri, utrum cogitatio in materiam cadere non poſſit, reſpondet, non perſpecta funditus materiæ natura, ſciri poſſe, dotem aliquam non convenire materiæ; cogitationem autem ac voluntatem ab extenſo prorſus alienam intelligi: a v. 1011. ad v. 1164.

Ex hominis libertate oſtendit, & mentem eſſe & a corpore prorſus diverſam: a v. 1164. ad v. 1262.

Motus in corpore voluntarios humanæ mentis quidem juſſu fieri; at & eoſdem & naturales motus divinæ mentis arte procreari: a v. 1262. ad finem.

DE MENTE.

Æquum te, Quinti, rectique unius amantem
Arbitror, haud illis ſimilem, quos dulcia poſtquam
Sopitos gratis implerunt ſomnia viſis,
Pœnitet adſpexiſſe diem: cum lumine primo
Matutina polum ſpargens Aurora micantem,
Excitat invitos, & ſuaves diſſipat umbras.
Quippe magis placet error; & ingemuiſſe reperta
Luce ſolent, per quam redeunt faſtidia veri;
Et blande mendax fruſtra revocatur imago.
Si tamen incuſſo rationum robore pulſum
Errorem extortumque tibi periiſſe doleres,
Mirarer, quantum poſſet maleſuada voluptas.
Nam quæcunque ſuæ poſuit fundamina ſectæ
Gens inimica Deo, certe victricibus armis
Convulſiſſe mihi videor. Magnum illud inane,
Atque immortales atomos, motumque perennem
Stravi, & natura ſolum auxiliante peremi.

Perdita ſunt igitur, ſunt fracta Cupidinis arma;
Pungere nec poterunt, niſi quos impervia luci
Faſcia multiplex oculis obducta, volentes
Occæcat, rectaque via diſcedere cogit.
Nunc Epicureos habitare Lucretius hortos,
At nulla comitum pergat ſtipante caterva.
Hic agitare velit Cythercam inglorius artem:
Hic myrtum floreſque legat; quos tinxit Adonis
Sanguine, dilectus Veneri puer: aut Heliconem,
Et colles Baccho partim, Phœboque ſacratos
Incolat. Hic placidi latebris in mollibus antri
Silenum recubantem, & amico nectare venas
Inflatum ſtupeat titubanti voce canentem:
Qua vice fortunæ ſparſis per inane quietum
Seminibus, mundi ſubito concreverit orbis:
Dignaque laſcivo tandem doctrina magiſtro,
Deſinat in Satyrum luſus Dryadumque procaces.
Deinde vocet demens, quos tendat perdere, divos,
Immemor ipſe ſui. Martis deſcribat amorem;
Et juvenum cæcos ignes ac vulnera dicat;
Et vacuæ, pulſis terroribus, otia vitæ;
Fœcundoſque greges & amœni gaudia ruris:
Hinc ſtultas hominum curas, bellique furores.
Ut varie noſtros tangant corpuſcula ſenſus;
Tollat inæquales venti ut vis incita fluctus;
Et gremio terræ miſſi in ſublime vapores,
Fulgura dent nigrante polo fulmenque tremendum.
Qua ratione, feras inter nemorumque receſſus,
Fluxerit innocuum priſcis mortalibus ævum:
Ædificare caſas, & aratro findere terram,
Quæ cauſa impulerit miſeros: qui morbus Athenis

Graſ-

Graſſando, magnam viduarit civibus urbem.
Hæc et plura canens, avide bibat ore diſerto
Pegaſeos latices, & nomen grande poëtæ,
Non ſapientis amet. Lauro inſignire poëtam
Quis dubitet? Primus viridantes ipſe coronas
Imponam capiti, & meritas pro carmine laudes
Ante alios dicam: dum ſcilicet ille docendo
Abſtineat; nec mortifero, ceu perfida Siren,
Geſtiat ignaras cantu male perdere gentes.

Errare humanum eſt. Ereptus navita leto,
Qui freta, qui ſcopulos, debacchantesque procellas
Oceano, & Syrtes atque Acroceraunia vicit,
Et nave incolumi totum audax ambiit orbem,
Ipſo in conſpectu patriæ, atque in littore noto
Obruitur, puppimque & merces æquore mergit.
Haud aliter qui naturam & primordia rerum
Indagant animo, durisque laboribus audent
Totius arcanos mundi tentare receſſus,
Nil mirum, ſi quando via tantiſper aberrent;
Aut verum, toties feliciter ante repertum,
Poſtremo ſtudii quadam ſatiate relinquant.
Sed quî non ſtupeas, hominem explanare profeſſum
Omnia quæ latitant, verique recludere fontes,
Ne genus humanum ſub relligione ſevera
Incaſſum trepidet, ſeque in mala vincula trudat;
Tam ſibi diſcordem atque adverſum, ut relligionem,
Queis fruſtra tentat convellere, protegat armis,
Telaque nulla gerat, quibus haud feriatur & ipſe:
Tela gigantum auſus iterum conata ſuperbos.
Humani generis non vindex, aſt Epicuri

Atque voluptatis tubicen, primaria motus
Principia in fictis atomis promiſit habenda.
Quid tanto vanus tulerit promiſſor hiatu,
Jam ſumus experti. Rurſum, & Spinoſa quid eſſet
Dicturus, qui vim motricem in viribus ipſis
Materiæ poſitam ſimili jactaverat auſu,
Inveſtigatum eſt: tentatus & ille viciſſim
Succubuit. Motus igitur primordia duci
Cum nequeant e materia, quæ ſe ipſa movere
Nequaquam potis eſt, alio de fonte petamus.

Sunt aliquæ mentes. Noſtrum ſibi quemque profecto
Id conſcire liquet, quod cogitat: unde negamus
Falſa; affirmamus, nobis quæ vera videntur.
Atque ubi per ſenſus quædam intromiſſa fuerunt,
Hæc ratione animi capere, & verſare ſolemus:
Mox conferre ſimul: ſi quid diſcriminis inter
Illa ſit, aut habeant ſi quid commune, notamus:
Tandem obſervatis compluribus, intima quædam
Prototypa, & rerum formas in mente manentes
Conficimus nobis; quo deinceps cuncta referri,
Judiciis ut ſint librata fidelibus, eſt mos.
Hic ego non agitem, num ſint innata ſciendi
Principia hæc, an mentis opus: namque id ſatis unum eſt,
Noſtris illa ſubire animis, utcunque creentur.
Verum ſæpe animus variis rationibus anceps
Diſtrahitur, quærens et fluctuat, ambigit, hæret;
Quod partim ignoret, partim cognoſcat: & ultra

Pro-

Progrediens e jam notis, incognita tentat
Eruere, addendo priſcis nova ſemper, & unum
Colligit ex alio, meditans quid rite ſequatur,
Quid minus; atque ideis poni quis debeat ordo;
Et collatarum quæ ſit concordia rerum.
Sic tandem adnitens intelligit, atque reflexus
In ſe ipſum, proprios conſiderat ipſe labores:
Si rem aliquam neſcit, ſe ſe neſcire, vel hoc ſcit:
Et ſe, cum dubitat, ſentit dubitare; negare,
Cum negat; & verum attingens, ſe attingere novit.

Hinc elementorum mixturis corpora creta
Intuitus, rerum cauſas ab origine prima
Deducit: terræque plagas, cœlique meatus
Metiri, certisque valet deſcribere ſignis.
Inde tenebroſum ſectatur in æthere conum,
Corpore quem ſpiſſo tellus a lumine ſolis
Defenſat, cœlique trahit per aperta ſequacem:
Prædicens, qua parte poli, qua noctis in hora,
Et quoties, poſt mille annos, poſt ſæcula mille,
Obſcurandus ea ſit lunæ vultus ab vmbra:
Quos etiam terræ pelagique obnubere tractus
Debeat abſcondens fraternum Cynthia lumen,
Convexoque diem interceptam frangere tergo;
Et quota celati percurrere ſegmina diſci.
Tum quibus inter ſe gyris, quæ ſidera magno
Sunt addicta Jovi & cœlo comitantur euntem,
Sæpius occurrant adverſa, ſibique viciſſim
Præripiant commune jubar, tenebrasque refundant;
Proſpicit hæc etiam vaſti explorator Olympi;
Ac monet ante diu, quam ſint, certiſſimus augur:

Atque Sibyllinis audet conſcribere faſtis.
Nec ſtatione ſua motus, prudenter et alte
Duntaxat meditans ipſo ſub fornice tecti,
Computat hinc fere, quantum plaga diſtat Eoa
Æquore ab occiduo; quam regnis diſſita regna,
Littora littoribus; quam ſejunctæ urbibus urbes.
Cumque polos inter, qua fulgens orbita ſolis
Dividit in geminas cœli diſcrimina partes,
Praefixi deſint apices, immotaque puncta,
Quorum a conſpectu diſtantia certa locorum,
Phœbeo quæ ſunt ſub tramite, poſſit haberi;
Hoc ſtudio ſupplet, ſibi quod natura negavit.

Inde truci Pelago fragilem committere cymbam
Non dubitat; ferturque vadis, & circuit orbem:
Nec timet ignotæ nocturna pericula terræ,
Nec decertantes validis aquilonibus auſtros.
At magnete regens veſtigia cæca per undas,
Nunc adit imberbes populos & fœta metallis
Regna procul; nunc divitias orientis & auſtri,
Tellurisque novos alio ſub ſidere tractus,
Oceanique ſinus & promontoria quærit;
Longo fune ſolum experiens ſub fluctibus altis.
Nunc & Hyperboreas glacies, nullique repertum
Tentat iter, ligno & velis confiſus, & arti.

Condiſcit multas etiam, aut excogitat artes;
Semina mixtorum ſolvit; ſal, ſulphur, arenam,
Atque inteſtinos haurit, purgatque liquores;
Segregat, aut iterum jungit; nova mixta recudens,
Naturæ mentitur opus, quin corrigere audet.

Nec-

Necnon & vitrea radios in lente refractos,
Aut chalybe in curvo glomerans, convergere cogit
In punctum, ætherii furatus ſideris ignes;
Et rapidum jubet in terras deſcendere ſolem,
Subreptisque creat miranda incendia flammis.
Felix invento: licet æmulus ire Prometheo
Audeat, Hyrcanis quem Jupiter invidus olim
Rupibus affixit, fas eſt ſi credere Graiis,
Vulturis aſſidui roſtro ſine fine vorandum.
Sæpe repercuſſam quovis a corpore lucem
Dilatans, viſum amplificat; confuſaque primum,
Atque nimis contracta rei ſimulacra videndæ
Plenius expandit; minimam diſcernere gaudet,
Velatam reſerat, longinquam accedere cogit;
Et prius ignotas partes, oculisque negatas
Vitri ope convexi penetrat, donatque videri;
Et mirabilium ſtupefactus imagine rerum,
Intima corporei retegit miracula textus.
Tum varias inter commercia ponere gentes
Molitus, ne quid lateat pereatve, quod extra
Prolatum velit, ac donatum ſorte perenni,
Senſa animi mandare ſono, ſignare figuris
Inſtituit, totam & chartis deponere mentem:
Diſcretosque a ſe populos, & poſtera ſæcla
Cominus affari; ceu temporibusque locisque
Præſens ex æquo cunctis orator adeſſet.

Quinetiam, cur ſint quæ ſunt, quo ſine regantur
Detegere aggreſſus, cauſas effectaque confert:
Concordentne ſimul, tandem re detegit ipſa:

Difficileſque vias, omnique impervia ſenſu
Naturæ penitus rimans arcana, recludit.
Diſputat occultis de rebus, & alta tuetur;
Quo pacto nunc, ſitne Deus, qui fecerit orbem,
An mundus ſit cauſa ſui, perpendimus ambo.
Præterea mores, normamque, modumque beate
Vivendi ſtatuit: juſtum ſecernit iniquo,
Ut verum falſo: quid honeſtis turpia diſtent,
Noxiaque utilibus, pariter quid grata moleſtis
Æſtimat: odit, amat; probat, improbat; optat & horret.
Tum quod opinatur, quod vult, perſæpe retractans,
Atque animadvertens propria in decreta, ſeverus
Errorem ipſe ſuum potis eſt deprendere cenſor;
Emendatque, minus quæ circumſpexerat ante.

Denique multiplices annexi corporis artus
Dirigit, arbitrioque potens dominante gubernat.
Nam quocunque jubet, faciles vertuntur ocelli;
Pesque manusque volant; ad nutum inflectitur omnis
Muſculus; ad nutum ferme omnia membra ſequuntur.
Sic loquimur, gradimurque, & brachia ſponte movemus,
Impulſu nullo, niſi quem dedit ipſa voluntas:
Unde in multa ſequax transfertur corpora motus.
Nam ſimul atque pedes moveo, fugit ocius aër
Aëra vicinum quatiens, ac gyrat in orbem.
Et tuba ſi dederit ſonitum pulmonibus actæ
Vocis ab impulſu, longe lateque cientur,
Atque repercuſſæ redeunt a montibus auræ
Diſpoſitis etiam trochleis ac funibus, imo

Veſtibus atque rotis, ingentia pondera tollet
Unus homo; & lapidem ſic altis ante fodinis
Extractum, celſi feret ad faſtigia templi.
Nec non adjunctis operi, quibus imperat ipſe
Bobus, equisve, graves adverſo flumine cymbas
Perducens, Rhodanum celerem ſibi cedere coget.
Usque adeo propriæ tantum moderamine mentis,
Et pater & rector motus princepsque videtur!

Ergo animi proprium, ac veluti dos ipſa profecto eſt,
Unus ut invalidæ tradat primordia motus
Materiæ; non hæc aliunde recepta propagans,
At primo eliciens, a nutu orientia ſolo.
Nos vero plerumque latet, quænam organa motus
In nobis vigeant, & qua ſint arte regenda:
Nec reſcire juvat: ſatis eſt nam velle moveri,
Quilibet ut ſe ſe moveat, rudis atque peritus.
Hinc dubium eſſe poteſt omnino; ſitne creatæ
Mentis opus, quod quisque ſuum, prout expetit, ultro
Corpus agat; cauſæ an potioris; quæ ſimul omnem
Materiam noſcens, arcana recondita motus
Noverit, ac votis indulgens optima noſtris,
Hoc præſtet, quod nos ipſi præſtare videmur.
Verum ſeu noſtræ mentis partum eſſe putemus
Hunc motum, cujus faciles moderamur habenas;
Seu potius cauſa quadam a meliore profectum;
Cujusdam certe mentis partum eſſe neceſſe eſt.
Et ſaltem id conſtans inconcuſſumque manebit,
Principii, quodcumque fuat, motum eſſe volentis.

Sed

Sed nil velle poteſt niſi primum intelligat: ergo
Hanc motus cauſam conſtat ſimul eſſe ſcientem.
Mens igitur prima eſt motus atque unica cauſa.
Ac velut humanum corpus finita regit mens,
Mentem infinitam ſic magno in corpore mundi,
Numine cuncta ſuo quæ dirigat, eſſe fatendum eſt.
Materiæ motrix adeo tibi cauſa pateſcit;
Materia major, longeque potentior ipſa,
Mens; quæ materiam fecit, factamque gubernat.

Hoc tibi monſtratum firma ratione putarim,
Anticipata tenet niſi te ſententia vinctum,
Corporeis ipſam quoque mentem partibus eſſe
Conflatam; quaſi nil penitus ſit corporis expers.
Sed quoniam oſtenſum eſt, motu per ſe ipſa vacare
Segnia materiæ corpuſcula, nec dare poſſe,
Ni prius accipiant; hoc jam convincitur ipſo,
Quantum a materia mentis natura recedat:
Quæ non acceptum, at proprio de fonte fluentem
Elicit imperitans motum, generatque volendo.

Præter enim partes omni ratione carentes,
Extenſaſque ſitu certo, certaque figura,
Nil tibi materies, quacunque inſpexeris, offert.
Id per ſe planum eſt, & cogeris ipſe fateri.
Nam ſi materies, naturaque corporis ipſa
Poſtulat eximios per ſe ſe mentis honores,
Quidquid erit corpus, ſenſuque animoque valebit;
Senſu animoque arbos, & inertius arbore ſaxum;
Senſu animoque atomi, vel dum ſine more vagantur
Disjectæ: nec jam tibi ſunt primordia cæca

Ma-

Materiæ, ſed erit potius pars quæque tibi mens:
Materiæ ſiquidem pars omnis materies eſt.
Ac tot erunt mentes, quot partes corpore in uno;
Totque immortales: quia per te funeris expers
Eſt atomus; nec eam leto dabit addita virtus
Noſcendi. Miſera aut felix per ſæcula cuncta
Eſſe poteſt. Sic te, Quinti, viciſſe puderet;
Si non unam, aſt innumeras in corpore mentes
Eſſe tuo ſolidas, immortaleſque faterer.
Nam rueret tibi ſecta pari convulſa ruina:
Cui nihil horrendum magis eſt, quam mole ſepulta
Corporis, æternam poſt funera ducere vitam.

At vero ſi naturæ vi cogitat & vult
Quæque atomus; pariter rectoque & idonea pravo;
Virtutem vitiumque ſequi, & præponere poſſit
Alterutrum, ac proprios delectu fingere mores.
Immo pars atomo quæcunque putatur in ipſa,
Quæque ſuam vitæ rationem priva tenebit;
Quæque ſuos aliquo patietur vindice manes.
Ut pia promeritæ capiet mercedis honorem,
Impia ſic meritas ſolvet pro crimine pœnas.
Hinc atomos per ſe noſcentes atque volentes,
Ac ſimul æternas fugis affirmare, Lucreti.
Democritus quondam nonnullas ponere tales
Auſus erat, quæ præ reliquis hac dote ſuperba
Pollerent, menteſque forent a ſimplice vulgo
Diſtinctæ: qualis plebem contemnit agreſtem,
Addictam officiis, natam ſervire patique,
Libera nobilitas, tituliſque ac juribus amplis
Præcellens. Tanto viſa eſt commota periclo,

Quæ

Quæ ſchola mortales animos contendit & optat:
Democritumque patrem ſubito indignata reliquit.
Revera nil ridiculum magis, atque pudendum,
Quam pariles atomos in cæcas, inque videntes
Partiri: fictum gratis erat, ac ſine cauſa.

Sed videamus utrum minus a ratione recedat,
Quod cecinit ſuper his Epicuri ſerva camœna.
Materies, inquit, per ſe nil ſentit; & omnes
Æqua ſorte atomos, cunctarum exordia rerum,
Natura cæcas & inertes eſſe neceſſe eſt.
Verum ubi fortuna certæ quædam, ordine certo,
Convenere ſimul, (quamvis nec dicere quales
Omnino valeat, nec quis demum ille ſit ordo)
Efficiunt animum. Putat autem e ſanguine puro,
Partibus aëriis, ſubtili denique flamma,
Poſſe aliquid naſci, quod cogitet ac velit, etſi
Corporeum; tandemque mori compage ſoluta.

Ergo materiæ tantum mixtura modusque
Efficient mentem. Sed quid mixtura creabit
Materiæ in latebris, ut mens ubi nulla fuiſſet,
Mens ibi continuo exiſtat: vis nempe jubendi;
Vis meditans, operumque potens; vis apta movendis
Corporibus; vis percipiens, ac prædita ſenſu,
Judiciumque ferens, & agendi robore præſtans?
Nam perſcrutari, nam proſpicere atque movere,
Et præferre, ſequi, fugere, impugnare, reniti;
Hoc agere eſt. Mixtura novi nil partibus affert
Aut afferre poteſt, niſi quod vel congreget ante

Di-

Diviſas, vel eo collectas ordine jungat
Qui prius abſuerit. Quid partibus additur inde?
Nil certe, niſi cuique locus, totique figura
Compoſito. Hæc igitur fuerit ſi mentis origo,
Mens aut materiæ poſitura, aut certa figura eſt:
Atque cubus fit uti, vel pyramis atque cylindrus,
Haud aliter fiet miranda potentia mentis.
Et ſic materiæ per ſe ſe mente carenti
Certa figura dabit, dare quod non altera poſſet;
Certus item locus; ut ſi dextra forte locantur
Particulæ, ſubito cognoſcant, hisque volendi
Accedat vis magna; ſecus, ſi forte ſiniſtra?
Ergo virtutem inſolitam junctura ſitusque
Conferet: ac tantum poterit contactus, ut omnem
Naturam invertat rerum, & primordia mutet.
Quis probet hæc? Nihil e nihilo vis poſſe creari,
Et mentes tamen ipſe creas: vis tanta modorum eſt!

Corpora ſic, fateor, fieri perlucida poſſunt,
Raraque; ſic fieri condenſa, fluentia, dura,
Mollia, pro varii varia compagine texti:
Namque ſitus parit illa. Novi nihil inde creatur
Corporibus: remanent quod ſunt. Ut cannabe torta
Conficitur funis, contexta carbaſus; etſi
Nullum incrementum jacturaque nulla ſequatur
Natura in propria: tantum id, quod grandia funis
Pondera ſuſtineat, ſpirantes carbaſus euros.
Hæc diverſa quidem, ſed non contraria per ſe
Munia ſunt, nec materiæ ſuperantia vires.
Eſt in utroque ſtatu patiens, nec ſe exerit ipſa.

Ferri

His tantum adductis, poſitura, mole, figura,
Et motu, & requie. Cur arida concremet ignis:
Cur lignum in cineres, in calcem ſaxa reſolvat:
Cur ſilicem in vitrum vertat; cur toſta metalla
In liquidum flumen: cur limum induret, abacto
Quidquid erat lymphæ: cur extrahat intima rerum
Principia: & flammis oleoſa micantibus ornet
Rodendo, interea ſpargens circumundique lumen;
Cetera dum candent ab eo, tantumve rubeſcunt:
Cur aliis vero cæcum ſine luce calorem
Infundat, mediiſque ardores temperet undis:
Cur & conflictu lapidum ferrique, repente
Proſiliat; gelidis ac forte liquoribus una
Congeſtis, fumum & flammam cum murmure prodat:
Horrifico tandem cur impete fulminis actus,
Tam volucris ruat in terras, fulgore coruſco
Percellens oculos; vehemenſque agiliſque meatus
Vi tanta penetret, ſæpe ut (mirabile dictu)
Vagina totum illæſâ liquefecerit enſem:
Hæc & plura etiam, quæ cuncta referre pigeret,
Jam video, ſimul atque obelis pungentibus ignem
Pyramidi aut cono paribus conſiſtere novi,
Qui motu rapido longe lateque feruntur.
Nam quo non penetrant? Quovis in corpore partes
Exagitant, rumpunt, lacerant, ſolvuntque, fugantque,
Diſpoſitas prout inveniunt; ſi forte quietas,
Ac preſſas, ineunt ægre, ac molimine longo:
Quod ſi diſcretas, pervadunt, vixque morantur;
Mobilibus proprium facili conamine motum

Con-

Contribuunt. In ſulphureis cumulantur & hærent;
Donec diviſas penitus, circum agmine facto,
Abſtulerint: ac mille modis volitare videntur;
Quod fumum undantem & pingui fuligine plenum,
Qua ſe cunque via promoverit ille, ſecuti,
Perpetuo ſpolient; ſpoliatum deinde relinquant.
Interea lucent; rapido quia turbine circum
Vibrati, radios conſtanter in æthera mittunt.
Quos ubi refractos varie, varieque reflexos
Rerum objectarum facies transmittit ad imam
Partem oculi, ſubito illarum ſe vivida imago
Pingit ibi, ſolet ut fieri in nigrante tabella:
Tum variæ apparent formæ, variique colores.

At vero flammis ubi ſulphura nulla ciendis
Suppeditantur, agit nihilominus intima ſerpens
Per loca; ſed tacitus, longeque obſcurior ignis.
Exiguam reddit lucem, ſi pauca ſuperſunt.
Nam fulgere nequit radius, niſi rectus ab illo
Perveniens, intret noſtrae ſubeatque foramen
Pupillæ. Quoties curvis amfractibus errat,
Tunc latet. Occulto calefiunt corpora motu:
Poſthac frigeſcunt; vel cum ſeceſſit in auras
Ignea vis, vel cum ſic partibus implicuit ſe,
Ut penitus torpens anguſto in carcere ceſſet;
Donec ab injectis rediviva efferveat undis.

Et quia graſſatur totum diffuſa per orbem,
Semper adeſt, non mota quidem, ſed promta moveri.
Hinc adeo lucta ſolidorum excita reſurgit,
Scintillatque procul, ramenta metallica mordens

Quæ lapis excuſſit; nec non & ſæpe liquentum,
Sulphura ſi pugnent ſalibus: fremit ipſa tumultu
Protinus, atque rogum mediis accendit in undis,
Et ſpumam ingentem duplici de corpore format.
Sic etiam terræ latebris reperitur in altis,
Æs aurumque coquens, inteſtinasque cavernas
Æſtu perpetuo complens, quo conditus aër
Rareſit. Verum hunc ſi forte cadentia montis
Fragmina præpediant, quin exhaletur in auras,
Terrarum hinc ſubitus tremor horribilesque ruinæ.
Haud aliter cœli quondam in regione ſuprema
Fit tonitru: diſperſa latent nam ſemina flammæ,
Nimbos inter aqua multoque bitumine fœtos:
Quæ ſimul ac media glacies in nube coëgit;
Aëre denſato penitus, vertigine magna
Volvuntur; fervens accenditur igne bitumen;
Aëra dilatant ignes; hic frigida clauſtra
Perrumpit ſtrepitu horrendo; ſimul intonat æther
Concuſſus: qua facta via eſt, ſinuoſa ſagitta
Pervolat, & minimos penetrat ſubtilis hiatus.
Bellica non aliter Vulcanum induſtria Marti
Junxit mille modis; & nunc imitabile fulmen,
Ætnæosque ſoli ſubſultus atque ruinas
Molitur; ſive oppugnat; ſeu protegit urbes.

Nil mirum eſt igitur, quod alendis ignibus aër
Conferat, augendisque: ut ſi vel flammula ſiccam
Materiem tetigit, cito maximus ardeat ignis;
Tectaque conflagrent, perdantque incendia ſylvas;
Igniculorum etenim quæ copia magna latebat,
Aëris in gremio, ſtagnans & ſparſa per auras,

Se primum emotis & jam flagrantibus addit:
Vicini agglomerant ſe ſe, tractimque ſequuntur,
Quam levis eſca diu ſupereſt; at ſulphura tandem
Depaſti, fugiunt oculos, & fulgere ceſſant.
Propterea creſcunt ventorum flatibus ignes;
Et Cyclopeis folles adhibentur in antris;
Ne pauſa obrepat flammis inimica citatis.
Nam vis incutitur ſemper; ſemperque novato
Fomite cum gliſcat, nequit elangueſcere motus.
Haud ſecus & noſtris auræ pulmonibus hauſtæ
Sanguineos animant latices, atque ignibus implent
Ætheriis: quos dum ſecernit, temperat humor;
Et madidum late ſervat per membra calorem.
Hinc omnis regio cerebri perfunditur udis
Halitibus. Pars & nervos, pars organa ſenſus
Irrigat, & molles pars purior ipſa, tabellas;
In quibus & rerum varie ſignatur imago,
Et poſt venturos etiam ſervatur in uſus.

En, Quinti, variis quæ motibus atque figuris
Exſequitur corpus. Mutatas ſæpe figuras,
Mutatos & ſæpe ſitus intelligo, verum
Non video mentes, effectaque mentis oriri.
Quin etiam indignor, cum ſic in corpore mentem
Ut cerebrum fingis formari; ex agmine quodam
Particularum, omni per ſe ſe mente carentum:
Indignor; ratio mecum indignatur & ipſa.
Mens etenim tua ſi membrum eſt, ut cetera membra
Corporis humani, propriam quoque ſuſcipit eſcam,
Qualem ſuſcipiunt ſimul omnes corporis artus.

Hæc fit nutritæ ſubito pars intima mentis:
Nutriti pariter ceu fit pars intima membri.
Ergo particulæ panis quem forte voratum,
Digeſtumque ſuo ſuſcepit ſanguis in alveo,
Si pedibus ceſſere tuis, ratione carebunt;
Pectoris at mediam regionem ſi tetigere,
Qua noſtræ placuit tibi mentis templa locari,
Tunc diſceptabunt de mundo & origine rerum,
Ac de ſorte ſua; ſint corpora dedita leto,
Necne? quid ad vitam poſſit conferre beatam?
Jus populis dicent, ornabunt legibus orbem:
Invida quam natura negat, poſitura dabit vim.
Res peregre adveniens id, quo caret ipſa, propinquæ
Tradet; & accipiet, quod non habet illa, viciſſim.
Pro pudor! hæc tandem eſt doctæ ſapientia ſectæ!

Si vero non hanc atomos acquirere dotem
Credideris, ſed quod conflatur corpus ab illis;
Textu nimirum ſubtili, & præpete motu;
Protinus elata reſpondens voce rogabo:
Ecquidnam eſt aliud corpus, quam corporis ipſa
Semina, quæ certa coëunt ratione locata?
Quidnam his accedit poſitura, aut ordine quovis,
Quam poſitura ipſa, & quidam novus ordo? Quid ipſum
Acquirit corpus toto glomeramine, præter
Interius quemdam textum, exteriusque figuram?
Sunt illæ cunctis ſolæ, te iudice, dotes
Corporibus; ſolæ pariunt diſcrimina cuncta:
Hoc eſt, reſpectus varios (re ſemper eadem)
Corporis ad corpus: nempe ut ſint plusve minusve
Stricta

Stricta aut laxa intus; ſint pluſve minuſve rotunda
Seu quadrata foris. Nihil eſt diſcriminis inter
Corporeas moles, quod non redigatur ad iſta.
Quis mentem textus formabit, quæve figura?
Res ut noſſe queat, ſatin' eſt ſubtilibus illam
Conflari ex atomis? ſed quid ſubtilius una
Eſt atomo? Tamen haud atomus tibi cogitat. Adde
Pernicem motum: ſed quid pernicius igni,
Æthere, luce? Tamen neque lux, neque cogitat ignis,
Non æther. Satin' eſt aliquam illis eſſe figuram?
Hoc ais: hanc demum fugis expugnatus in arcem:
Nam quo lucifugus ſe ſe non ſubripit error!
Sed nos errorem, quo ſe ſe cunque receptet,
Inſequimur, cauſamque animi non eſſe figuram
Materiæ, valida freti ratione probamus.

Namque hoc ſi fuerit, non omnes, credo, figuræ
Formabunt animum; ſed quædam hoc jure fruetur,
Secluſis aliis. Ut quæ rutilum efficit ignem;
Hæc non format aquam; & quæ molles procreat auras,
Hæc non arentis generat corpuſcula terræ.
Atque ita, per varias ut poſſunt quæque figuras
Corpora deſcribi, flammæ per acumina multa
Pyramidum; tellus per denſos partium acervos;
Per floccos graciles aër; Neptunius humor
Per tenues globulos; ſic & prudentia mentis,
Et varii ſenſus, & vis innata volendi,
Et quæ quiſque ſuo tacitus ſub corde volutat,
Diverſis itidem ſignari hæc cuncta figuris

Judice te poterunt, ſingillatimque notari?
Dic igitur: qua nempe fides, & opinio forma,
Qua dubitatio, qua ſtabilis perſuaſio diſtent,
Invidia, ambitio, ſpes aut metus. Eia age, Quinti,
Quid ceſſas? Hæres? Deſunt tibi verba, figuræ
Quanquam omnes adſunt oculis? Cur nulla roganti
Obvia fit, quæ vel minimum genus exprimat horum?
Nil quodcumque vides, Quinti, quod corpore tangis,
Significare valet quod ſentis intus; & omnis
Materiæ tibi deeſt ratio de mente loquenti.

Quin, ſi materiam omnino ſupereſſe negares;
Diffiſusque tuis hodie, qui ſæpius errant,
Senſibus, extenſi ſummam periiſſe putares;
Nilque forent aliud, quæ cernis corpora, præter
Umbram fallacem, ſimulacraque inania rerum;
A te non ideo poſſet mens ipſa negari.
Namque tuæ mentis ſemper tibi conſcius eſſes.
Tu tibi proximus es, qua parte intelligis. Ante
Corpora quam ſcires an ſint, jam te eſſe ſciebas.
Quonam argumento? Quoniam qui cogitat, ille eſt.
Nec tamen ulla tibi ſenſum afficiebat imago.
Nam cum cœpiſti primum ſentire dolorem,
Neſcires licet unde dolor, dolor ipſe profecto
Jam tibi notus erat; quamvis ignota tibi eſſet
Undique materies, & adhuc tiruncula ſecum
Mens privatim ageret, ſibi conſcia & obvia ſoli.
Porro materia ignota cognoſcere mentem
Si liceat, nil materiæ mentem eſſe liquebit.

Nunc age, materiæ propriis cum dotibus, illa
Si jam contuleris, quæ mentis munia noſtræ

Plura

Plura recenſebam, nil conſimile, & quod utrique
Competat, ambabus vel ſit commune, videbis.
Nempe ex materia noſtros exiſtere viſus,
Ipſoque omnigenos in lumine ineſſe colores,
Et varios cerni, prout hunc oppoſta vel illum
Corpora perſorbent radium, aut contacta reflectunt;
Unde oculis hærent certæ veſtigia formæ;
Ceu pes ſignat humum, ſpeculum ceu ſignat imago;
Credo libens. Quod enim dices lucisque colorisque
Omni de genere, hoc ipſum de corpore dices.
Sic odor atque ſapor, ſonus & calor undique noſtros
Afficiunt per cæca quidem corpuſcula ſenſus:
Omnia enim hæc motu, poſitura & verbere conſtant,
Atque figuratis mucronibus; unde tremiſcunt
Extima nervorum & cerebro tranſmittitur ictus.

Aſt aliud longe eſt, cum viſa, auditave, ſenſu
Aut delata alio, interiori lumine cernens
Percipit, explorat mens noſtra; & plurima judex
Conceptis etiam ſimulacris inſuper addit,
Ac de fonte ſuo, nullum ſpectantia corpus,
Nam neque criſpatas, neque cuſpidis inſtar acutas
Dixeris, aut teretes, aut cujuscunque figuræ,
Quas homines agitant ideas verique, bonique:
Nec varios inter motusve, ſitusve locabis
Virtutis ſtudium, vel libertatis amorem.
Sic quoque de nulla poteris cenſere figura,
Docta ignarane ſit; juſta anne injuſta; fidelis
Perfidane; & prudens, incauta, modeſta, ſuperba:
Nec talem, quemcumque ſitum motumve putabis.
Quam ſint hæc disjuncta, vides. Tamen hæc tria
tantum

Materiam comitantur, & in diverſa tributam
Corpora conſtituunt: partes agitantur, & inde
Quælibet exſurgens edit poſitura figuram.
Ergo figura, ſitusve aliquis, motusve foret mens,
Materiæ ſi mens appendix, aut modus eſſet.
Noſcere nec mentem poſſes ſinè dotibus illis;
Nec rurſum ſine mente illas cognoſcere dotes:
Nam talem certe docui legem eſſe modorum.
Quæ tibi quandoquidem manifeſte falſa videntur,
Materiæ ac mentis diverſas eſſe profecto
Naturas, atque hanc illi præſtare neceſſe eſt.

Jam, per ſe nullum genus obtinet ipſa modorum
Materies; nec ſe tali, aut tali ordine format:
Cum ſolo fieri poſſint hæc omnia motu,
Quem ſibimet dare nec valuit, nec fingere talem,
Pluribus ut ſupra cecini. Aſt aliunde creatum
Suſcipit, externo cauſæ impellentis ab ictu.
Cauſa igitur primum impellens, delectus & ipſe,
Quo fit ut hæc ſpecies motus, aut altera detur
Materiæ, ſpretis aliis, prævertere motum
Debuit, ac motu quidquid proceſſit ab illo;
Proinde ſitusque, modosque omnes, omnesque figuras.
Et quia materies ne puncto temporis uno
Stare quidem potuit, quin partes ordine ſaltem
Diſpoſitas aliquo, aut aliqua ſub imagine haberet,
Vel cum ſtaret adhuc tetrum chaos omnia miſcens;
Certe cauſa movens, quam mentem oſtendimus eſſe,
Materiam prævertit; & omni corpore differt,
Principium velut effecto differre neceſſum eſt.

Ergo ſupremam inter, qua mundi templa reguntur,
Atque hoc incluſam perituro in corpore mentem,
Differitas illa eſt, qua ſunt æterna creatis
Diſſita, ſumma imis; qua præſtant maxima parvis;
Et qua finito disjungitur infinitum.
Attamen ex noſtra, quæ ſit natura ſupremæ,
Perſpicies: etenim minor eſt majoris imago.
Adſpice ſuſpenſum ſublimi e fornice ſolem,
A prima juſſum naſcentis origine mundi,
Ætheris immenſi diffuſa per æquora, lucem
Subjectis quoquo verſus diſpergere terris:
Ille quidem ignivoma radios fornace liquentes
Vibrat inexhauſtus, vas admirabile: ſolis
Se tamen effigies quædam ſpectantibus offert
Cerea fax, tremula quam cernis luce micantem,
Dum luſtrat tenui loca circumſtantia flamma.
Sic etiam fugiens per florea gramina rivus,
Qui vitreo nitidos objurgat rore lapillos,
Quamvis pauper aquæ, magni tamen exhibet inſtar
Fluminis exiguum: ſic largas læta per arva
Volvens flumen aquas, parva eſt immanis imago
Oceani, vaſtum qui circumplectitur orbem,
Limitibus fundoque carens; quo præpete curſu
Fluviorum e variis regionibus agmina mille
Præcipitant, tot aquis nil vectigalibus auctus.

Forſitan oppones, in nobis fœdere tanto
Et mentem & corpus jungi, ut non poſſit utrumque
Diſcerni; proprio nimirum edoctus ab uſu,
Nil niſi per ſenſus ad mentem accedere noſtram:
Quos ubi ſopivit ſomnus, vel fervida febris

In-

Invertit, turbari animum, atque errare vagantem;
Sæpe etiam attonitum ſubito procumbere morbo:
Creſcere cum membris; pueriles exigere annos
Informem; ætatisque gradus conſcendere adultæ;
Poſthac matura viridem florere juventa;
Tum labefactari ſenio, & marceſcere rugis.
Inſuper, orbatos homines ratione videri,
Vel capite offenſo, vel ſic a matre creatos,
Omnis eos ut deficiat prudentia mentis,
Partibus in cerebri certus quia deficit ordo;
Imo ad naturam depreſſos uſque ferinam.
Ut, cum improviſo morſu per ſanguinis alveos
Tetra canum rabies hominem pervaſit, & imis
Viſceribus medioque infixit corde venenum:
Quid cane diſtat homo? Furor ambos abripit unus;
Mordendique fames, eademque inſania vexat.

His adeo exemplis rationum pondera, Quinti,
Extenuare ſoles. At ne penetralia rerum
Intrantem, & cauſas quærentem in fontibus ipſis,
Prima aditu facies abſterreat, aut levis aura
Deturbet, cœptos prohibens abſolvere curſus;
Obſerva mecum attentus, meditansque revolve,
Quid valeant, quid non, hæc argumenta Lucreti.
Oſtendunt una mentem cum corpore jungi;
Quis neget? Aſt unam mentisque & corporis eſſe
Naturam, non ſignificant. Ita quilibet arte
Strenuus Aonia citharam pulſare ſonantem
Mobilibus digitis, chordasque animare loquaces,
Et lenocinio blandi modulaminis aures
Demulcere tuas, cithara ſic pendet ab ipſa,

Non

Non ullos ut poſſit ea ſine promere cantus.
Nam ſi rupta ſilet, ſi qua temerata ruina eſt.
Si chordæ nimium tenſæ, nimiumve remiſſæ
Amiſere tonum, vel ſi una aut altera deſit;
Si caveam implerunt ſordes, hebetantque ſonorem;
Ecce manet citharœdus iners, fruſtraque peritus
Aut nihil aut pravum canit, & neſcire videtur.
Ergo artem Muſeam ipſa in teſtudine pones?
Ac tibi propterea res una putabitur eſſe
Organum & organicus? Talis fit copula porro
Corporis ac mentis: niſi quod deponere non quit
Adjunctum ſibi mens, nec ſponte reſumere corpus:
At dum vita manet nobis, hæc ſemper eidem,
Cui ſociata ſemel, ſociabitur inſtrumento.
Cætera conſimili penitus ratione geruntur.

Nam veluti quædam citharæ ſunt propria, quæ non
Organicum ſpectant; ut concamerata tabellis
Per commiſſuras laterum ſpecus, unde ſonando
Fit fremitus levis, & reſponſat textilis echo;
Nervorum pariter ſitus ac menſura, frequentes
Aut raros, celeres aut tardos, tempore eodem
Subſultus referunt: ex quo ſonus exit acutus,
Aut gravis. Hæc cantor non efficit, utitur illis.
Necnon ipſe quidem tenet in ſe multa viciſſim,
Quorum ut ſit compos, cithara non indiget ulla.
Nimirum eſt in eo modulandi parta facultas,
Atque omnis ratio harmoniæ: nam cuncta per artem
Et quæ conſona ſunt, & quæ ſunt diſſona novit:
Et nihil a citharæ nervis prodibit amœni,
Quod non per digitos transmiſſum emanet ab ipſo.

Atque

Atque ita ſuave melos pariter debetur utrique:
Et citharæ; quod det ſonitus, quicunque cientur;
Et modulatori præſertim; quod ſciat illos
Elicere, ac mutis animam velut indere chordis.
Haud ſecus in nobis addictam fœdere certo
Mens agitat molem, & moles reſpondet agenti.
Quippe ſuis inſtructa modis, rituque parata
Organico, non hanc animi de munere formam
Poſſidet; innato ſed vivit machina motu.
Sanguis it, atque redit: ſenſimque alimenta feruntur:
Ceu veget, augeſcitque arbos, nihil indiga mentis.
Sic ſua ſunt etiam, ſecluſo corpore, menti
Officia. Ut numeros quando ſine fine patentes
Colligit agglomerans; iterum multiplicat, auget,
Imparibusque pares confert; mox dividit illos
Æquas, non æquas in partes; atque ſecando,
Ut prius augendo, infinitum attingit utrinque.
At neque corpus habent numeri, nec ſenſibus ullis
Obſervantur. Item quamvis finita ſit ipſa
Æternum, immenſum, infinitum libera tentat,
Et perſcrutari, & percurrere ſæpius audet.
Sed neque corpus habent, nec ſenſibus obvia ſunt hæc.
Tutemet hocce tuum quoties tibi fingis inane,
Exuis ignorans quovis a corpore mentem;
Dumque negas incorpoream, ſimul eſſe fateris.
Quin ea, per ſenſus quæ ſunt allata, retractans,
Abſtrahit a rebus rerum genera omnia: ſentit,
Cauſa quid effecto, medium quid fine, modusque
Differat a re ipſa; quid corpore corporis illa
Notities, quam ſola poteſt vis edere mentis.

Unde,

Unde, ut corporeæ molis ſunt propria quædam
Officia in nobis, quæ non a mente profecta
Mechanices tantum normam legesque ſequuntur;
Sic ſua ſunt menti, quæ nil a corpore ſumunt.

Quanquam ergo fateor cognoſci plurima ſenſu,
Plurima ſunt etiam, quæ pura mente videntur,
Propterea quod nulla ſui ſimulachra profundant.
Quî pateat vi corporea res corporis expers?
Senſus enim rerum formas, molem atque colores
Percipit, ac ſonitus & odores atque ſapores,
Duritiemque ac mollitiem, tum frigora & æſtus,
Levorem, humorem, atque iſtis contraria: verum
Quot ſunt, quæ retuli, diſtantia prorſus ab illis?
Non igitur ſolo deprendimus omnia ſenſu.

At genus eſt medium quoddam, mixtumque duobus:
Ut cum totus homo guſtat, videt, ambulat, audit.
Nam partim hæc animo fiunt, & corpore partim;
Sic tamen, ut dominæ tum ſubſit machina menti:
Ceu lyra dulce ſonat docto pulſata magiſtro.
Fœderis argumentum in ſenſu eſt. Nam ſine mente
Nullus adeſt ſenſus, neque mens ſine corpore ſentit.
At quidquid ſenſu deprendimus, organa fruſtra
Deferrent illud, niſi res quædam intus adeſſet
Percipiens, quodcunque foris tranſmittitur ipſi:
Organa quandoquidem ſunt omnis inania ſenſus;
Ac reddunt externa, velut ſpiracula ventos,
Et ſpeculum effigies, & concava rudera vocem.
Non oculi cernunt; verum res illa paratis

Ad-

Adjuta auxiliis, oculorum & freta labore;
Quæ jubet huc oculos verti, qua parte videndum
Eſt aliquid. Pariter non auris verba loquentum,
Aut modulos; at res quæ præſidet auribus, audit.
De viſis, ac de auditis quæ judicat, illa eſt,
Et quæ audire poteſt ſola, & quæ ſola videre.
Articulos adeo tibi dum gravis obſtruit humor,
Calculus obductis habitat ſeu renibus hærens,
Non tibi pes, renesve dolent; dolet artubus ægris
Addita mens. Abſciſſa perit cui tibia nuper,
Non minus ille pedem nervo patiente putabit
Ægrotare, licet jam nullum; ac ſæpe doloris
In membro notum genus experietur inani.
Te quoque nunc tacite meditantem exordia mundi,
Aut gravibus curis defixum ſi quis inuret
Candenti ferro, vel acu pungente laceſſet,
Ocius abjiciens animo quæcunque tenebas,
Totus ad acre malum tu te convertis, & illuc
Mente tuis; quia res in te quæ cogitat, ipſa eſt
Quæ ſentit. Dum nauta fera quaſſante procella
Territus, undarum tumidos aſſurgere montes,
Et ſpumam ruere, & miſceri turbine pontum,
Et faciem cœli tenebroſam, & fulgura cernit
Undique diſruptis oblique percita nimbis;
Et ſubſidere navim, atque atro gurgite volvi;
Tum vim ventorum rabidam, pelagique furentis
Terribilem fremitum, & crepitantes fulminis ictus;
Vectorum interea clamores auribus haurit;
Huic ſimul & fauces ingratus torquet amaror;
Et nares vexat ſentinæ tetra mephitis:

Fri-

Frigore membra tremunt; mentem horrida mortis imago
Perturbat; nec ſpes animo tamen excidit omnis;
Molitur, ſi quis fracta rate prænatat aſſer
Obvius, auxilium miſero ſibi; voce precatur
Cœlicolas ſupplex, & votis flectere tentat;
Terram, terram orans, mare deteſtatus iniquum:
Adſpice quot varii rerum uno tempore ſenſus,
Unam commoveant agitato corpore mentem.

Nam res perpetitur quæ tot ſimul anxia motus,
Res ea quæ timet atque cupit, gaudetque doletque,
Quæ ſentit, varios & ſenſus comparat, una eſt
Ac ſimplex: ideo non conſtat partibus ullis.
Si fingatur enim multis e partibus eſſe,
Parvula quantumvis vel ſubtiliſſima fiat,
Officio pars quæque ſuo jam dedita, certe
Neſciat officium alterius, neque judicet inter
Senſus diverſos quis ſuavior; hæc neget, illa
Affirmet diſcors; velit una quod altera nolit:
Quamque ſuo nam jure frui arbitrioque neceſſe eſt.
Ut partes oculi non uno munere cunctas
Defungi certum eſt: radios nam colligit una,
Altera ſecernit: mentis ſic munia partes
Diverſæ diverſa, imo contraria obirent,
Libertate ſua pariter, ſeorſumque potitæ.
Cœtus erit; veluti formicarum abdita campo
Plebs habitat, varium inter ſe partita laborem:
Aut examen apum. Vel erit Reſpublica diſcors,
Motibus inſanis ac ſeditionibus ardens;
Et confundentur populoſæ munia mentis.

Vel concors ut ſit, quædam ſelecta tot inter
Particulas ſibi congeneres operumque miniſtras,
Sic princeps erit, ut cunctæ referantur ad illam,
Conſpirentque ſimul. Sed quæ Regina ſedebit?
Præter enim quam quod prorſus germana videtur
Mentibus his, quas Democrito exprobrare ſolebas:
Partibus eſt aliis conflata minoribus, æque
Ac famulæ, vulgusque atomorum in corpore degens.
Quæ pars imperio ſic nata videbitur una?
Quæ pars reginæ tandem regina futura eſt?
Quæ pars mentis erit vere mens? Heu, bone Quinti!
Fingere quam promtum! Rationem reddere ficti
Pro quam difficile eſt! Nonne hinc intelligis unum
Et ſimplex eſſe id, quod vult ac percipit? Ergo
Cum pars materiæ (meminiſti) nulla ſit una,
Nulla individua aut ſimplex; nullam eſſe neceſſe eſt,
Quæ cauſa quovis in mentem aſſurgere poſſit,
Aut per ſe ſola, aut aliis ſibi fœdere junctis.

Propterea clare ſenſu vel cernis ab ipſo
Mentem incorpoream, ſeu partibus eſſe carentem.
Inſuper ipſe vides a vero quam procul abſit,
Qui tenuem noſtro diffuſam corpore cenſet
Eſſe animam, nebulæ ſimilem penetrantis in artus,
Cui motus tantum ac ſenſus provincia detur,
At famulantem animo, ceu regi corporis uni,
Corporeo tamen, ac variis e partibus orto,
Atque gubernaclum regali ex arce tenenti.
Nempe tuus vates ipſe hæc ſibi ſomnia finxit.
Sunt quibus haud aliud noſtræ mens incola molis
Viſa fuit, niſi membrorum concentus, & ipſa

Cor-

Corporis harmonie, fibris concordibus apti.
Sed modus eſt hæc harmonie; quæ vita profecto
Jure poteſt, at non hominis mens ipſa vocari.
Non agit ille modus, non vult, non cogitat usquam.
Mens ergo res quædam una eſt, cum corpore juncta
Dividuo, ſed quæ ſine corpore vivere poſſit.

Quæ cum cuncta tibi fuerint perſpecta, repente
Percipies quid ſit, cur mens ſociata caducæ
Materiæ, in partem veniat perſæpe laborum;
Corpore & affecto ſimul afficiatur & ipſa:
Non tamen ex æquo. Siquidem lex fœderis illa eſt
Ut quoties corpus certa ratione movetur,
Tunc quoque certum aliquid mens cogitet: ac vice verſa,
Ut ſimul hoc illudve ſuo mens cogitat auſu,
Continuo quidam ſuccreſcat corpore motus.
Ac velut omnimodis credas duo corpora jungi,
Talia cum fuerint inter ſe ſemper, ut horum
Alterum ab alterius motu moveatur eodem;
Atque duas pariter mentes, ſi quidquid ab hacce
Apprenſum eſt, ſimul hoc etiam apprendatur ab illa;
Sic mentem & corpus, quanquam eſt aliena viciſſim
Amborum natura, atque inſociabilis omni
Conjugio (ſolis niſi legibus omnipotentis)
Conciliata putes, hæc ſaltem ad tempora vitæ,
Motibus ut certis terrena in mole ſubortis,
Certæ reſponſent ideæ, docilesque ſequantur.

Propterea mirum non eſt, ſi partibus ægris
Aut ſomno preſſis, aut quavis denique cauſa

Turbatis, cerebro præſertim, ubi cuditur ingens
Agmen ſpirituum, & quævis celatur imago,
Sæpe aut nulla intro rerum ſimulacra ferantur:
Aut veniant lacerata modis, inverſaque miris;
Aut varia, aut ipſis etiam contraria rebus:
Unde furor, ſtupor & deliria prava ſequuntur.
Donec enim premitur cæco mens carcere clauſa,
Carceris has leges, æternaque fœdera ſervat;
Et dolet, & gaudet, prout hoc compactile corpus
Suavia titillant nonnunquam, aut aſpera lædunt:
Sic tamen, ut ſtupidæ; quæ motus excipit illos,
Materiæ, tanquam ligno, ſilici atque metallo
Lætitiæ ſenſus non ſit, ſenſuſve doloris.
Atque ubi frigida mors exſtinxit flammea vitæ
Semina, cœleſtiſque evanuit halitus auræ,
Deſinit hic agere, & ſurdos mens exuit artus.
Ipſa tamen conſtans manet, irreſoluta, ſuperſtes:
Cum nequeat per ſe, aut naturæ viribus ullis,
Quod ſine partibus eſt individuumque, reſolvi.

Haud igitur creſcit pueris, quibus organa creſcunt.
Nam quanta eſſe poteſt, vel prima ab origine tanta eſt.
Quod ſi tum vix ulla ſui argumenta videtur
Exſerere, ac molli potius torpere veterno,
Quid faciat rudis immaturo corpore? Nondum
Collectæ cerebro ſpecies, quæ deinde movebunt
Nunc inopem: nondum, quod lapſo tempore fiet,
Rebus ab objectis idearum excita ſupellex.
Jam tamen affectus quædam veſtigia prodit,
Dum vagit, ridet, quatitur ploratibus infans.
Cum fuerit porro perfecta virilibus annis

Machina; cum cerebri fibris erit optimus ordo;
Et memorem gazam rerum experientia tandem
Implerit; ſubito noſcetur quid valeat mens
Talibus auxiliis. Si deficientibus hæret,
Strenuus ac fortis neque dux ſine milite vincat;
Nec ſola pugnet miles virtute ſine armis;
Nec radio ſine ſetigero depingat Apelles.
At cum ſit paucos inſtructum corpus ad annos,
Provecta ſenſim labefactum ætate fatiſcit:
Ut rheda, ut veſtis longo corrumpitur uſu;
Et ratis aſſidue caſus experta marinos.
Denſior it ſanguis, concreſcit vappidus humor,
Dureſcunt fibræ, flacceſcunt denique nervi,
Cor titubat, nec jam radiat vitalibus auris
Theſaurus capiti concreditus; oſſa rigeſcunt,
Fit pedibus manibusque tremor, grave pectus anhelat,
Caligant oculi; ſonitus male ſuſcipit auris;
Deficiunt vires; vox ægre faucibus exit;
Albeſcunt crines; rugatur marcida pellis.
Tunc vitio primæ ceu debilitatis hebeſcit
Machina: fitque ſenex iterum puer. Unde neceſſe eſt
Huic ſemel addictam rurſum pueraſcere mentem:
Non per ſe; verum quia paulatim organa ceſſant,
At ſi, ut corporeis rebus tangatur, & extra
Se poſitis (quod ſola ſibi permiſſa nequiret)
Indiget adjuncti comitatu corporis; illo
Non eget, ut ſe ſe privataque commoda noſſit,
Pertimeatque malum, & ſemper velit eſſe beata.

Protinus hic autem, non eſt mihi cognita, dices,
Materiæ natura ſatis comprenſaque virtus,

Ut circumſcribam verbis, quid poſſit apiſci,
Quid nequeat. Quis enim tantum ſibi ſumat, ut ipſe
Cum ſe ſe ignoret, ſingillatimque per omnia
Incerto ſoleat titubans prorepere greſſu,
Anteferatque manum, & baculo quaſi ſingula tangat,
Collidi in tenebris metuens, aut luce maligna;
Fundamenta tamen rerum omnium, & ultima quæque
Viſa ſibi velit obtutu penetralia firmo?
Quidni materies, cui dotem adſcribimus unam,
Ut triplici protenſa modo concreverit, hanc vim
Poſſideat quoque, uti velit atque intelligat? Unde
Corruerent ſubito geminæ diſcrimina partis,
Qua compactum hominem facimus, duplicemque
putamus.
Forſan materiæ ratio primaria non eſt,
Aut per ſe extendi, aut per ſe cognoſcere; verum
His aliquid majus, natura videlicet ipſa,
Ex qua utrumque fluit: ceu bini ex arbore rami
Diſpariles, una tamen a radice profecti:
Namque hæc Spinoſæ fuerat ſententia nuper.
Quis tunc materia poterit ſecludere mentem;
Altera dos quamvis a mente extenſio diſtet?
Nam ſonus ac lumen diſtant; & corporis ambo
Sunt eventa, neque a natura corporis abſunt.
Haud ſecus inter ſe diſtant color atque figura;
Sed globus eſſe poteſt idem niger atque rotundus.
Ergo materiæ modus excellentior eſſet
Cognitio: perfecta magis, cum ſcilicet illi
Organa ſuppeterent forſan meliora; minuſve,
Organa cum fabricæ forſan pejoris adeſſent.

Mirari ſatis hic nequeo, quis tetricus horror,
Deſpectusque ſui, quæ mortis prava libido
Lymphatas hominum mentes inceſſerit, ut ſe,
Corpore mortales cum ſint natique ſepulcro,
Mortales animo eſſe velint penitusque caducos?
Tantus amor nihili! Tanta eſt vecordia! Solum hoc
Permetuunt cæci, ne mens compage ſoluta
Duret adhuc nimium vivax, buſtoque ſuperſtes
Evolet: hoc cupiunt unum, ut cum corpore vitam
Ponat, & in ventos tenuis velut aura recedat.
Ah! te ne ſubeat, Quinti, tam dira cupido!
Verum infixa prius quia te ſententia turbat,
Haud tibi deſuero, quin hoc caligine plenum
Abſtulerim velum ex oculis, noctemque fugarim.
Audi quæ moneo paucis, iterumque reſumo.

Quidquid naturæ eſt, ac vere conſtituit rem,
Hoc ſine res non eſſe poteſt, aut mente videri.
Haud aliter nobis rerum natura pateſcit.
Quam ſi non ſequimur normam, pervertimus ipſi
Rerum ideas omnes, & aquæ confundimus ignem:
Tum procul eſt ratio, & ſermonis deſinit uſus.
Qui vero modus eſt, ut adeſſe, ita abeſſe viciſſim
Usque poteſt; res eſſe valet cernique ſine illo:
Sed ſine re non eſſe poteſt, aut mente videri.
Abſque modis intelligitur res ipſa: ſine illa
Non intelligitur modus. Ut ſi forte figuram
Contemplere animo, qualis tibi cunque putetur;
Ecce figuratæ præbet ſe molis imago.
Sic non concipitur motus, quin mota repente
Res animo ſubeat; mixturæ nec genus ullum,

Quin obverſentur poſitæ quodam ordine partes;
Cumque modos, ut fert hominis perſæpe voluntas,
Natura rerum abſtracta, diſcernimus ipſos:
Sic illos mente abſtrahimus, tamen ut ſimul adſit
Notities manifeſta rei, ſuſpenſaque tantum,
Cujus hic eſt modus, & ſine qua modus eſſe nequiret.

Iam fortaſſe rogas, quanquam nimis immenor, utrum
Extendi ſit materiæ natura, moduſne?
Quid dubitas? Quod quæris habes. Age, conſule normam.
Scilicet hoc fieri nequaquam poſſe probatum eſt,
Ut quis materiem, quantumvis abſtrahere audax,
Ingenii ſummo pertentet acumine, quin rem
Cogitet extenſam, aut conſtantem partibus extra
Se poſitis. In ea prius eſt nihil. Inde ſequuntur
Omnia. Materiæ non ergo e dotibus una eſt,
Non modus aut ramus quidam; natura ſed ipſa
Extendi. Atque adeo ſi mens dos eſſe putetur
Materiæ, dos extenſi eſt, ramusque modusque.
Propterea quoties mentem meditaris, oportet
Se tibi res quædam meditanti extenſa repente
Offerat: ut ramus truncum arguit, atque modus rem.
Verum conſcius eſt hominum unusquisque profecto
Ipſe ſibi, propriæ dum luſtrat ſingula mentis
Officia, & quærit quid ſint, quove ordine fiant,
Extenſi nihil obverſari. Scire laboro,
Ac meditor tacitus, quænam ſit primula rerum
Agnitio; quid judicium; quid roboris inſit
Omni argumento, qua vi pervincere poſſit,

Ac

Ac domitare animum,& trahere in ſua jura volentem?
Immemor extenſi confeſtim hæc omnia præſto.
Nunc dubiam certa, & falſa diſcernere veram
Notitiem cupio; quia ſe ratione viciſſim
Impugnent; quid opinari, quid credere, ſcire,
Sint in ſe; quid ſint etiam affirmare, negare?
Dividuum procul eſt a me, penituſque receſſit.

Praeterea quid ſit, quod amet ſe ſe ipſa voluntas
Præcipue ac ſemper, quod ſe ſe ante omnia ponat,
Et felix velit eſſe: quid hoc quoque deinde ſit, eſſe
Felicem aut miſerum, & fieri, ſe judice, talem:
Unde quis invideat; laudem venetur; honores
Ambiat; imperium affectet; parere recuſet,
Aut indignetur; contemtum, oblivia, probra,
Morte ſibi pejora putet; ſine nomine vitam
Vitalem neget eſſe; auræ captator, & ardens
Sera immortalem jaculari in ſæcula famam:
Quid ſit ab incœpto nunquam deſiſtere velle;
Judiciis aliena ſuis poſtponere; pravum,
Mendacem fieri, deceptorem, atque malignum;
Aſſentatores præ veris ponere amicis:
Hæc ego dum reputans, & me contractus in ipſum,
Heracliti oculis lugens conſidero, nulla
Corporis extenſi feriunt veſtigia mentem.
Scilicet arguitur propriis erroribus ipſa
Nobilitas animi. Cernis, dulciſſime Quinti,
Et mentem noſtram, & noſtræ molimina mentis,
Extenſi non eſſe modos; omnique vacare
Materia: ſine qua cognoſcier illa fatendum.
Ergo materiæ virtus primaria non eſt,

Ut ſimul extendi, ſimul et cognoſcere poſſit;
Qualem hæc monſtra putant, infenſa Deoque ſibique.
Nec, veluti ſonus ac lumen, color atque figura;
Aut gemini ex vna venientes arbore rami,
Extenſi ratio, atque animi vis ipſa putentur;
Sed quaſi naturæ duplices pugnare viciſſim
Dotibus adverſis: quarum altera ſemper agatur,
Altera ſemper agat; labentibus altera conſtet
Particulis, habeat nullas in ſe altera partes.

Sunt in Materia nobis impervia ſane
Plurima, quæque aciem mentis, qua cuncta tueri
Conamur, fugiant. Etenim finita poteſtas
Ingenii, non aſſequitur quæcunque per omnes
Materiæ nexus et vincula particularum,
Confieri poſſunt: quare in caligine denſa
Progredimur ſæpe; ac veluti nictamur in vmbris.
At ſi, cuique rei quæ dotes funditus inſunt,
Haud ſcimus plerumque, licet cognoſcere ſaltem
Queis careat. Nos forte latent primordia flammæ:
Aſt ea compertum eſt aqueis diſtare figura;
Inque figurarum ſolo diſcrimine poni,
Quidquid aquæ aut ignis proprium eſt. Miracula nondum
Omnia magnetis perſpeximus: at mihi certum eſt
Magnetem non eſſe animal; nec amoris ab æſtu
Ferratas trahere ac ſecum vincire catenas.
Cur & ab Arctoo declinet cardine mundi
Solis ad occaſum, mox & converſus ad ortum
Paulisper, res eſt etiamnum ignota; ſed illud
Materiæ ſubtilis opus toto orbe fluentis,

Et

Et non ventorum ſcimus. Quadrare rotundum
Nemo poteſt: at quadratum differre rotundo,
Id norunt omnes, quidque ex utroque ſequatur.
Sic a materia mentem ſejungimus; etſi
Non omnes liquido vires utriusque pateſcant.

Adde, quod has etiam diſcrimen ſegregat ingens;
Libertas. Etenim conſtantes omnia ferri
Corpora per motus, æternæ ſubdita legi
Perpetuæ, propria ſine cognitione, fatetur
Quilibet. Aſt homini nota eſt ſua cuique poteſtas,
Aut nihil aut aliquid, ſive hoc ſive illud agendi.
Ecquis enim quoties ſecum deliberat anceps
Quid faciat; vel conſilium ſolertis amici
Flagitat, ac tandem quid ſit facturus apud ſe
Decernit; quis dum rogat, aut hortatur & urget:
Dum laudat bene geſta virûm, male geſta ſeverus
Arguit, ac meliora jubet; dum præmia ponit,
Et pœnas meritis; ſi quid peccaverit ipſe,
Excuſare palam, ne quæſtus audiat, & clam
Emendare parat, quia facti cura remordet,
Neglecti-ve pudor; dum cuncta negotia curat,
Fungitur officiis, morum ſibi juſta, ſuisque
Dogmata conſtituit; quis demum talia praeſtans
Non libertatem ſe perſentire, fruique
Jure ſui arbitrii, non externa domitum vi
Teſtatur; vereque probat? Nec publicus error
In genere hoc hominum eſſe poteſt: conſenſus, & una
Cunctorum vitæ ratio; ſed conſcia veri
Lux & Naturæ radius. Quippe omnia fruſtra
Hæc, atque inſulſe fierent, ſi compede dura

Vin-

Vinctus homo, ac præceps ageretur: ut acta moveri
Materies, qua parte impulſa eſt, cogitur omnis.
Sic neque præclaris formandi legibus eſſent
Conventus populorum; aliqua nec civibus arte
Inſpirandus amor patriæ, flectendaque corda
In commune bonum. Magni gens fluminis inſtar
Quæque foret; quod non monitis, precibusve, mi-
niſve
Vincitur; aſt humiles inſano vortice ripas
Exſuperat, latiſque audet ſe effundere campis,
Proximaque injectis vaſtare paludibus arva:
Nequicquam aggeribus tentant frænare rebellem,
Indocileſque jubent alveo ſe condere fluctus.
Nec diſciplinis etiam exercenda Juventus
Præceptiſque bonis; at vitis more colenda,
Arboris aut teneræ, paries quam pandit apricus.
Nam lecto plantata ſolo, tantumque reſecta
Luxurie foliorum, ipſa vi denique Solis
Ac terræ creſcit; fauſtique a munere cœli
Neſcia, progenerat fructus ramoſque valentes.

Ecquid enim ratio ſine libertate juvaret?
Cernere quid prodeſt, quæ conveniuntve nocentve,
Si non illa ſequi, non hæc fugitare viciſſim
Noſtri iuris erit? Tunc in mortalibus ægris
Mens torperet iners, penderet vana ſupellex:
Quippe ubi ſe multis deprenſum quiſque periclis
Senſerit, inque ſua poſitam virtute ſalutem,
Anxius inquiret quid agendum, animoque ſagaci
Verſabit, quo ſe molimine protinus illinc
Eripiat: ſed ſi vis inſuperabilis illum

Præ-

Præcipitat, vanis genium cruciatibus angit:
Hoc ipſo infelix, quod prudens; atque medelam
In ſe ſe putet eſſe malis, ubi nulla medela eſt.
Vana etenim, quæ nil penitus prudentia poſſit.
Inde omnis pariter ſapientum gloria falſa,
Magnanimûm heroum virtus, regumque bonorum;
Nec laudabilior, quam corporis inclyta forma,
Sive decor vultus, aut florens viribus ætas.
Atque adeo eſt homini rationis inutile pondus,
Imo ærumnoſum, atque animis quaſi ſarcina noſtris.

Qui libertatem præcelſaque jura negarit
Mobilis arbitrii, quo præmia quærere factis
Poſſit, & hoc ævo quondam felicius ævum;
Ille ſibi anteferat vecors & ſecla ferarum,
Quas natura parens movet ac regit impete cæco;
Et ſua vivendo vincentes tempora plantas,
Marmoraque & gremio terræ formata metalla.
Namque geruntur uti par eſt, ignara profecto
Quid ſit opus deceatve, ſui nec habentia curam:
Irrita dum nobis, & ſollicitudinis ægræ
Infelix mater, ratio eſt; dum vita labore
Perpetuo detrita, heu! paucis occidit annis.

Senſit, & haud dubitat tuus ipſe Poëta fateri
Libertate animos hominum præcellere; quamvis
Damnaret leto: quare per inane cadentes
Ridiculo demens atomos clinamine torſit.
Irriſi ſatis. At per ſe cum libera poni
Materiæ pars nulla queat, mirabile dictu eſt,
Quî mentes e materia conflaverit una,

Nec,

Nec, quæ miſceret pugnantia, viderit uſquam.
At mirabilius, quod, cum immortale per ævum
Conſtantes faceret compacto e corpore Divos,
Atque hominum forma ſed limpidiore micantes,
Humanas item Libitinæ ſub juga mentes
Miſerit, impatiens propriæ poſt funera vitæ.
Sed quanti modico perituram tempore mentem
Ille facit? certe mens eſt viliſſima rerum,
Finibus anguſtis hujus ſi clauditur ævi,
Et moritur ſimul ac renuit decurrere ſanguis.
Nummus Alexandri longe præſtantior ipſo:
Ille etenim, ceu flamma volans, conterruit orbem,
Ac periit; cineres & nomen inane relinquens;
Illius effigies etiamnum viva ſuperſtat,
Nec teritur manibus tractantûm, & ſecula vincit.

Procumbis tanto rationum pondere fractus.
Gratulor ipſe mihi, nec non tibi. Cernere verum,
Viciſſe eſt. At enim quæris, mens corporis expers
Cum ſit per ſe ſe, ſociali corpore claudi
Qui valet, extenſis & partibus indere motum?
Naturas tam diſpariles quæ copula jungit?
Nam ſi corporea eſt, nequit ipſam apprendere mentem;
Si ſecus, haud ipſum potis eſt apprendere corpus.
Huc jam appelle animum, totis huc auribus adſis,
Et faveas: neque vana tibi hæc ſpectacula ſunto.
His te adducebam, natura ut mentis aperta,
In nobis manifeſta Dei argumenta videres.
Maxima res agitur. Quæ ſcilicet ante probavi,
Ni fallor, tria ſunt. Et corpora mente moveri,

Hoc

Hoc primum. Dein corporeis non partibus eſſe
Conflatas hominum mentes; adeoque reſolvi
Natura non poſſe ſua, ſed vivere ſemper.
Poſtremo, quæcunque jubet peragitque voluntas,
Hæc fieri plena cum libertate; nec ullo
Materiæ nexu, aut fato impendente coactas,
In quod agunt, at ſponte ſua prorumpere mentes.
Propterea, dum corpus habent atque organa ſenſus,
Mercedem factis, aut pœnam poſſe mereri;
Et poſt exactos vitæ hujus labilis annos,
Immortale dari juſtis ac ſontibus ævum.
Nec tamen e dictis ſolum hæc tria ducere fas eſt:
At quæ principio tantum libaſſe decebat,
Illa recognoſcas mecum, atque libentius audi.

Scilicet ignorat mihi mens, ſibi credita qualis
Machina ſit; quanta momentorum arte regatur;
Quam varie compacta, & miro condita textu:
Attamen impellit cum vult, agitatque movendo
Compagem; ac ſubito flectit, prout imperat, artus.
Quod moveat, planum eſt cauſam prodire movendi
Mentis ab imperio: verum id quod neſcia præſtet,
(Neſcia non motus, quem præcipit ipſa, ſed artis
Qua fit & elicitur.) liquido demonſtrat adeſſe
Cauſam, quæ regit effectrix; cui ſingula clare,
Quæ mihi ſunt ignota, patent; cujusque voluntas
Adſpirare meæ non deſinit; & valet illos,
Cum jubeo, motus quibus eſt opus, indere membris.
Ecquis enim Orator facturus verba repente
Cogitat, aut qua vi pulmonibus aëra jactet
Expreſſum, ut pulſo reſonantem gutture reddat,

Quem

Quem ſpirare ſilens, & mutum halare ſolebat?
Aut queis diſponenda modis ſit dædala lingua,
Lingua figuratrix verborum, opifexque loquelæ;
Dentibus ut fractam vocem, illiſamve palato
Terminet inflexu, ac fingens moderetur euntem;
Naribus & labris formandam ſæpe relinquat:
Quoſque, id fiat uti, ſit opus contendere nervos;
Quin taceat, ſi tanta prius molimina ſecum
Debuerit verſare animo, quam tollere vocem.

Currere fert animus; curro: ſed quid ſit agendum
Interius, velox ut curram, neſcio prorſus.
Aſt alia ratione tamen mihi membra moventur
Currenti, quam ſi ſedate incedere vellem:
Sed quæ vis motum acceleret reprimatve, neque unquam
Hoc didici, nec me ſperavi diſcere poſſe.
Ignoro penitus, teque ignorare fateris,
Quantum animæ, quot particulas, per quoſve canales,
Et quibus e cellis, & quo moderamine mitti
Expediat. Satis eſt ad nutum ſtare paratam
Materiem; atque ſuo, quantum in ſe eſt, munere fungi.
Cum volo, cum jubeo, mihi ſubdita machina paret:
Nec ſcit quid jubeam; neque ego, qui juſſa faceſſat.
Sic, ubi res aliquas meditari forte lubebit,
Præſto ſunt optata mihi ſimulacra; videndum
Se facilis præbet, ſubitoque arceſſitur orbis.
Conſpicio ſimul & cœli fulgentia templa,
Et maria, & populos, urbeſque & viſcera terræ.
Qualis, uti perhibent, herbis & carmine diro
Saga potens Erebo pallentes evocat umbras:

Con-

Conveniunt manes, ſpectacula vana, rogantis
Ante oculos; nec ſe magicis ſubducere poſſunt
Artibus: uſque adeo juſſus venerantur aniles.
At mihi cum pariter mundi totius imago
Protinus obvia fit, nec quæ ſit tanta poteſtas
In cerebro, nec qua cerebri regione creentur,
Quove modo ſpectra hæc, novi; nec pingere poſſim
Ipſe manu, nec tota oculis percurrere vita
Tot rerum ſpecies, intus quas cernere promtum eſt.

Tuque etiam, cum te ipſe moves, tunc mentis easdem
Expertus tenebras ignota jubentis, idemque
Corporis obſequium, pariter maiore juvaris
A cauſa; quæ ſuppeditat quod nec dare poſſes
Ipſe tibi, juſſusque tuos, tuaque organa callet,
Succurrens inopi; viresque ac robora præſtat.
Atque ita, cum magna circumſpectante corona,
Saltando volucresque pedes & brachia jactas
In numerum, ſequerisque modos & plectra canentis,
Tunc tua multivagos motus, agilesque choreas
Attente moderans multa mens arte gubernat:
Quod tamen interius geritur, dum dirigis artus,
Et luſus arcana tui miracula neſcis:
Exerces ſummo domitum tibi Numine corpus.

Mens igitur cunctis præſit communis oportet;
Corporis arcanos quæ poſſit adire receſſus,
Et latebras animæ, facilique impellere niſu
Quidquid erit promtum ad nutus, & rite paratum;
Ut ſimul optati poſſint erumpere motus.
Illius efficere eſt, noſtra eſt optare facultas.

Talia ſi vero præſensque potensque requirunt
Numinis auxilium, credes nil numine egere,
Quæ nobis etiam nec percipientibus, imo
Sæpius invitis, hoc noſtro in corpore fiunt;
Queis tamen & finis ſuus eſt & provida cauſa?
Hoc numen, Quinti, mentem cum corpore junxit,
Quæ nulla per ſe poterant ratione ligari:
Fœderis et ſequimur leges, quas fœderis auctor
Inſtituit; geminis hominem conſtare jubendo
Naturis: ut mens per ſe diſcernere verum,
Per ſenſus res corporeas apprendere poſſet,
Et capite ex utroque ſuum mundique parentem.
Nam quis non videat, finitæ ſi breve corpus
Subjicitur menti, mens quanta ſit illa, ſupremo
Quæ regit arbitrio vaſtum quem condidit orbem?
Non poterit ſine conſilio tam parva moveri
Machina, tam fragilis; te judice, tanta regetur
Mentis inops! Credant Epicuri de grege porci.

ANTI-LUCRETIUS,

SIVE

DE DEO ET NATURA

LIBRI NOVEM

AD QUINTIUM.

LIBER SEXTUS.

ARGUMENTUM.

Jam avulſis Epicureæ doctrinæ radicibus, & mentis humanæ nobilitate vindicata, in hoc Libro delabitur ad Belluas; ac probandum ſuſcipit, anima ſive careant, ſive valeant belluæ, nihil inde aut menti humanæ aut Deo detrahi: a v. 1. ad v. 27.

Proponit id quod ab incredulis objicitur; belluas anima noſtræ ſimili præditas eſſe, quod variis ferinæ induſtriæ exemplis illuſtratur; belluarum autem animas e materia conſtare, ergo & noſtras: a v. 27. ad v. 303.

Reſpondet hoc dilemmate, animam brutorum aut nullam eſſe, aut incorpoream: utrumlibet affirmari poſſe, ſalva mentis humanæ dignitate; a v. 303. ad v. 344.

1. *Oſtendit dubia ſaltem eſſe argumenta, quibus brutorum; certa, quibus hominum anima defenditur. Tum per hypotheſim Carteſii doctrinam de belluis opponit, & ab exemplis, more adverſariorum, decertare parat:* a v. 344. ad v. 409.

Probat ab abſurdo non magis belluis animam concedendam eſſe, quam plantis plurimis ac foſſilibus: a v. 409. ad v. 608.

Motus animalium omnes mechanice fieri poſſe indicat; ex mirabilibus brutorum factis inferri debere, non ſuam feris ineſſe mentem, ſed mentem aliquam adeſſe: a v. 608. ad v. 767.

Belluarum motus ex eadem cauſa naſci poſſe, ac motus noſtros ſpontaneos, ad quos nihil niſi velle afferimus: a v. 767. ad v. 826.

Ex immutabili in belluis vivendi tenore, arguit ipſas carere delectu; ex pluribus vero exemplis, ipſis non inhærere mentem, ſed præeſſe: a v. 826. ad v. 947.

2. *Si mens belluis attribuatur, illam, cujuscunque ſit ordinis, incorpoream fore, ac noſtræ ſimilem; imo perfectiſſimam.* Hic contra *adverſarios retorquet exempla plurima ſolertiæ animalium; quibus evincitur, mentem humana præſtantiorem belluis conſulere:* a v. 947. ad v. 1142.

Inſtinctus vulgare nomen, velut inane profligat: a v. 1142. ad v. 1255.

Mirabilibus brutorum geſtis mentem illis externam argui: ab operum humanorum induſtria probat, quanto major eſſe poſſit divini artificii ſolertia. Solvit id, quod objicitur, inutilia fore brutis ſenſuum organa, ſi ſenſu bruta careant: a v. 1255. ad v. 1357.

Concludit, nihil aliud ex tanto brutorum artificio inferri poſſe, niſi mentem eſſe ſummam; hic exhibet miram ſtructuram alitum, piſcium, quadrupedum; animalia caſu procreata non eſſe; ac proinde Deum eſſe auctorem belluarum, ſive ſenſu careant, ſive ſenſu prædita ſint: a v. 1357. ad finem.

DE BELLUIS.

Nempe novo cultu campum domiturus arator,
Protinus agreſti non credit ſemina fundo:
Sed prius hirſutos vepres, dumetaque paſſim
Diruit avellens; tum crebro vomere frangit
Indocilem glebam, & raſtris contundere tentat.
Sic ego paulatim, ſpinas tua pectora circum
Enatas, argumentis exſcindere conor;
Ne ſegetem emittant vivaci e ſtirpe nocivam;
Ac vetus intacta radice repullulet error.
Tunc meliore ſolo conſurgent ſemina veri.
Tunc & ſinceros tibi cognita pandere vultus
Incipiet, vindexque ſui natura parentis,
Decutiet fucum, quo gens incredula pinxit
Invitam, & clare dominum confeſſa loquetur.

Humanam idcirco, quæ nobis intima, mentem
Ante oculos poſui; quiddam ut conſiſtere ſcires,
Materiem ſupra, quod eam regat. Inde probatum eſt,
Mentem illam effigiem mentis tantum eſſe ſupremæ;

Quæ moveat mundi partes, & ſimplice nutu,
Invalidam per ſe ac per ſe motoris egentem
Materiam, formas convertere poſſit in omnes.
Jam tibi nota tuæ patet excellentia mentis,
Quam deturparat maleſuado carmine vates,
Indignans in ſe quidquam haud mortale putari,
Inviſumque ipſa fugiens in imagine numen.
Sed cupit ille mori fruſtra, cui vivere fatum eſt.

At vero te bruta movent; quæ tota reſolvi
Cum pereunt, nec materia quid majus habere
Et canis, & poſſum, vel ſi lubet, ipſe fateri.
Hæc itaque objectas fidens, ac ſæpe reponis,
Eſſe illis animam noſtræ ſimilemve, parumve
Diſſimilem; per quam ſi non ſublimia rerum
Scrutari, tamen hæc valeant cognoſcere ſaltem,
Quæ ſibi conveniunt, generique & idonea vitæ.
Quippe recordari, ſentire, audire, videre,
Olfactu, guſtu, res & ſecernere tactu,
Et fugere atque ſequi cernuntur, & artibus uti;
Internoſſe ſuis etiam medicamina morbis,
Et varias inter legere hanc, quæ proderit, herbam:
Inde voluptatis ſenſu pariterque doloris,
Lætitia & luctu, ſpe vel formidine tangi;
Sic & amore & amicitia, ſtimulisque viciſſim
Irarum atque odii: varioque cupidinis æſtu
Currere ad illecebras; ultroque ac ſponte moveri;
Inſuper & morem gerere & manſueſcere cultu;
Blanditiis delectari, & parere flagello.

Hinc aliquas vitiis, aliquas virtutibus olim
Inſignes dixere feras; hominique fuiſſe

Pri-

Primitus exemplo, atque opera ad complura magiſtras:
Ut canis occultum ſylvis deprendere damam
Nare ſagax, & odora ſequi veſtigia prædæ,
Venari docuit. Super hoc miracula narras;
Quo deſiderio, qua ſollicitudine raptus
Amiſſum perquirat herum, tandemque reperto
Geſtiat exſultans; cuſtos quam fidus & audax
Credita terrifico latratu limina ſervet;
Arceat a ſtabulis furesque luposque rapaces;
Atque vagas prudens reddat præſepibus agnas:
Tum comes ipſe viæ, quoties benefacta rependens
Aggredientem armis irruperit acer in hoſtem;
Aut occiſorem morſu patefecerit ultor.
Nam cur diſſimulem vulgo quæcunque feruntur?
Forte etiam inſidias vulpes, artemque latendi,
Perque canaliculos fodiendæ ſubtus arenæ
Monſtravit, fecitque viam ad quærenda metalla;
Unde homines docti cœperunt viſcera terræ
Rimari, exciſosque manu ſubvertere montes.
Et, nimis ah! niſi nos odiis acuiſſet ad arma
Ipſe furor, ſtragem violens lupus atque ruinam,
Magnanimusque leo docuiſſe prælia belli.
Proſilit ad prædam rapidus leo, Cæſar ad orbis
Imperium: finis, fateor, diverſus utrique;
At non diſſimiles pugnæ; labor unus & idem,
Quo cœnam fera, quo regnum ſibi comparat heros.
Et quid non elephas, quid mimo ſimia geſtu
Non præſtat; vafra & feles; ſaltator & urſus?
Lucifuga enutrit truncatos noctua mures,
Ne fugiant; prædamque ſibi gnatisque ſaginat.

Paxillos in aquam primus defigere Caſtor
Inſtituit, laribusque inimicum avertere flumen,
Et ligna intrito atque intritum jungere lignis;
Arboris exciſæ trunco mandare cavato
Invalidos fœtus; & pro temone relicti
Summa tenens rami, ſtagnis deducere lembum.
Sic paleis limoque caſas firmare madentes,
Nidificans alte, prænuntia veris, hirundo.
Nec minus impatiens hiemis gelidæque pruinæ,
Quæ comes huic migrare ſolet philomela quotannis,
Auribus ingeminans noſtris mirabile carmen,
Impulit humanas apta ad modulamina voces.
Callida quin etiam dum tendit aranea laxos
In foribus caſſes, internectitque ſagenam,
Retibus & piſces & aves captare doloſis
Admonuit: telas eadem, vel texere pannos,
Cum trabibus ſaxisve ſedens, & fornice tecta
Stamineo, laqueos fundavit utrinque tenaces,
Ac ſtipata premens ſtrinxit ſine pectine fila.

Cætera quid referam? Quanto formica labori
Menſibus incumbat calidis, tectoque recondat
Provida congeſtas hiberna in pabula meſſes;
Erudiens mortale genus, tardamque pigrorum
Deſidiem increpitans hebetemque ad munia ſenſum?
Cernis, ut uvidulos libans apis aurea flores
Decerpit lentum humorem, & ſalſugine dulci
Telluris medicatum adipem, pretioſaque cœli
Munera, purpureis ſparſim gemmantia mappis;
Et rorem exſugit, quem concoxere tepentes
Primitiæ radiorum, & blanda exordia lucis.

Inde

Inde domum revolat ſpoliis fragrantibus uda,
Serpylloque thymoque gravis, prædaque ſuperbit.
Tum lectas partitur opes; ſexangula primum
Horrea ductilibus ceris, cratesque favorum
Per forulos & cancellos quincunce polita
Ædificans. Credas muſivum opus, ordine comtum
Dædaleo; Euclidisque omnes didiciſſe figuras,
Fabrilesque diu docilem excurriſſe per artes:
Sic ad libellam concinne, ſic ad amuſſim
Cuncta; cavis adeo vaginis limpida forma eſt
Et nitor; ingeniumque & mira induſtria lucent.
His tandem dites epulas, præſaga futuri,
Condere amat: cum triſtis hiems nudaverit orbem,
Omniaque ingrata torpedine capta jacebunt,
Melle ſuo tacitos inter ſaturanda penates.
Præterea, ſi quæ latebris peraguntur in illis
Inveſtigare eſt, quot erunt memoranda? Fovetur
Publica res; fraternus amor, mens omnibus una.
Sunt mores apibus, ſunt jura, ducemque ſequuntur,
Et ſua quemque manent obeunda negotia civem.
Eſt quoque militiæ labor ac decus; arma capeſſunt
Pro patria exiguisque focis: ſunt agmina ſæpe
Miſſa colonorum, nova qui procul oppida condant;
Et gentis leges, ritus, nomenque propagent:
Quid majus meliusve hominum ſapientia præſtat?

Quondam inter milvos fuit audaciſſimus unus,
Imbelles antehac ſolitus vexare columbas.
Hic tandem, aut fato, aut famæ melioris amore,
Dedignatus aves timidas prædamque fugacem,
Alituum regnantem aquilam ad certamen iniquum

Provocat, & roſtro & penna bis terque laceſſit.
Sprevit principio maleſanos alitis auſus,
Nec minus incœpto per nubes illa volatu
Inſtitit: at reducem rurſum temerarius urget,
Plumaque avulſa circumfert ore tropæum.
Plus æquo tunc viſa ſibi toleraſſe, procacem
Occupat, & vitæ parcens, in rupe relinquit
Implumem. Hic quid agat? Non occubuiſſe pudori eſt.
Non animos poſuit tamen; at nudatus & algens
Ulciſci meditatur. Ibi ſub tegmine quodam
Vermiculis paſtus, ſimul artus nutrit & iras;
Dum redeat vigor, atque levis reparetur amictus.
Adfuit exſpectata dies. Juvat ire per auras,
Magnanimumque nimis, ſi non vi, at fraudibus hoſtem
Debellare: dolo virtus ſe victa tuetur.
Pons erat undarum conflictu exeſus & annis,
In medioque, trabes corroſas inter, hiatus:
Hunc ſibi pro laqueo, pro retibus eligit ultor,
Vindictæque locum, ſi qua fortuna juvabit,
Deſtinat. Ingreditur primum pedes, utque capacem
Agnovit, caute tentat penetrare volando;
Inde iterat præceps, ac totis concitus alis.
Quod cum ſæpe, diuque, omnique ex parte probavit,
Erigitur cœlo, & victricem quærit in auris.
Ergo inſultanti ſimilis ſe ſe obvius infert
Indignanti aquilæ: venit ipſa, paratque rebellem
Aut iterum ſpoliare, aut juſtæ tradere morti.
Ad notum refugit vafer inſidiator hiatum:
Et vix tranſiliit, cum deſuper impete rapta
(Urget enim cæcus furor & ſpes proxima prædæ)
Anguſtum in ſpatium ruit, atque impingitur ultro.
In-

Infelix aquila, & pennis luctantibus hæret,
Corpore dimidio jam prætergreſſa meatum.
Advolat e latebris milvus, pœnamque repoſcens,
Vellicat eliſæ plumas, ultusque recedit.

Ipſe ego ne videar, dum cauſam impugno ferarum,
Diſſimulare aliquid, ſive extenuare canendo,
Arma tibi indulſiſſe velim; nova protinus arma,
Unde accedat honos & creſcat gloria genti
Quadrupedum. Vidi qua turbidus ire Danaſtris
Incipit, ac patulos Dacorum adlambere campos,
Ucrania in pingui, qua non felicior olim
Terra fuit, dum bello acres habuere Coſaci,
Nunc ſtat iners nulloque exercita vomere tellus;
Vidi belligeras acies & caſtra ferarum,
Queis color haud cunctis unus; nigrantia terga
Sunt aliis, fulvæque aliis per corpora ſetæ;
(Baubaces patria dixerunt voce Poloni)
Vulpinum genus; innocuo ni vivere paſtu
Mos eſſet, penitusque animanti ignoſcere prædæ.
Nam virides populantur agros, ſpecubusque profundis
Suffodiunt; ac de latebris & gramine certant.
Quales inter ſe populi quos flumine magno
Diſſociat Rhenus, campos & littora propter
Bella gerunt: acui totas hinc Gallia vires,
Atque illinc toto Germania robore pugnat.
Ergo ubi villoſas pecudes excivit ad arma
Laudis amor verus, & vincendi cæca libido,
Plebem iracundam vomit undique terra cavernis.

Ocius

Ocius ecce fremunt: vaſto micat æquore miles
Agminibus primum ſparſis atque ordine nullo;
Tum varias ineunt, certo rectore, cohortes,
Utraque in optatis metatur caſtra viretis,
Expanditque ſuos acies adverſa maniplos:
Quin & utrinque pares animos, eademque videres,
Non ſine terrifico ſtrepitu, præludia pugnæ.
Ut Mars accenſus cantu, ſignumque ululatus,
Ceu tuba rauca, dedit; concurritur impete magno,
Miſcenturque agiles turmæ; furit hoſtis in hoſtem
Diſcolor, effuſoque madens rubet herba cruore:
Speſque metuſque modo hanc, modo partem deſerit illam.
O quot ſolerteſque dolos & fortia facta,
Obſervantum oculis adimit certaminis horror!
Altera pars tandem fato meliore triumphat:
Victa fugit, ſecura procul ſibi pabula quærens,
Nec ſequitur fuſam, at deſerta cubilia victrix
Occupat; & partis graſſari gaudet in arvis.
Verum in captivos, Dominorum provida miras
Sævitia exercet pœnas: mœſta agmina condunt
In foveis, coguntque omnes ſervire per annos.
Atque ubi tempeſtas bruma veniente rigeſcit,
Et complenda monet ſecto cellaria fœno,
Protinus ad meſſem ducunt ſervata ferendam
Mancipia; inverſiſque ſolum premere atque ſupinis
Corporibus, tum crura jubent attollere ſurſum,
Quatuor erectis perſtent ut gramina palis:
Inde onerant caudaque trahunt animantia plauſtra,
Eraſoque vias miſerorum tergore verrunt.

Igne-

Igneſcat quantus brutis animantibus ardor
Gignendi, miramur item; quæ prolis alendæ
Cura ſit, ac matrum pietas; ut quæque pericli
Vix memor, imparibus concurrere viribus audax
Non dubitet, nidos ſervans, hoſtemque laceſſat,
Nil ſibi, cuncta ſuis metuens. Hoc tempore ſexum
Deponunt, verſantque animos in corde viriles,
Femineasque iras acuit prope maſcula virtus.
Nec vero mutas, atque omni voce carentes
Credibile eſt: etſi nobis incognita vulgo
Seu quæ verba ſonant, ſeu quæ ſunt edita verbis.
Nam cur alituum cantus, ſtridorve colubri,
Cur hinnitus equi, cur ſylveſtres ululatus,
Anſeris & clangor, planctusque gementis hyenæ,
Turturis & querulum murmur, ſtrepitusve cicadæ;
(Vociferantur enim cunctis animalia terris)
Cur, inquam, nil ſignificent? Simul atque leonem
Rudentem audieris, faucesque aperire cruentas
Videris immani rictu, & quatere ilia cauda,
Arrectaque juba furibundum ac torva tuentem;
Quid tunc horribilis meditetur bellua, noſti.
Audimus mugire bovem, latrare moloſſum;
Nec ſonus eſt illis ſemper, nec ſpiritus idem:
Sed quo quisque modo ſentit, ſic exprimit ore.
Nempe aliter pullos in opima corte vagantes,
Ocius expanſas revocat gallina ſub alas,
Inclamans, cœlo viſus cum deſuper alto
Milvus edax; aliis arceſſit vocibus illos,
Læta putres inter ſtipulas cum forte latentem,
Unguiculis agitans, detexit farris acervum,
Ad lautamque dapem ſparſos invitat alumnos.

Non-

Nonne & cum ſaturæ redeunt ad clauſtra bidentes,
Cedere gramineo monuit quas Heſperus agro,
Balantesque ferunt ſitientibus ubera natis,
Reſpondent agni? Genitricem voce ſalutant
Quiſque ſuam; tot enim nunquam eſt in matribus error:
Accedunt celeres, & flexo lactea potant
Dona genu, buccis avidi mulgere tenellis.

Eſt igitur pecudum generi generique volantum,
Omnibus atque feris, quæ ſpirant aëris auras,
Eſt aliquis propria veniens ab origine ſermo;
Qui ſatis eſt, certisque fovet commercia ſignis.
Ergo notities, atque experientia rerum,
Quæ victum & ſobolem ſpectant, ais, optime Quinti:
Ergo animus; noſtra qui non tibi mente videtur
Inferior mage, quam rubro ſunt rufa colore,
Æs auro, ſaxum gemma, frondentibus ornis
Gramina, & albeſcens ignito cynthia Phœbo.
Nam minus aut majus rerum non dividit uſquam
Naturas: nec tam exiguo contraria diſtant
Inter ſe ſpatio, quale eſt nos inter & illas,
Haud ſecus ac naſcens alieno in cortice muſcus,
Radicesque ſuas habet exilemque coronam,
Frondesque fructumque gerit velut ardua quercus.
Et qui vix tenues elabitur inter arenas
Rivulus, ac minimo divertit ſæpe lapillo,
Non minus oceano proprias quondam inferet undas,
Quam fluviis hinc inde tumens nivibusque ſolutis
Flumen Amazonium, quod vaſto gurgite currit
Andibus ex altis, ac centum regna pererrans,

Ipſum

Ipſum etiam pelagus, quó ſe ingerit, eſſe videtur.
Ergo incorporeæ fruſtra Sophus usque laborat
Formare effigiem mentis; cum ſola ferinas
Materia efficiat mentes. Quod ſi quis abundat
In nobis, quo bruta carent animalia, ſenſus,
Et quem ideo rationis amem jactare ſuperbo
Nomine; cauſa fuit felicior undique nexus
Principiorum. Etenim cata vulpes arte videtur
Ac ſimul ingenio reliquis excellere brutis;
Nec tamen alterius naturæ eſt. Sic homo vulpem
Exſuperat, meliore luto præcordia geſtans
Ficta, at ficta luto; forma præſtantior, idem
Natura; quæ nos cunctis animantibus æquat.
Sic loqueris; multi ſic tecum ſæpe loquuntur.
Ne tamen inde putes actam rem; dictaque vulgi
Ad Sophiæ veras potius mecum exige leges.

Si non externis tantum dubiisque profecto
Indiciis mira hæc brutorum geſta tenerem;
Intima ſed penetrans naturæ arcana ferinæ,
Quidquid eo latet atque agitur ſub cortice, noſſem;
Atque ut geſtorum ſum conſcius ipſe meorum,
Abdita ſic etiam brutorum ſenſa viderem;
Quod cenſes, propria victus ratione, faterer:
Eſſe animum brutis noſtro fortaſſe minorem,
At ſimilem, & diſtare gradu non amplius uno
Tum, quæ de nobis ac noſtra mente probavi,
De brutorum animis & rite probata putarem:
Nempe incorporeos, immortalesque vocandos.
At tu exemplorum tanto molimine quidnam
Te viciſſe putas? Aliquid quod cogitet, eſſe
Cor-

Corporeum? minime. Siquidem inconcuſſa manebunt
Argumenta quibus modo rem, quæ cogitat et vult,
Corporis expertem, atque ideo necis eſſe probabam.
Ergo, ſi velle & cognoſcere bruta probaſti,
Obtinuiſti adeo brutis animantibus eſſe
Quiddam incorporeum, noſtris majusve minusve
Mentibus, at ſimile omnino; cui ſcilicet ævum
Ex vi naturæ nequit immortale negari.
Sed non id ſtatuis, quod tu ſtatuiſſe volebas,
Funditus humanas leto evaneſcere mentes,
Utpote materiæ luſus fragilesque figuras,
Ex quibus exoritur certa ratione movendi,
Cognitio vel amor: quin hæc everſa relinquis.

Hujus nempe tui vitium eſt ſermonis & error,
Quod duo fidenter veluti certiſſima ponas,
Quæ ſe non ullo naturæ lumine produnt.
Eſſe animum in brutis, qui noſcat & optet, eumque
Mortalem. Alterutrum credas, per me licet; ambo
Non licet. At neutrum potis es monſtrare neganti.
Bellua tota perit, clamas; concedere malim:
Sed ſi Pythagoram ſequerer, vel Gymnoſophiſtas,
Atque ferarum animos aboleri morte negarem,
Et nova perpetuo naſcentum in corpora ferri;
Aut aſſervari vellem, dum priſca reſumant;
Dic, oro; qui me falſi convincere poſſes?
Quo te argumento, Quinti, natura juvaret?
Hæreres; ut in hoc puncto Lucretius hæſit.

Haud magis eſt notum, quanquam vulgare, quod urges;

Eſſe

Eſſe animum in brutis. Forte eſt: haud ipſe negabo:
Namque vetat ratio, niſi clare falſa negari.
Forte etiam non eſt. Video, tu protinus inquis.
Geſta vides, fateor; geſtorum cernere cauſam
Non potes. Hæc ſola rationis luce videnda eſt,
Non oculis. Oculi referunt perſæpe rotundum
Quod re quadratum vera; perſæpe colores
Affingunt rebus, qui non ſunt: ut modo nubes
Depictas, geminum cernunt modo in æthere ſolem,
Cæruleos montes, & ponti mobilis undam
Nunc viridem, nunc purpuream. Mendacibus ergo
Diffide. Hoc agitur; quos edit bellua motus,
Num veniant e principiis extrinſecus hauſtis,
Organa ad hos uſus fabrefacta moventibus; ut cum
Altus habet nautas nocturno tempore ſomnus,
Vi ſola regitur ventorum ſtructa carina;
Nimirum prout hos in vela parata receptat:
An velut in nobis e principio intus agente;
Ut cum pervigilat rector, nautæque laborant,
Et varie flectunt, prout imperat ipſe, carinam.
Scimus enim nos hac penitus ratione moveri,
Dum ſcimus nos percipere ac ſentire; nec illa
Eſſe poteſt in re dubium. Nunc æquore in alto
Proſpicimus geminas excelſo e littore cymbas;
Procedunt una; varium nihil inter utramque
Detegitur, nec ſuſpicio eſt, tum judice ſenſu,
Internam huic, illi externam cauſam eſſe meandi:
Cum propius venere tamen, ſe ſe explicat error;
Altera nam remis impellitur, altera vento.
Cauſa igitur non eſt omnis, quæ cauſa videtur:
Et ſenſus ratio judex, non ſerva profecto eſt.

Sic hominem atque feram cauſæ disjungere poſſunt
Motrices, quamvis eadem videatur & una:
Quod ſatis eſt, ut ſit dubio locus, & mora noſtris
Judiciis. Nam notus homo, fera cognita nondum.
Quod facit hæc promtum eſt; factorum quæ ſit origo,
Non liquido ſcimus. Tu conjicis eſſe timorem,
Aut deſiderium; quoniam dat ſigna timoris,
Ac deſiderii: & properas hoc dicere, quamvis
Nec certo conſtet, nec rem perpendere cures:
Aſt hominem quaſſante metu atque cupidine ferri,
Non tantum hoc ſignis; quæ ſunt fallacia ſæpe,
Non conjectura noſti; ſed conſcius ipſe es.
Quod te igitur ſpectat tibi notius, & mihi, quod me,
Quam quod equum aut felem. De te ergo judicium fer,
Ex his quæ de te noſti; non, quod tibi probro eſt,
Felis ab exemplo, cui te componere mavis.
Imus ad ignotum per cognita: ſed tibi, Quinti,
Rebus ab ignotis ad notas ire libido eſt.
Siccine legitimus Logices pervertitur ordo?
Siccine per tenebras optatum lumen aditur?

Pluribus hinc adeo verbis jam parcere poſſem:
Nam ſubito ruit objectum & vaneſcit in auras.
Sed quia te rapiunt ſenſus, atque in tua dicta
Vulgare ac promtum eſt facili deſcendere clivo;
En totum tibi Carteſium validasque cohortes
Carteſii opponam: forſan dubitabis, & ultro
Dices obſcurum, quod apertius ante putabas;
Si facile, ut ſpero, exponi miracula poſſint
Omnia brutorum, quæ præſtantiſſima ducis,

Or-

Organicam per vim, molimine mentis ademto.
Sed cum te moveant, ratione potentius ipſa,
Rebus ab externis quæ paſſim exempla petuntur;
Exemplis etiam tecum certare lubebit.

Dic igitur. Quoties noſtris tractatur in hortis
Herba manum fugiens, a ſenſu nomen adepta:
Nonne reluctari indignans ac nolle videtur,
Et, quaſi contactu violatam, ſtringere frondem?
Uſque adeo, ut ſi inſtes, importunusque ſequaris,
Contrahat in ſe ipſam ramos averſa dolentes,
Et properet capite in terram procumbere flexo;
Donec deſtiteris vim tandem inferre moleſtam:
Tumque reſurgentem miraberis, omnia rurſus
Pandentem folia, & revireſcentem ore ſereno.
Huicne voluptatis ſenſum, ſenſumve doloris,
Huicne animum noſtri ſimilem dabis? Organa tantum
Miris apta modis, atque arte inſtructa magiſtra:
Unde fit, ut ſparſus fibris ac frondibus humor,
Quo teneræ conſtare ſolet vigor ac decus herbæ,
Appulſu minimo pluviæ, baculive, manusve,
Cogatur revocare gradum, venasque relinquat
Exſangues: illo convulſos impete nervos
Et replicata vides folia; hinc ſubſidere planta
Cernitur, & ſimulare fugam timidumque pudorem.

Obſervaſti hederis, nec non & vitibus inter
Pampineas frondes naſci proſtantia fila,
Quorum ope debilibus proviſum eſt undique ramis;
Ut poſſint humiles alieno aſſurgere fulcro.
Ni faciant, reptare ſolo cogentur, & atra

Privari, & pedibus calcandum extendere truncum.
Ergo ſi paries juxta, palusve vel arbos,
Continuo tendunt illuc, digitoſque patentes
Producunt, fulcrum amplexæ, vincliſque ligantur
Intortis; nec quæ ſemel arripuere, remittunt;
Donec adhærentes ad ſumma cacumina creſcant.
An ſua Mens hederæ, ſua viti eſt? Attamen illa
Non ſine conſilio & recta ratione geruntur.
Quædam hederæ, quædam viti mens tale paravit
Subſidium, infirmiſque manus & brachia prudens
Attribuit, certos proviſum munus in uſus.
Quidni etiam plantas animantes eſſe putaris?
Scilicet hoc quoque idem permulta legumina præſtant.
Nam cicer, & ſumtu Lucullis emta ſuperbo
Piſa, fabæ & graciles, longoque cucurbita collo,
Cum nihil inveniunt, ipſæ ſibi mutua præbent
Auxilia, & ramos tenues utcunque maritant.
Haud ſecus ac pecudes in aprico gramine campi,
Cum fervet ſuccenſa dies, glomeramine facto
Summiſſum caput alternis a ſole tuentur;
Et ſocia in ſociæ ſolamen quæritat umbra.

Quin ſi forte inter lupulos caput exerat ulmus,
Illi in circuitu ſuccreſcent, corpore primum
Erecto, & ſe ſe tollent; mox quiſque recedens
A perpendiculo, caput inclinabit ad ulmum;
Inde ſibi columen ſperans. Diſtantia motu
Vincitur obliquo, & jugi conamine tandem
Perveniunt cuncti: ſimul apprendere, volutam
Ordiri ſubito, ſpiriſque tenacibus arcte

Conſtrictum norunt celeres involvere truncum;
Et ſimili tandem correptos compede ramos
Illaqueant: tegitur peregrinis frondibus arbor.
Admiranda tibi nonne hæc ſolertia plantæ?
Sic quoque progreditur cæcis radicibus ilex,
Succus ubi melior, pinguesque uligine glebæ
Pabula ſufficiunt; loca prudens arida vitat,
Scrupus ubi, multoque infelix glarea topho:
Tunc qua liberior patet aër, brachia tendit;
Ac properat ſummum in ſylvis efferre cacumen,
Vitales ne præripiant quibus indiget auras.

His ergo veteres cum rebus ineſſe viderent
Artem aliquam, paſſim genios ſparſere latentes,
Qui regerent, motumque darent, vitamque foverent.
Juppiter hinc cœlo datus & Saturnia Juno,
Vulcanus flammis, terræ Berecynthia mater,
Oceano Neptunus & æquorea Amphitrite,
Dis quoque viſceribus terrarum, Hecateque triformis;
Et ſegeti fecunda Ceres, vitique Lyæus;
Quin & ſideribus miro ſic ordine motis,
Ut nunquam officio deſiſtant, apta dederunt
Numina; ſic etiam ſoli quo cuncta foventur,
Aurigam, currumque, immortalesque quadrigas;
Arboribus Dryadas, fluviorum Naiadas undis,
Pratis ludentes per gramina læta Napæas,
Tum Satyros ſylvis, & turpia numina Faunos.

Haud aliter multis animans magneſia quondam
Viſa ſilex, traheret quod grandia pondera ferri;
Suſpicioque fuit ſenſus & amoris in illa.

Nam quis non ſtupeat, grave condenſumque metallum
Currere in amplexus lapidis; fierique viciſſim
Magnetem, atque alio ſaturari denique ferro?
Necdum etiam gemino ſuſpendi cardine mundi,
Altera ceu tellus eſſet, parva orbis imago,
Cognorant; nec vis in ea comperta polorum;
Nec cœli latera oſtendens in pyxide, claſſes
Ducebat pelago & ſupplebat ſidera nautis.
Succina quid referam, paleis onerata perinde
Eminus allectis? Inter duo corpora plana
Sponte ſua ſurgens oleum, hoc velocius altum
In culmen properans, quo ſit vicinius illi?
Tum lymphæ ſtillas, quæ cum acceſſere fluendo,
Protendunt parvos apices ac mutua captant
Oſcula, dum tandem coaleſcant corpus in unum?

Hæc ſi more tuo expendis, veſtigia mentis
Ejusdem, qua bruta tibi pollere videntur,
In plantis, in foſſilibus paſſim obvia cernes,
Obſervans; leviora quidem, mentisque minoris:
Sed plus atque minus non dividit (ipſe docebas)
Naturam rerum, mage quæ perfecta minusve
Eſſe poteſt, quamvis eadem uniusque tenoris.
Utque feras homini, ſigna ob communia quædam,
Æquiparas; quanquam in reliquis diſtare fateris:
Æquiparare feris etiam genera iſta licebit,
Ob certos pariter motus, externaque mentis
Indicia, in multis etſi diſtare fatendum eſt.
Si dicas mentem humanam præſtare ferinæ,
Organicis tantum, quibus utraque machina conſtat

Par-

Partibus: hoc itidem de plantis omnibus auſim
Reſpondere, & de brutis animantibus una
Collatis. Tua me, dum pugnas, arma tuentur.

At vero genus arboreum non ambulat, inquis;
Non edit vocem, non obtinet organa ſenſus?
Imo, quæ retuli plantaria ſponte videntur,
Etſi affixa ſolo, tamen & protendere ramos
Quo juvat, & captare ſuam radicibus eſcam.
Forſan odoratu & guſtu tactuque fruuntur:
Nam faciunt quæ non fieri ſine ſenſibus illis
Poſſe putas. Careant: quid tum? nihil inde probatur.
Omnia non omni pollent animalia ſenſu.
Qui cæcas terebrant ima in tellure latebras,
Lumbrici degunt oculis atque auribus orbi.
Sunt in littoribus pelagi conchylia, cultrum
Quæ forma referunt, nunquam de ſede moventur:
Tantum, regreſſo fluctu occultantur arena;
Hinc ſe paulisper tollunt venientibus undis.

Quin etiam eſſe feras terris ſpectamus & alto
Sic hebetes, illis animantior herba videri
Ut poſſit, cunctos renuit quæ tangere tactus;
Aut acus ad gelidam ſemper quæ vertitur arcton
Et tacto magnete polum ſervare fidelis,
Nonnihil hinc atque hinc declinat tempore certo.
Sunt homines mente interdum, te judice, capti,
Quos canis & lupus ingenio ſuperare videntur:
Invenies brutum plantis & inertius ipſis.
Cunctarum tamen eſt ſimilis natura ferarum:
Omnibus aut nullis mens eſt. Si mentis honores
Concedas aquilis, & habebunt oſtrea mentem.

At quidquid plantæ inſignes ac nobile ſaxum
Oſtentant, fieri per tenuia corpora, certis
Exagitata modis & propellentia, conſtat.
Nil opus eſt animo, vi tantum atque impete motus.
Hoc ais, & fateor. Sed gentis pulchra ferinæ
Cur non facta licet paribus concredere cauſis?
Influit aſſidue gemino de cardine mundi
Vivida materies ac ſubtiliſſima, caulas
Magnetis penetrans, ac circum effuſa perenni
Vortice; conſimiles in ferro nacta meatus,
Ipſum etiam penetrat, lapidique allidit amico,
Magnetemque novum ſimili vertigine format:
Quam ſi vel minimo perfrictu ferrea cuſpis
Imbiberit, ſemper, dum libera, vertitur illuc
Unde venit flumen; variat variantibus alveis.

Vis eadem eſt plantis, quæ fulcri oriuntur egentes:
Quos etenim his opifex digitos natura paravit,
Villiſque armavit prudens atque unguibus uncis,
Producit ſuccus veniens; cum deficit, illi
Paulum exareſcunt, ac ſpiræ tortilis inſtar
Curvantur: ſi quid tangant, id nexibus arctis
Involvunt; ſi nil occurrerit, haud minus ipſi
Aut inter ſe ſe, aut ſoli fruſtraque ligantur.
Quæ vero fulcrum inclinato vertice quærunt,
Has ea materies agitat, quæ corpora circum
Omnia perpetuis gyrando motibus ambit.
Sunt ita diſpoſitæ, motum hunc ut ubique ſequantur
Invitæ, nullo propriæ conamine mentis;
At vi, qua magnes ferrum trahit, ac ſibi donat.

Si quis agi ferrum ſtimulo arbitretur amoris,
Aut furandi animo, magneti quam invidet, artem:
Prodigus ille animi nimium, ſtolidusque vocetur.
Quid ſi ego, dum ſaxis properans obmurmurat unda,
Et quatit inſultu ripas, & ſpumea circum
Infremit, iratam ripæ ſaxisque putarem,
Quod ſibi jucundos aditus objecta morentur?
Aut, quem recta negat curſum via, quærere longo
Circuitu, & reparare moras ardore fluendi?
Denique, cum prunis candentibus æſtuat, ignes
Detrectare odiis, & in aëra malle reſolvi
Ac fugere in fumum, quam ſubdi hoſtilibus armis?
Quid ſi etiam flammas, quoniam ſunt pabula flammis
Utilia, idcirco quis crederet eſſe voraces,
Quod pruritus edax rabiesque famelica vexet?
Vel mare, cum terras veniens tegit, inde recurſat
Temporibus certis, & littora fæcibus implet,
Sæpe etiam tumidos tollens ad ſidera fluctus,
Diſſipat errantes, aut frangit rupe carinas;
Conari excidium terris, temeraria cœpta
Nautarum ulciſci, ſtudioque nitoris, inanes
Quisquilias puro e gremio depellere dicam?
An riſum teneas auditum admiſſus? At iſta,
Exclamas iterum, per motus omnia fiunt
Corporeos, quorum facile innoteſcit origo.
Res eſt, confiteor, nulli non cognita. Verum
Quidni corporeis ita motibus omnia fiant
In brutis, quæ conſilio directa videntur?

Quandoquidem licet, a minimis exordia ſumam.
Oſtrea vix pelagi fundo gradiuntur, adhærent

Rupibus & ſaxis, veſcuntur gramine, fœtus
Progenerant, reſerare ſolent & claudere concham.
Machina ſi tales aptata putetur in uſus;
Et ponam in capite & ſtomacho & genitalibus agmen
Spirituum, ſimul & quædam inſtrumenta movendi
Corporis; hæc tribuam ſolis diſcrimina motus
Particulis, verſus propriam impellentibus eſcam,
Abſque fame, ſeu notitia, aut cuppedine victus:
Ut radix in pingue ſolum, pejore relicto
Commeat, & fundit ſylvam hinc atque inde comantem.
Nec non convenient ſibi mas & fœmina; ſicut
Conveniunt geminæ per vincula mutua vites:
Diſpar finis erit, verum par cauſa modusque.
Nonne etiam conſtat palmis haud creſcere baccas,
Ni prope ſit conjux? Nonne omnis nunc quoque gentis
Novimus arboreæ gemino connubia ſexu?
Flumina materiæ levis, inſinuantis, aduncæ,
Per varios miſſa hinc, atque inde recepta meatus,
Motabunt concham, ferrum ut magnete movetur,
Ac melius longe; quia ſunt ea corpora ferro
Et fabrefacta magis, pluresque tributa per artus:
Quin etiam varie; variis ut ſtridula ventis
Pinnula ſeu malo in ſummo, ſeu culmine tecti
Volvitur, & cœli partes verſatur in omnes:
Et rota juncta rotæ, quanquam uno fluminis ictu,
Diverſæ currunt; ſi recta hæc, illa ſupina eſt.

Nobiliora parem ſervant animalia ritum,
Etſi forte modo mirabiliore gerunt ſe;

Ma-

Machina quod longe data ſit præſtantior ipſis.
Cur canis inſequitur leporem cervumque caprumque
Sylveſtrem? Quidam e cunctis animalibus exit
Halitus, haud feriens oculos, ſed nare ſagaci
Senſilis, atque humiles longum diffuſus in auras,
Graminibus pariter tritis ac ſentibus hærens.
Hunc non ſuſcipimus, nec bellua ſuſcipit omnis;
At quæ ſola fuat venando nata, ſuasque
Sic nares habeat textas, quas halitus intret:
Ut ſera non omnis velit omnem admittere clavim.
Halitus hic valido catuli quatit impete nervos;
Scintillant oculi; præcordia ſanguine turgent;
Pulmones jaciunt recluſis faucibus auram:
Illinc latratus, quique artubus emicat ardor.
Ergo quæ cervus longo corpuſcula tractu
Emiſit, nervis alte intricata caninis,
Huc catulum rapiunt, unde effluxere; ruitque
Impiger ad cervum loca per deſerta vagantem,
Aut recubantem inter frutices domitumque labore.
Quam ſi ſpirituum ſeriem, velutique catenam
Amiſit catulus, nimio ſive impete raptus,
Seu cervi facto in veſtigia trita regreſſu,
Siſtitur, aut mutus male certis paſſibus errat,
Seque agitans varie, ſimul anxius eſſe videtur;
Si reperit, latrat rurſum, ac velocior inſtat:
Illius ad vocem ſociorum turba recurrit.

Sæpe canes oculis tantum, nil nare cientur:
Illos nullus odor, ſed prædæ irritat imago.
Lucis enim radius, quem præda objecta reflectit,
Poſt-

Poſtquam oculi tetigit fundum, tenſoque receptus
Reticulo, ſuccuſſit agens primordia motus
Nervorumque caput, ſe fila unde omnia produnt;
Succuſſi fontes animorum hinc inde fluentum
Irrorant ſparſos per ſegmina multa canales;
Muſculus hinc omnis concepto flumine turget,
Aſſurgunt fibræ, & curvos breviantur in arcus,
Oſſaque, membrorum fundamina, ſubdita tollunt;
Totaque compages in partem vertitur illam,
Unde ſibi veniunt irritamenta. Neceſſe
Tunc igitur plane eſt, cum tantos machina motus
Hauſerit hinc, illuc etiam directa feratur.
Quandoquidem radius, qui motus omnis origo eſt,
Objectæque rei ſimulacrum in lumina defert,
Inde venit ſemper, ſemperque revertitur illuc.
Pondera non aliter compreſſa rudente trahuntur,
Et veniunt ad eum, qui dat motum ipſe rudenti.

Ut canis in cervum curſus, ſic & fuga cervi
Mechanico fit plana modo. Latratibus aures
Ut primum ſonuere, ſono concuſſa movetur
Machina tota repente feri, quem ſomnus in umbra
Detinuit; cutis arrigitur, nervique tremiſcunt.
Ecce animi cerebro delapſi concita membra
Exagitant; & pulſa, procul diſcedere cogunt.
Machina principiis nam talibus, ordine tali
Compacta eſt, ut rumor eam ſonitusque minaces
Commoveant (licet illa minas urgensque periclum
Neſciat) inque fugam vertant: velut igne fugatur
Unda; Æſchynomenes ramus, cum tangitur, herbæ.
Sic bruta aufugiunt, ut cernas ſigna timoris

A ri-

A ritu pendere mero, quem condita ſervant
Organa; non verum fugientibus eſſe timorem.
Omnia nempe feras non æque murmura turbant,
Non omnes rerum effigies. Horrere videtur
Hoſtem quæque ſuum: cervi damæque moloſſos,
Accipitrem perdix, milvum gallina, lupumque
Bos & ovis: latebras conquirit piſcis in ulva,
Ingruit ut trepidæ populator lucius undæ.
Nullus ab innocuis metus eſt in gente ferina.

Cur illud fugiant, hoc contra bruta ſequantur,
Haud ægre inſpicies, poſitis quæ diximus. Omne eſt
Arcanum in fabrica. Confeſtim nempe recedunt,
Diſſona cum veniunt illis; ac proinde ſequuntur,
Si cum propoſitis eſt convenientia rebus,
Et quidam tonus harmoniæ, qui congruat. Ecce
Si geminas fidium chordas quis tendat, eundem
Ut ſonitum reddant, cum tangitur altera plectro,
Conſona chorda tremit, fremitusque intacta repente
Dat ſimiles, aliisque ſilentibus una ſuſurrat.
Tum vitreo calici poteris quem pollicis ictu
Deprendiſſe tonum, ſi voce imitatus acuta
Accinis, hunc frangi, ſubitoque dehiſcere cernes,
Qui voces alias, gravioraque murmura temnat.
Inde patet liquido, quid odore ſonisque receptis
Eveniat; qui dira fames, ſitis improba vexet
Corpora brutorum, non eſcæ concita ſenſu,
Non potus, at ventriculi prurigine tantum,
Quæ ſtimulat nervos, nec vero pungere ceſſat,
Verſus id omne agitans, ex quo miteſcere poſſit.

Quod

Quod ſi perſpicuum non eſt, ſic mota reapſe
Corpora brutorum, ſaltem eſt, ſic poſſe moveri.
Unde liquet mentis regimen nihil his opus eſſe.
Ergo nullus amor, nullus timor eſſe putetur
In brutis, quanquam id ſuadent fallacia ſigna.
Nam timor eſt odium mortis, quæ creditur inſtans;
Nullo viva modo norunt animalia mortem:
Ignoti nullus timor eſt, ut nulla cupido.
Idcirco fugiunt, quoniam fugere illa neceſſe eſt:
Et prædam invadunt, quia non invadere prædam
Non poſſunt. Arcu velut evolat acta ſagitta,
Non arcum fugiens odio, ſenſuque timoris;
Atque hominem ferit & lacerat ſine motibus iræ.
Haud aliter ſi forte lupi venator odorem
Veſtibus attulerit, catuli latratibus ædes,
Qui nunquam ſenſere lupum, vel queſtibus implent.
Si vero catulam veneris prurigine dira
Contabeſcentem tractaverit; ecce protervi
Adveniunt, caudas agitant, ac murmure blando,
Etſi neſcierint uxorem, orare videntur.
Nonne hæc mechanico peragi moderamine clarum eſt?

Sæpe fit, objicies, lepus ut cum trajicit agros,
Continuo breviore via canis occupet acer:
Certe conſilium leporis prævidit acuto
Judicio; ſiquidem cautus prævertere tentat.
Sæpe etiam noctu cum venit ad oſtia notæ
Clauſa domus, latrare gemens, diſcurrere circum;
Inde fores repetens capite auſcultare ſupino,
Si forte audito reſerentur: denique primum

An-

Ancillæ ad ſtrepitum, cauda geſtire citata
Protinus hinc atque hinc; tum demum admiſſus, oberrans,
In varios, præ lætitia, prorumpere ſaltus.
Hic ſpes, hic metus eſt, hic & prudentia mentis.
Vidi equidem, vidi & ſtupui mirabile factum.
Sed nihil hic mirabilius, nil pulchrius illis,
Quæ retuli; mores præſertim ac prælia narrans
Baubacum & famulos tergo reptante gementes.
Nimirum in cunctis rationem & clara fatebor
Artis & ingenii paſſim documenta micare:
Hinc non inficior brutis aſſiſtere mentem:
At vero mens illa ubi ſit, dignoſcere fas eſt.

Scilicet eſt eadem, qua machina flectitur omnis
Noſtra volente animo: qua demum talia fiunt
In nobis, quæ nos ipſi effeciſſe videmur,
Propterea quia cum volumus, ſunt facta repente;
Quanquam, ut præmonui, quo ſint patranda labore,
Et quibus auxiliis, ſic ignoramus, ut illa
Non fierent, ſi cuique, ſuos dum promovet artus,
Veſtigandum eſſet, qua ſint ratione movendi.
His igitur, quæ nos ſpontanea dicimus ambo,
Nil niſi velle damus. Supremæ cetera cauſæ
Debentur; Menti nimirum cuncta ſcienti:
Quæ ſimul omnipotens cum ſit, ſolo omnia nutu
Exſequitur. Supereſt, ut ſicut noſtra voluntas
Poſtulat hos motus, quos re non elicit ipſa,
Pernoſcamus, utrum e cauſa quoque prorſus eadem
In brutis naſci poſſint animantibus; etſi
Nulla voluntatis ratio dominetur in ipſis.

Pluri-

Plurima ſunt nobis etiam quæ ſponte putantur
Elici, & eximio fiunt moderamine mentis,
Ac certum ob finem & juſta ratione viarum;
In quibus eſt animi manifeſta incuria noſtri.
Ruſticus, urbanus pariter, juveniſque, ſenexque,
Sicubi per ſaxoſa viæ aut per lubrica nutant,
Perſenſere ſibi nondum veſtigia falli,
Corpora cum ſubito librant, crus, brachia tendunt;
Ignari quid agant & cur, aut quid ſit agendum.
Porrectis tamen hi firmant ſe vectibus; artem
Mechanicam geſtu, non cognitione profeſſi.
In teneros etiam improviſum ſi quid ocellos
Involet, en refugit caput, it manus ante, periclum
Avertens, animus quam ſenſit opemve ferendam.
Sic & palpebras aperire & claudere promtum eſt.
Sic inopinantes interdum verba ciemus,
Seu vigiles aliquid meditati, ſeu quoque noctu
Dum ſopor altus habet. Ne multa inſomnia dicam,
Queis permiſſa ſibi & tanquam rectore ſepulto,
Uſque per inſanos agitatur machina pulſus;
Ambulat, exercet certamina, flumina tranat,
Tanquam animi vacua & menti ſubducta magiſtræ;
Flumina; quæ tranare vigil mens ipſa vetaret,
Aut artem ignorans, aut capta horrore pericli.

Si nihil, hos præter motus, humana propago
Ederet, an velles homini concedere mentem?
Sic & ſe motare feras ſine mente licebit:
Etſi, quæ præſtare ſolent, ratione ſagaci
Sunt directa quidem & prudentibus excita juſſis,
Nec ſine conſilio, ſine cognitione geruntur:

Qua-

Qualia & arboribus modo mirabamur in ipſis;
Nec tamen utilium plantis innata cupido eſt.
Automaton parvo ſuſpenſum momine, parvo
Impulſum, motus, quos credit ſponte coortos,
Affectusque omnes animi intus agentis, & iras
Atque odia, invidiam & vivos ſimulabit amores:
Dummodo mentem aliam fatearis, nempe ſupremam,
Quæ præſit. Quod quis ſi forte retorqueat in nos,
Ne dicatur homo propria quoque mente carere;
Non ſolum ex dictis, verum hoc convincitur ipſo,
Quod ſibi quisque hominum ſit conſcius & ſibi teſtis
Ipſe ſuæ mentis: de ſe nemo ambiget unquam.

Certe, ſi brutis animantibus inter agendum
Conſilii & propriæ vis conſcia mentis adeſſet,
Atque affulgerent certi veſtigia quædam
Delectus, ratio non his rata ſemper agendi
Una foret; varii vario ſed tempore motus
Exorti, ſolitam ſeriem immutare laborum,
Nativosque adeo poſſent infringere mores.
Nam non omnis homo parili ſe tegmine veſtit;
Nec ſimilem carpit victum, ſimilemque loquelam
Ore refert; nec totum uno fera bella per orbem
More gerit, conditve domos, aut navigat æquor,
Aut terram exercet; leges nec ſervat easdem.
Sunt, quos humanæ delectant pabula carnis:
Sunt, quos plauſtra vehunt ſaltus camposque per omnes;
Nec certis habitare locis, nec figere ſedem,
Nec bona civilis norunt conſortia vitæ.
Quin ubi terrarum obliqui jam languida ſolis

Spicula vix penetrant, exhauſta pene pharetra,
Mentiturque diem nive luna reflexa perenni,
Gens ibi Pygmæum, priſcis incognita ſæclis,
Rangiferos agitant villoſa in pelle ſepulti;
Vimineosque trahunt albo ſuper æquore currus:
Duratosque lacus concretaque flumina calcant,
Et gelida effodiunt tepidos tellure penates,
Cetorumque adipem potant prius igne liquatum.
Quam multas uno in populo ſimul aſpicis artes,
Vivendique modos ſtudia in diverſa tributos?

At vero ille feris tenor eſt, ut ſemper eandem
Quæque ſui generis normam indeflexa ſequatur.
Quo ritu depaſta ſuas apis Attica myrtos,
Omnem mellifluis alvearibus ornat hymettum,
Hoc etiam dulcesque favos & candida mella
Sarmaticæ fabricantur apes. Lupus Afer in agnos
Sævit ut Auſonius vel Perſa: neque Indica vulpes
In pullos aliam exercet, quam Gallica fraudem.
Prædator cunctos populatur lucius amnes.
Inſequitur cymbas toto canis orbe marinus,
Tergeminoque aperit dentatas ordine fauces,
Circumiens proram & puppim; ſi forte natantem
Incaute, aut lapſum poterit diſcerpere nautam.
Omnis aves vultur, capit omnis aranea muſcas;
Cunctos inſidiis amfractus parietis implet
Penſilibus, loca fœda ſitu & neglecta frequentans.
Et formica-leo prædam ſcrobe fallit euntem.
Semper glandiferis inventa ſub ilicibus ſus.
Semper & effoſſis latitare cuniculus antris
Viſus, amaracino gaudens & odore myricæ.

Unus

Unus hirundinibus mos eſt compingere nidum,
Diluere argillam ſorptis e flumine guttis,
Ac faciles molli ſtipulas intexere limo,
Et culicum aucupio totos abſumere ſoles.
Sic philomela parem terris canit omnibus hymnum;
Hymnum delicias veris, quem nulla maritans
Aonidum vocem plectro, non flebilis Orpheus,
Non Phœbi lyra, Mercurii non tibia vincat.

Hinc tibi ſæpe dabit dulces incallida ludos,
Dum ſe diſcruciat vano gallina pavore.
Nam ſi ſuppoſitos anatum nutricula pullos
Foverit ignorans: rupto vix cortice prodit
Mendax progenies; ſtudio prægeſtit aquarum,
Et micat in venis nandi ingenerata voluptas.
Ergo palus avidis ubi primum riſit ocellis,
Tunc generis memores, freta per cognata, per ulvas
Abripit ingenium fidens & avita libido.
Pipilat interea, ſtolide angitur, æſtuat, ardet
Falſa parens, roſtroque monet, pennaque moratur,
Certatque audaces arcere minacibus undis.
At poſtquam indocilem per amica pericula cernit
Præcipitare gregem, trepidans revocatque, ruitque
Exanimata, gemens, inviſo in margine curſans;
Jurgiaque ingeminat rabie, ceu mater, anili.
Nam putat eſſe ſuos; & avorum vivere ritu
Stultæ eſt una ſalus; alieni neſcia moris,
Tuto non videt ire leves impune natatu.

Sæpe autem faciunt ſic læve bruta quod ipſis
Nativum eſt, ut tibi potius dementia vera,

Quam vis conſilii quædam ingeniumve putetur.
Omnis enim ac ſemper triplicem canis exigit ante
Quam jaceat, gyrum: calcando nempe videtur
Exæquare torum, quo mollius ipſe recumbat:
Hoc petra faciet ſuper, atque in marmore duro.
Poſticis pedibus, quo ſtercora celet, in horto
Scalpit humum feles: curam hanc & cernis inanem
Strata pavimento ſi forte cubicula fœdet.
Enſis equum pupugit; non hic ſe ſummovet, imo
Nititur in ferrum, corpusque in vulnera trudit.
Si quando ſtabulum conceptis ignibus ardet,
Ille manet conſtans, nec poſtibus exit apertis,
Quidquid agant famuli; & flamma fumoque necatur.
Quid referam ſtultis de papilionibus? Unum
Exitii quibus eſt cunctis genus, ire volando
Fatalem ad lychnum: quod ſi ſemel inde recedant
Semianimes, iterum repetunt incendia læti;
Quos fratrum alliciunt exuſta cadavera, nedum
Avertant; donec ponant in lumine vitam.
Pſittacus humanas imitatur gutture voces,
Et quemcumque ſonum lingua moderante figurat:
Cur potuit nondum tandem aſſuetudine longa
Diſcere, prolatis quæ ſit ſententia verbis?
Sed temere ac fruſtra rogat & reſpondet, inani
Garrulitate loquax; veluti Germanica juſtos
Cymbala dant modulos; ſimiles & Belgica late
Tympana templorum celſis e turribus edunt.

Extremum, tibi quod ſuper his proponimus, hoc eſt:
Omne animal ruit in venerem, fœcunda libido

Cuncta

Cuncta tenet: veneris quæ meta eſt? Nonne propago?
Omne animal ſitiens lympham ſibi poſcit, & eſcam
Eſuriens: quinam eſt finis potusque cibique?
Nonne ut jejunum corpus, cui ſemina vitæ
Diffugiunt ſemper, recreetur utraque medela;
Et novus attritos ſanguis ſuffulciat artus?
Scilicet hoc animo, & ne deſit bucera proles,
Laſcivire putas per paſcua læta juvencum?
Aut ſeriem annorum longam ſibi quærere paſtu;
Ne torpeſcat iners venis liquor, & quaſi flore
Decuſſo tandem flacceſcant rancida membra:
Quod neque nutricis jam doctus lambere mammas
A genitrice recens, nos inter cogitat infans?
Abſit ut hæc dicas. Igitur mens altera certe
Conſilium hoc iniit, quod bruta ignara ſequuntur,
Et pueri, & multis plerumque in rebus adulti.

Verum inquis, poſſum hic a mente abjungere ſenſus,
Atque animi veluti partem concedere brutis,
Quæ minus excelſa eſt, ignobiliorque videtur:
Scilicet innatos ad certa cupidinis æſtus,
Et vim noſcendi quædam ſibi congrua tantum,
Ac declinandi contraria, ſeque tuendi;
Sola, hominem quæ nobilitat, ratione negata.
Quid vetat omnigenas in mundo ponere mentes,
Atque alias aliis meliores? Optima nobis
Obtigerit, pejor brutis, & peſſima forſan
Illis, quæ ſumme ſtupida & ſpernanda videntur.

Nullis invideo mentem; da quamlibet, illa
Lege, ut vel minimam cunctarum atque ordinis imi

Agnoſcas incorpoream, expertemque ruinæ.
Senſus enim mens eſt per corpus corpora noſcens;
Ac præter mentem, nil noſcere, nil dare motum,
Nil aut velle poteſt, aut nolle. Satiſne probavi?
Materies ſuper ingenitam ſe attollere ſortem
Non valet, aut mentis proprios invadere fines.
Mens omnis mens eſt; ſive ad ſublimia tendit,
Sive moratur in exiguis, multumve parumve,
Seu male, ſeu bene, ſeu melius meliuſque gradatim.
Namque agit omnimodis, diverſaque nomina ſumit,
Cum diverſa facit. Senſum illam nominitamus,
Res ubi corporeas inſtructa per organa noſcit
Objectas, & membra ſibi ſociata moventes:
Phantaſiam vero, quando ſimulacra capeſſit
Apprendens, fibris alte conſcripta profundis:
Vim reminiſcendi, quoties veſtigia rerum,
Quæ ſuſcepta prius, cerebroque inſculpta ſedebant,
Tandem aliquo revocata modo renovataque rurſum
Perluſtrat, gazæ relegens monumenta vetuſtæ:
Intellectum adeo, cum tali corporis uſa
Subſidio, vel corporeas aſſurgere promta
Effigies ſuper, ingenitos ſe accingit ad auſus;
Et meditatur agens intrinſecus, omnia pendit,
Judiciumque ferens argumentatur, & auget
Notitiem, in notis ſolers ignota tueri:
Inde voluntatem, dum illis ſe adjungere certat
Quæ bona viſa ſibi; vel ſe cupit eſſe remotam
Prorſus ab his, quæ forte mali ſub imagine ſenſit.
Et re pro varia tunc ſpes, metus, ira, libido
Dicitur, unius quæ ſunt diſcrimina cauſæ.

Horum ſi quædam brutis animantibus, imo
Unum ſi tribuas, mentem largiris eandem
Natura ac noſtram, generis licet inferioris;
Et quaſi plebeiam, dum noſtra fruetur honore
Patricio, quod ſe majoribus implicat auſis,
Aut melius ſtructis operatur in artubus: aufers
Partem operum, non partem animi; ſimul or-
gana forſan
Accuſas modicis duntaxat idonea rebus,
Atque ad præcelſas minus inſervire parata.
Sic homo bellua erit præſtantior; ipſa viciſſim
Bellua vilis homo. Sic dum componere magna
Nil veritus parvis, æquabilitate pudenda
Deprimere humanum tentas genus, atque ferinam
Conjicere in ſortem, non deprimis; evehis illud,
Quod natat aut ſerpit, reptatve aut fertur in auras.
Huic incorporeos, atque ut ſine partibus ullis,
Sic leti expertes animos concedis amicus;
Quos inconcuſſis nixos radicibus, unus
Deſtruere ac nihilo poſſit mandare creator.
Inde feras ad noſtra vocas conſortia; ſortem
Noſtram non mutas. Homini ſua jura manebunt.
Denique mens aderit brutis, vel deerit; at ipſis
Si dederis mentem, prorſus nequit illa perire
Naturæ vitio. Per ſe non interit unquam
Quidquid agit nutu proprio; quia corporis expers.

Ergo dum ſenſum brutis animantibus addis,
Tu cave plus multo quam forte putaveris, addas.
Nam quæcunque probant urſum, tigrimve, lupumve
Noſſe ſuas & amare dapes, conſurgere in iras,

Atque ex propoſito ſectari, quærere, niti;
Et formicam & apem ſibi longa æſtate paratos
Accumulare cibos, hiemis ne tempore deſint;
Denique tot narrata prius portenta laborum;
Hæc non mirifico tantum præcellere ſenſu,
Sed ratione probant ipſa & prudentibus uti
Conſiliis, & delectu potiore viarum
Ad metam quo perveniant; & cernere verum
Rebus in occultis, & divinare futuras.

Nam ſi, vindictæ ſtimulo impellente vel ira,
Pungit apis, cuſtos vere ſtudioſa fauorum,
Poſſe nocere igitur venientem novit; at illi
Si transfigatur telo cutis, inde futurum,
Ut mœrens alio, victuſque dolore recedat.
Quin etiam novit promtum hæc ad vulnera telum
Eſſe ſibi. Quot ſunt, quæ jam cognoſcit? Et unde?
Alituum pullus, primum ſe credere vento
Cum cœpit trepidans, & fidere mollibus alis;
Ignotas adeo ſi deſtinat ire per auras,
Poſſe volare igitur ſentit ſe; & in aëre fulcrum
Non fore, ni volitet; nec ſat, ſi ſimplice penna
Moliretur iter, pennam ſed utramque movendo,
Suſtentaturum juſto ſe pondere corpus.
Unde habet has tiro ſpecies arcanaque motus?
Et jumenta, quibus nunquam fluviatilis undæ
Planities tentata pede eſt aut viſa per ævum,
Adducta e ſtabulis cum ſtant in margine ripæ,
Lintrem intrare timent; &, ſi inſtat verbere ductor
Improbus, obſiſtunt, atque in ſua lora rebellant;
Averſaque fremunt longum cervice, priusquam

Di-

Dimoveant ſe ſe; tandem domitante flagello
Ingreſſum trepida tentant cunctantia planta;
Ceu levibus tabulis diffiſa ſoloque labanti,
Naturæ & gnara humentis, quæ prægrave corpus
Non ferat, excluſaque animantes enecet aura.
Si fluvio inciderint, (namque ultro gens natat omnis
Quadrupedum) mora nulla, natant; interrita fluctum
Proſcindunt, neque habent, qui ducere motibus æquis
Ante retroque pedes doceat. Quis tale periclum
Indicat ignaris, vitandique indidit artem?

Haud aliter campo properans canis acer aperto,
Si curſu in medio ſcrobe ſiſtitur improviſa,
Protinus e ſummo ſpectans, obſtantia pendit;
Atque ideo foveam cum trajicere impete primo
Deſperet, cedit retro, ſpatiique relinquit
Quod ſatis eſt, celer ut remeans ac viribus auctis,
Ingentem ſaltu valeat ſuperare lacunam.
Unde ſcit augeri ſumto conamine vires,
Et quæ cum ſpatio ſit convenientia niſus?
Quadrupedes inter, pariendi tempore certo,
Femina quæque, ſibi obſtetrix aptiſſima, fœtum
Lambit & exſiccat: viſcus, quo nuper in alvo
Fœtus alebatur, mandens, torquetque ſecatque;
Ne ſtillans tenero decedat corpore ſanguis
Per varios, illum qui devexere, canales;
Quosque uteri fundo partus divulſit apertos.
Quæ mulier, ſi non didicit, tam docta futura eſt,
Ut ſciat & medicum pertentet ſponte laborem?

Æſtivæ volucres, Libycis quas finibus ardor
Immodicus, noſtris expellit frigida bruma,

Cum primum vertere ſolum, diverſane mundi
Climata reſcierant; & fluctus æquoris ultra,
Quod medium late terrarum interluit orbem,
Eſſe plagas curru ſolis propiore tepentes;
Quas neque deturpent hiemes, nec frigus adurat?
Quis monet in turmas cogi autumnalibus horis?
Et fremere in caveis abeundi tempore ſueto
Vel cicures (quanquam experientia nulla præivit)
Unguibus & roſtro pennisque laceſſere clathros,
Molirique fugam, & vetita præferre dolorem?
Unde fit, ut multæ ſtagnis, etiam agmine facto,
Dent ſe præcipites (quas aut violentior auſter
Ire vetat peregre, vel præcox occupat algor)
Sex ibi continuos omni procul aëre menſes,
Ceu vitæ pauſam, in cœno putribusque lacunis
Acturæ exanimes, donec cum vere reſurgant?
Quis dedit hunc morem, & redituri pignora motus?

Sic etiam totum perdix innupta per annum,
Et quæ ſola domi reſidens, nil vidit ab ovo
Nativam præter caſulam, potumque cibumque
Quo vixit; ſub finem hiemis, cum vere tepeſcunt
Accedente dies, juveni ſociata marito,
Quem ſervavit anus pariter ſub clavibus arcte,
Nec minus ignaro; primum ſtupefacta videtur
Admirans ſibi conſimilem, ac tremebunda paveſcit:
Mox aſſuefieri propiusque agnoſſe ſodalem
Incipit, ac teneros non dedignatur amores
Hoſpitis: inde brevi celebrat connubia pacto.
Cum tandem expletæ veneris deferbuit æſtus,
Multo ſe gravidam fœtu, ſedemque parandam

Venturis, quot ſint quaſi jam præſentiat, ovis
Cognoſcit: paleas atque obvia gramina roſtro
Colligit, intorquet, plectit; teretemque caniſtrum
Circinat, & cunas numeri molisque capaces
Ædificat prudens; ne forte cadentia partu
Pignora rumpantur, vel dilabantur acervo:
Ultima cum ſtratis effudit mollibus, intrat
Multa cavens nidum tremulo pede; contrahit ungues
Innocuos, fragilemque timet contingere teſtam,
Deprimiturque ſuper: calido tunc pectore pullis
Incubat, excludi donec conceſſerit ætas.
Atque ubi jam matura dies e carcere trudit
Formatos, tunicamque rudi pertundere roſtro
Nituntur; juvat hæc niſus, ergaſtula rumpit,
Conſcia quid poſcant: nam ſi quod inane ſit ovum,
Non feriet. Pergit nudatam fomite prolem
Aſſiduo recreare, ac ſenſim ad luminis auras
Perducit, præbetque levem titubantibus eſcam.

Iſta vides, miraris, & ipſe admiror; at ultra
Proſequor, & miranda magis mihi cauſa videtur.
Nam quis inexpertam docuit, matremque futuram
Præmonuit, quidnam pariendis fœtibus eſſet
Opportunum? Et quos teſtacea contegit ovi
Concha ſinu, qua ſint cura, quo tempore formam
Sumturi? Quare ſint ova calore fovenda?
Quî didicit genitalem illum ſibi ineſſe calorem?
Excluſi fœtus, cur turturis atque columbæ
More cibum haud capiant? cur omnia denique ritu
Perdicum facienda? Bonæ quis munia matris
Monſtravit? Certe non hæc ſine mente fuerunt,

Non

Non ſine conſilio. Si ponis in alite mentem,
Ergo inventricem cenſes, rerumque peritam
Quas didicit nunquam, ſed divinaſſe putanda eſt.

Inſtinctu ſed enim fiunt hæc omnia dicis;
Hoc duce bruta gerunt animantia quidquid agendum eſt,
Quamvis ignorent & quare & quid ſit agendum.
Aſt ego jure pari alternantes æquoris æſtus
Inſtinctu fieri dicam, ſi dicere tantum
Sufficiat. Mihi rem poſcenti, vana reponis
Nomina, quæ ratio propriis eliminat oris?
Hæc, precor, indoctæ plebi ſtupidæque relinquas,
Nam ratio, ad vulgi morem ſi quando loquendi
Dat veniam, (quo ſæpe adigit ſermonis egeſtas,
Aut fandi commune genus) jam non ſinit, ex quo
Ipſæ inquiruntur cauſæ ac primordia rerum:
Tunc accuratis opus eſt rem reddere verbis.

Inſtinctus igitur quid inani nomine ſignas?
[illegible]ntem aliquam, necne? At ſi nullam, machina tantum
[illegible]ia eſt: ſi quam; brutine in corpore agentem,
An bruto externam? Canis æger gramina quærit,
Ipſe ſibi medicus. Quod agit, ratione magiſtra
Efficitur; neque agat ſapientius ipſe Machaon:
Hac una ſiquidem reperit ſolamen in herba.
Ergo mens quædam rationis lumine pollens
Huc jubet ire canem. Sed quæ mens? Mens canis ipſa?
Pro pudor! Oppletæ languens angoribus alvi,
Quo didicit pacto purgandum corpus? Et illo

Gra-

Gramine purgari? Gramenque, ut proſit, edendum?
Illius in foliis, non in radice ſitam vim?
Præterea, quantum ex illo decerpere fas ſit?
Eſto noverit hæc, potuit quæ diſcere nunquam:
Qui multas inter plantas, quæ proderit una,
Seliget hanc prudens? an odore, colore, figura?
Vidit & olfecit nunquam: tamen impete raptus
It canis, hanc optat quæritque ac ſeligit unam.
Id neque percelebris Podalirius, aut ſibi tantum
Arroget Hippocrates, quos ſcilicet una peritos
Et gravibus ſtudiis, & longo parta labore
Morborum atque artis medicæ experientia fecit:
Id præſtare queat vix ipſe Aſclepius heros;
Cui diſciplinam cum vita infudit Apollo.

Si talem inſtinctum das mentibus eſſe ferinis,
Quem natura parens homini plerumque negavit,
Ecce ſupra mentis longe faſtigia noſtræ
Non modo callentem catulum tot Pæonis artes,
Non modo perdicem, ſed avem quamcunque, ſed omne
Brutorum genus extollis, tauroſque, ſueſque,
Et pecudes, & piſciculos, & grandia cete,
Semideoſque facis. Quæ ſi tibi certa videntur,
Quo jure imbellem populum, & nil tale merentem,
Per mare, per terras, nunc vi, nunc fraude maligna
Inſequeris captans, indefenſumque trucidas,
Atque voras? Inter luſus & gaudia ruris
Annumeras belli genus hoc immite, nefandum,
Ignavumque? Lupo quare crudelior ipſo,
(Cui te rivalem præſtas & quem invidus horres,

Non

(Non oſor feritatis, at æmulus) omne per ævum
Innocuas occidere oves, mactare juvencos
Non dubitas, fluit unde tibi tot copia rerum;
Et quibus eſt poſt longam operam, nex, unica merces?
Cur hominum foribus laniata cadavera proſtant;
Et tua fraterna convivia cæde parantur?
Dic age, non pudor eſt miſerorum ſanguine veſci!
Præcipue cum ſint veſtræ ſic legis amantes,
Atque voluptatem tanta cum laude ſequantur,
Ut nullum invenias Epicuri de grege toto
Diſcipulum, melius jurantem in verba magiſtri.
Quippe Deum auctorem, & vitam poſt fata futuram
Ignorant, nulla ſe relligione coërcent,
Nec Phlegethonta trucem, aut Acheruſia templa tremiſcunt.
Inſontes victum carpunt, & gaudia captant,
Et luctum fugiunt, naturæ lumine ducti:
Nec plus, quam ſatis eſt ad vitam, nec minus optant.
O Phyſici! O vere ſapientes, atque beati!
O Epicurea digniſſima turba palæſtra!

Verum eſt eximiis injuria mentibus atrox
Corporeas quod ais, vel dum ipſas numine quodam
Divinaque aura & monitis cæleſtibus imples;
Nec minus immani leto quam corpora damnas.
Oſtenſum eſt liquido rem, quæ cognoſcit & optat,
Eſſe individuam, atque adeo non poſſe reſolvi;
Ergo immortalem. Quanto manifeſtius illam,
Quæ non conjiciens tantum, ſed lumine certo
Prævidet, ac ſequitur ſibi commoda, noxia vitat.
Sunt genii, non ſunt animi, te judice, molem

Qui brutorum agitant, ac ſe illo corpore miſcent.
Dic igitur ſene cum Samio, Indorumque Sophiſtis,
Qui gregibus parcunt, & relligione ſacratis
In bobus venerantur avos animasque parentum:
Dic cum Niliaci priſcis cultoribus agri,
Unam corporibus variis ſuccedere mentem;
Alternisque novas poſt funera ſingula formas
Induere: ut veſtes exeſas tempore multo
Ponimus, atque novis iterum mutare ſolemus;
Et nunc velleribus tegitur, quem texerat aurum.

Nam licet hæc mera ſint deliria, non tamen ipſam
Offendunt naturam animi, penitusve repugnant;
Imo nec ſola poſſunt ratione refelli.
Sed legem infuſam menti ſine mente ſuprema,
Inſtinctus & materiæ de fonte fluentes
Dicere, deſipere eſt. Aut brutis abnue ſenſum,
Deme voluntatem, & propria quæ ſponte geruntur;
Aut, ea ſi dederis cum vulgo, da quoque mentem
His incorpoream; nobis qualem eſſe probavi.
Corporea eſſe nequit noſtræ mens æmula mentis.
Inſtinctus igitur nil ſunt; niſi voce ſub illa
Mentem aliquam revera intelligis intus agentem,
Et quæ provideat, quæ differat, intima norit,
Utile damnoſo diſcernat, & omnia rerum,
Quæ prius accepit, ſimulacra hærentia ſervet;
Vel mentem externam, quæ corpora cæca gubernans
Internæ gerat usque vices. Nam quidquid in orbe eſt,
Aut mens eſt, aut materies, aut prorſus inhæret
Alterutri; nec qui modus eſt unius, hic eſſe
Alterius poterit: quia ſcilicet utraque ſemper
Inſuperabilibus ſejungitur intervallis.

Iam

Jam vero in brutis ſi dicas prorſus ineſſe
Nil niſi corporeum, per me licet; at ſimul ipſis
Notities & amor mensque omnis tollitur: una
Mira ſtructa quidem; verum mera machina reſtat;
An mera, ſucclamas, hæc edere machina poſſit?
Unde tibi ſtupor atque mihi, quod pleraque vires
Humanæ exſuperant mentis? Tu videris, orbi
Qui vacuo atque atomis nil das præſtantius; at nos
Qui numen rerum cauſam artificemque fatemur,
Tuto affirmamus, cuncta hæc ratione ſuprema
Confieri, atque feras, regitur qua mundus, eadem
Mente regi, tales quæ concinnavit ad uſus
Automata, & tam clara ſui monumenta reliquit.
Mentem ergo in brutis propriam perquirere vanum
eſt.
Arguit in fabro, non in ſe machina mentem.
Certe piſtrinum venti ſeu fluminis actu
Mobile, concordique molas vertigine volvi
Qui videt, ac frumenta teri intercepta, ſimulque,
Sepoſita per ſubtiles farragine caulas,
Creſcere congeriem puræ tenuisque farinæ,
Et ſolo hæc auræ, vel aquæ contingere niſu,
Percontaretur fruſtra, num machina mentem
Poſſideat, quoniam cernit veſtigia mentis.
Sic thecam inſpiciens, in qua pila pendula nomen
Pondere librato moderatur paſſibus æquis;
Multiplicesque rotas agitans, velut æmula cœli,
Temporis usque fugam revoluta cuſpide ſignat;
Partiturque diem, & diviſas indicat horas:
Mentem inventoris certe laudabit & artem
Conſiliumque fabri, theca non quæret in ipſa:
Quan-

Quanquam opus eximium, quanquam ingenioſa reperta
Miratur, digitoque premens interrogat horam.

Quod ſi autem potuere homines caligine merſi,
Qui per cancellos obſcure, nec niſi rerum
Extima percipiunt, magniſque laboribus ægre,
Ac multo coguntur opus ſudore paciſci;
Materiamque renitentem & parere negantem
Contrectare diu, perque organa multa domare,
Induat ut varias tandem arte ſubacta figuras;
Hæc ſi, inquam, potuere manu pervincere, ut apte
Sidereos omnes imitentur in ære meatus,
Ac velut effigiem reddant ſtellantis Olympi:
Cur tandem haud valuit mundi pater atque hominum Rex,
Omnipotens rerum fabricator, corpora quædam
Sic ſtruere, ut varios, cum ſint varia organa, motus
Exhibeant; animamque ferant in ſanguine fœtam
Spiritibus: puros liquidoſque videlicet ignes,
Quorum ope quiſque ſuus ſervetur partibus ordo;
Et facile, ut par eſt, moveatur flexile corpus:
At propria ſine mente; Deo cum ſit ſatis illic
Signaviſſe ſuam? Nam quæ non machina clamat
Auctorem; attentas ſi quis modo præbeat aures?
Cuncta Deum produnt, atque alte impreſſa ſigilla
Quolibet organico ſplendent in corpore, mentis
Æternæ, quæ ſola regit quod ſola creavit.

At vero in brutis animantibus organa ſenſus
Omnia quid faciunt ſine ſenſu? protinus inquis.

Id faciunt quod & in nobis humana, priusquam
Rem ſibi delatam mens noſtra retexerit, ipſo
Fibrarum ex motu, quo ſcilicet illa monetur;
Quo potius ſemel exorto, Deus admonet illam.
In brutis, velut in nobis eſt machina certe,
Rebus ab objectis pariter quæ nata moveri;
Hoc eſt, a motore Deo, præſentibus illis.
Solum hoc diſcrimen, quod machina noſtra cieri
Mente ſolet media; ſine mente, ferina cietur.
Hæc autem ex ipſo poteris cognoſcere viſu.
Nam radii lucis, rerum ſimulacra ferentes,
Pupillam recti penetrant, quos uvea primum,
Mox aqueus, tandem cryſtallinus accipit humor,
Ac divergentes convexus colligit. Unde
Concurrunt in fundum oculi, pinguntque colores,
Et formas in reticulo, ſeu pyxide nigra,
Concutiuntur eo appulſu tenuiſſima nervi
Fila cohærentis, cameram qui perforat, ortus
A cerebro; quare in cerebrum defertur imago.
Hactenus effectum eſt quidquid mera machina poſſit
In nobis, velut in brutis. Quanquam ordine miro
Hæc fiunt, certe noſtra ſine mente geruntur.
Hanc viſus partem fas eſt concedere brutis;
Ex qua diverſi motus in membra ſequantur:
Poſſe etenim fieri ſine cognitione probatum eſt.
Altera ſervetur nobis, quibus inſuper illam
Percipere effigiem, & noſtro ſummittere viſam
Judicio, multisque modis verſare datum ſit:
Hæc incorporeæ quoniam ſunt munia mentis.

Dixi, quæ de mente Sophos dubitare ferina
Admoneant. In re obſcura dubitare, ſagacis

Conſilii eſt, fraudem merito erroremque caventis.
Hæc ita ſi non ſint, ita poſſunt eſſe: quod, inquam,
Sufficit, ut brutis animas concedere tuto
Non valeas, pariatque gravem tibi quæſtio curam.
Quidquid ab incerto eſt, incertum hoc eſſe neceſſe eſt.
Haud igitur noſtram tua lædunt ſpicula mentem.
Si quid opinari tamen & contendere malis;
Elige, Pythagoræ ſemper florentis, amesne
Carteſii mage clara ſequi vexilla recentis;
Hoc eſt, aut nullas brutis tu præfice mentes,
Aut incorporeas: media, quæ forte placeret,
Non licet ire via: niſi vis te credere neutri;
Atque feris demum tenebroſa in nocte relictis,
Humanam ex ſe ipſa tantum diſcernere mentem.

Si quis, ut aſſiduo maris unda reciprocet æſtu,
Preſſura fieri lunæ, tibi forte negaret;
Idcirco, quia luna ſuos habet & maris æſtus;
Tu reſponderes, prius hoc utrumque probandum,
Et pontum in luna, & ponti revolubilis æſtus.
Diceret; at luna eſt, ut fertur, Olympia tellus,
Omnia perſimilis noſtræ: quodcunque videtur
In noſtra, hoc etiam cenſeri debet in illa:
Argueres in eo diſcrimen poſſe putari,
Res quoniam nondum ſatis explorata profecto eſt:
Si tamen in luna reperitur & æſtuat æquor,
Preſſura id noſtræ pariter contingere terræ.
Quid prodeſt igitur brutorum inquirere ſortem,
Cum noſtra ſit nota minus, totieſque probatum
Jam fuerit, ſi mentem habeant ſimilem omnia noſtræ,
Ergo incorpoream ſimili ratione futuram:

Si careant, nihil hoc ad nos ſpectare, proculque
Diffugere exemplum: atque adeo tela omnia contra
Obniti, firmamque ſuis perſtare columnis
Doctrinam, quæ materiem in ſua ſepta coërcet,
Ac mentis naturam à corpore ſegregat omni.

Sed quod bruta probant nobis animalia vere,
Quin & demonſtrant liquido (neque enim irrita noſtris
Obvenere oculis) unum eſt, dulciſſime Quinti,
Eſſe Deum quo ſe, ſint qualiacunque, tuentur
Auctore; eſſe Deum quo ſe motore gubernant.
Ecquis enim, cum ſint partim diverſa ferarum
Officia, & partim cunctis communia brutis,
Hic non agnoſcat mentis veſtigia ſummæ;
Muneribus propriis, quæ propria fingere novit
Organa, communes tribuit communibus artus?
Nam caput eſt cunctis; ſunt fauces, viſcera, nervi;
Eſt cor, & eſt aliquis, quo moles tota rigatur,
Corde means remeansque liquor; ſunt denique partes
Gignendam ad ſobolem, & gemini diſcrimina ſexus.
Omnia quandoquidem ſunt & ſibi vivere nata,
Et multos ſimileſque ſui progignere fœtus.
Sed quia ſunt ſtudiis ac toto diſſita victu
Plurima, quæ varias referunt animalia formas,
Diverſaſque plagas cœli, telluris & undæ
Concelebrant; illis diverſæ membra figuræ,
Omnibus at proprios accommoda cernis ad uſus.

Diſperſum late genus adſpice pennipotentum.
Eſt illis quærenda procul, ſparſimque per agros,

Aut

Aut per aquas, aut ingentis per inania cœli,
Arboribusve ſuper ſibi congrua copia victus:
Stant pennæ duplices, validique hinc inde lacerti;
Queis innaſcentes plumas, & ponderis æqui
Remigia in numerum poſſint agitare per auras:
Caudaque flexibilis, motum, ceu temo, gubernans.
Inter aves, multæ, queis fructus ſordet agreſtis,
Vivere habent rapto: ſunt illis omnibus ungues
Armigeri & gladiis immania roſtra recurvis,
Robuſtum femur, & duratum ad prælia pectus.
Sunt, quæ nocturno venari tempore debent;
Propterea quod præda ſibi magis apta, ſuisque
Fœtibus, e terra nocturnis exit in horis;
Illæ nec ſolis radios, nec telâ diei
Lucida ferre queunt; ſomno, latebrisque ſepultæ
Sub tectis habitant, aut inter diruta ſaxa;
Et caligantes oculos dum lucet, in umbris
Argutos, eſcam facile ut diſcernere poſſint,
Et pedibus vix robur habent, ac debilis alæ
Momentum aëriis quoniam vacat hoſtibus hora.
Invenies quaſdam, quibus eſt ſua nare voluptas:
Ecce pedum digitos jungit membrana patentes,
Ut jaciant retro fluctum, & ſe remige planta
Promoveant; non eſt aliis ea præbita virtus.
At mergis ovata via eſt, qua ſanguinis humor
Intacto pulmone ſubit directus aortam;
Dextro duntaxat, non lævo corde receptus:
Quam ſub aquis manſere diu, ſpirabilis auræ
Expertes vivunt: fœtus quoque vivit ut omnis,
Dum jacet occluſa gravidæ genitricis in alvo.

Inſuper hoc etiam proviſum eſt, omnis ut ales
Undarum civis, roſtrum pinguedine quadam
Præferat imbutum, quo fultas vellere denſo
Sæpe linat plumas, oleoſo glutine inungens;
Ne rorem accipiant inimicum, aut frigidus humor
Trajiciat pellem madefactam, & viſcera lædat.
Exſortes nandi quædam piſcantur in undis:
Adſpice ut erecto ſunt corpore, cruraque geſtant
Ardua præ cunctis animantibus; oraque tendunt
Grandia procero longe pendentia collo.
Nimirum quia cœnoſas plerumque paludes
Inter, & irriguas valles ac littus oberrant:
His, ne mergantur penitus, tribuenda fuerunt
Subſidia; ut cœno in medio ſpecubusque latentem,
Quæque ſuam effodiat prædam, ſuperedita lymphis.
Jam queis nare datum, ſecus undam ſemper in alga
Nidificant; quarumque valent incedere pulli
Naſcentes, hæ ſemper humi; ſed ſemper in altis
Arboribus, quarum pulli naſcuntur inertes:
Unde inhiant patuli, & victum clamoribus orant:
Semique cocta ferunt illis alimenta parentes;
Propterea nacti turgentem in gutture ſaccum.

Sic aliter piſces, aliter conchylia vivunt,
Utunturque cibis aliis, diverſaque longe
In pelagi campis habitant loca: namque profundum
Pars colit, antraque vaſta & inacceſſas convalles:
Pars hæret ſcopulis, aut ſalſam ſpargit arenam:
Hic ubi candeſcens infractis fluctibus æquor
Deſinit, ac bibulum lavit unda reciproca littus.
Verum hoc mirator, Quinti, quod ſquamiger omnis

Pe-

Pectore veſicam ſemper gerat, aëris aura
Turgentem; levior qua factus, abire per omnes
Poſſit aquas, longe & late, circumque ſupraque,
Atque altos penetrare lacus, & corporis udi
Flectere ſecurus, pinniſque agitare carinam.
Qualis ubi primos pubes ignara natatus
Exercet, timidoque gradu cava flumina tentat:
Fune revincta levi pendet juvenilibus ulnis,
Et rude ſuſtentat ventoſa curcubita pondus.
His quoque folliculi ſub gutture, mille plicatis
Contexti foliis; quos oſſea lamina duplex
Protegit inflectens, ut aquæ de corpore, quidquid
Aëris eſt, jugi percolatum exprimat hauſtu.

Singula quid narrem? vel quot diſcrimina rerum
Fluctivago ſint in populo? ſunt inter & ipſas
Quadrupedes: & cuique ſuis pro moribus aptæ
Sunt partes. Nam quæ frutices & gramina carpunt
Illis abraſi dentes, ac forficis inſtar,
Ut ſegetem tondere queant; inſtarque molarum,
Sunt quidam interius poſiti, queis frangere poſſint
Inciſam, & ſapidos attritu extundere ſuccos.
At queis dat laniena cibum, ſunt undique raſtris
Falcatæ fauces; eſt unguis aduncus & ingens;
Ut lacerent carnem & valeant diſcerpere fibras.
Radices herbarum ac tubera mandere natus
Præduro ſiccam roſtro, ceu vomere terram
Sulcat aper, ſaltusque omnes pernoctat arando;
Perque diem ſolet in ſpurcis recubare lavacris,
Et fruitur læto cœni graveolentis odore.
Nec non et variis vitæ tutamen in armis

Eſt poſitum: quæ ne percurram ſingula, cernas
Inſectis levibus quam fortis aculeus inſit:
Cornua quam multis, & quam variata gerantur
Hiſtricumque genus, membrum quibus omne pharetra eſt.
Ungula tum ſimplex aut fiſſa eſt pluribus, & non
Pro ſolea tantum, ſed ut hoſtem calce repellant.
Sunt clypei Crocodilo, aliis ſunt piſcibus enſes.
Et quoniam cancri ſub ſidere natus iniquo
Arduus & tergo & longa cervice camelus
Æthiopum ſequitur toſtas Arabumque cohortes,
Et grave geſtat onus ſitientes inter arenas;
Quo non irriguis deſcendunt collibus amnes,
Nulla palus, nulli dant potum e nubibus imbres:
Idcirco cellas alvo anteriore capaces
Accepit, ceu plena cadis alvearia, ſolus;
Quæ ſervent hauſtam raris e fontibus undam,
Atque monente ſiti reparanda in viſcera reddant.
Haud ſecus, ac fructu ſublimis carduus hirto,
Qui medios inter lapides tophumque vireſcit,
Nec ſat jejuna trahit e radice liquoris;
Emittit bibulas ipſo de caudice frondes,
In quibus, ut labris totidem, ſe roſcida cogit
Stilla novo delapſa die, ſtagnansque moratur:
Arentem ut foveat, ſenſimque refrigeret herbam.
Hæc non fortuiti occurſus, non vincula cæca
Condere, non fictæ vires quæcunque putentur
Eſſe in materiæ ſumma, potuere movendo.

Nam quod ab inventis hominum, quod ab artis opella

Natu-

Naturæ ſecernis opus, quaſi condita caſu
Fabrica ſit, noſtra quæ non imitabilis arte,
Mortalis longe ſuperat miracula niſus;
Quodque doces nullo compagem fine creatam,
Membra nec ad proprios inſtructa ſagaciter uſus;
Verum materiæ tandem glomeramine cæco
Eveniſſe, homines ut conſpicientia nacti
Lumina, conſpicerent; quoniam prius illa fuerunt
Condita, quam notus cuiquam foret uſus eorum:
Num rides, Quinti! Belle haud humana fuiſſe
Hæc inventa probas; at nulli debita menti,
Nequaquam. Sic ſunt gregibus conſtructa fovendis,
Non ovium, aſt hominum certa præſepia cura,
Ne rapiat lupus, aut cœli inclementia lædat.
Nec ſine conſilio nidum mox ipſe putabas,
Surgere perdicis vel hirundinis. Inde triumphans
In brutis animum, noſtri ſimilemque volebas.
Organa perdicis tu vero & hirundinis ipſa,
Quæ nidis longe præſtant, nidoſque laborant,
Ipſe tibi pugnans temere emerſiſſe putabis?
Dic igitur pontem hunc, quo latum trajicis amnem,
Non opera factum, aut ſtudio; ſed ſponte fodinis,
Ex improviſo lapides veniſſe reciſos,
Et palis ultro in terræ fundamine fixis
Incubuiſſe ſimul, curvatiſque arcubus alte
Suſpendiſſe ſolum atque viam feciſſe per auras,
Et fluvio impoſuiſſe jugum, ripaſque remotas
Transverſo ductu & ſolidis junxiſſe catenis.
Dic quoque belligeras non unquam in littore claſſes,

Exſtructas; ſed forte ſuis de montibus actum
Deſcendiſſe nemus, nullique dolata coiſſe
Ligna, nec admotas olim perpeſſa ſecures,
Dic tabulas trabibus ferrum intricaſſe ſupinas,
Non miſſum incudi, nulla fornace recoctum;
Inſectos etiam funes, inſectaque malis
Lintea ſe motu proprio applicuiſſe repertis.

Sed quid ego hæc multis nequicquam? Talia fanti
An foret in cerebro quidquam ſalis? Ocius ergo
Deſine tot furiis agitari, ut credere pergas
Nil factum in brutis aliqua ſine mente, niſi ipſa
Corpora brutorum: quæ ſive carentia ſenſu,
Sive inſtructa putes, mirare & numen adora.

ANTI-

ANTI-
LUCRETIUS,
SIVE
DE DEO ET NATURA
LIBRI NOVEM
AD QUINTIUM.
LIBER SEPTIMUS.

ARGUMENTUM.

Ad demonſtrandam divini artificis manum, jam ab animalibus ad ſemina progreditur: a v. 1. ad v. 30.

Exagitat ridiculam Epicuri de ortu primaque nutritione animantium opinionem: a v. 30. ad v. 154.

Ariſtotelis formam artificem explodit: a v. 154. ad v. 200.

Probat ſemina caſu nec fieri, nec fœcundari potuiſſe: a v. 200. ad v. 261.

Deſcendit ad Epicuri & aliorum Atheorum ſententiam de generatione animalium, quam per ſolas motus leges explicari non poſſe affirmat: a v. 261. ad v. 342.

Ut oſtendat non ſine opificis induſtria fabricatam hominis machinam, in ejus deſcriptione immoratur: a v. 342. ad v. 745.

Tranſit ad bruta, tum minora, tum majora: quorum primum ſemen nec a ſeipſo, nec caſu factum eſſe demonſtrat; ergo a mente aliqua, eaque ſumme perita: ea æterna eſſe non poſſe: a v. 745. ad v. 921.

Ex conſtanti generationum ſimilitudine earumque arte eximia probat, ſemina niſi a cauſa provida, communi, valida & æterna formari non potuiſſe: a v. 921. ad v. 1006.

Semina omnia animalium cujuſque generis in primo animali concluſa fuiſſe: in maribus prolem contineri: a v. 1006. ad v. 1120.

Exponit cauſam infœcunditatis eorum animalium, quæ ex gemina ſpecie conflantur: a v. 1120. ad v. 1182.

In feminis nil niſi ſeminis nutrimenta ineſſe confirmat; inſitam propagandæ ſobolis curam; innatum animalibus ſemen, in eoque tuendo Providentiæ diligentiam oſtendit: a v. 1182. ad v. 1355.

Supra fidem non eſſe tantum ſeminum numerum tantulo ſpatio contineri demonſtrat exemplo florum ac plantarum: a v. 1355. ad v. 1400.

In cunctis vegetabilibus generis ſui ſemina ineſſe; hinc cauſam ſterilitatis & fœcunditatis explicat: a v. 1400. ad v. 1472.

Suos eſſe in ſeminibus fœtus, ſua in fœtibus ſemina probat: exponit cur plantæ quædam ex ramo aut radice repullulent; cur inſitione fœcundentur; ex ſeminibus oriri eas ipſas, quæ ſponte ſua ac temere oriri videntur: a v. 1472. ad v. 1609.

Nulla animalia niſi e conjugio orta eſſe, præter unum cujuſque generis, in quo Deus totum genus primo condidit: a v. 1609. ad finem.

DE SEMINIBUS.

Hactenus auctorem rerum ſat multa probarunt;
Nullaque fortuitis atomorum nexibus eſſe
Corpora conſtructa; & per ſe conſiſtere nullam
Materiem, per ſe nullam potuiſſe moveri.
Vidimus & ſpecies viventum animataque regna;
In quibus eſt operis major ſolertia, mentemque
Arguit artificem doctus labor: unde parentem
Eſſe Deum pariter vocalia mutaque clamant.
Id tamen evincunt multo mage cognita rerum
Semina: ſi attendas, quo vere ſingula pacto
Gignantur; poſſintque homines, & ſæcla ferarum,
Et plantæ, & quidquid fabrefacta per organa vivit,
Perpetuum reparare genus; ſemperque recentes
Conſumtis patribus detur ſuccedere natos:
Unde fit interitus ortusque reciproca quædam
Æternum ſeries; & eunt redeuntque viciſſim
Ex rebus non iiſdem, eadem ſpectacula mundo.
Quales usque cavis amnes volvuntur in alveis,

Haud

Haud ſibi diſſimiles, alii tamen; atque perenni
Defluvio properant magnum deſcendere in æquor:
Nam ſequitur fugientem unda & fugit ipſa ſequentem.
Sic fluit in terris generum fugitiva propago;
Summaque viventum (quamvis juveneſque ſeneſque
Nocte dieque cadant inimica falce reſecti)
Labitur & perſtat, pretioſi ſeminis uno
Auxilio: ludens in quo mens ſumma creantis
Contrahit immenſas artes, ſoboliſque futuræ
Celat inexhauſtas promitque in ſæcula gazas
Provida: divinæ ſpecimen mirabile dextræ.

Pulchra quidem ſuper his Gargettius ille, magiſter
Humani generis; qui, Muſa teſte Lucreti,
Unus naturæ fontes portasque recluſit;
Usque adeo, ut cauſæ tam clara in luce patentes
Non poſſent grato ſine quodam horrore videri:
Imo non ſine contemtu delira canentis.
Scilicet ut veteres jam tum ad mendacia proni
Grajugenæ, cœno e calido Pythona tremendum
Emerſiſſe ferunt, jaculis quem ſtravit Apollo:
Sic ore audaci non degener ille docebat
Fortuna cecidiſſe, ut, decedentibus undis,
Enatas quondam tota in Tellure paludes,
Aſſiduus Phœbi ſenſim caleſecerit ardor;
Atque ita viventum parili genera omnia fundo
Prodierint: muſcæ primum culiceſque moleſti,
Facturæ levioris opus; dain ſecta volantum,
Reptiliumque & quadrupedum; quos inter & ipſe
Venerit ortus homo rationis lumine pollens.
At notas præter ſpecies, quas eſſe videmus

In

In mundo, multæ conſurrexere ſub auras:
Caſus enim quid non peperit? Sed protinus illas
Exſtinxit ſobolis defectus, & ire coëgit
In tenues atomos, veluti radice reciſa:
Fœcundas quoniam caſus non fecerat. Illæ
Manſerunt tantum, queis tunc genitalia ſorte
Organa contigerant, Venerisque innata cupido.

Sed quales quantosque homines hoc more profudit
Terra parens? Minimos, inquit, ceu naſcimur omnes:
Nam generum cunctorum exordia parva fuerunt.
Unde igitur victum carpebant? Hic Epicurum,
Se majorem ipſo & pictoribus atque poëtis,
Admirare: minor fingendi namque magiſter
Hoc intricatus laqueo victusque ſileret.
At non ille ſibi fidens, atque ora pudori
Semper inacceſſus: promto nodum enſe ſecabit.
Provida nimirum pueris naſcentibus almos
Eximii fontes lactis fortuna pararat,
Qui cœno e medio paſſim hinc atque inde fluebant.
Illi erumpentes, ac ſponte in labra jacentum
Delati, fauces internaque viſcera, quantum
Sat fuit, attenta melius nutrice rigarunt.
Sic homines, agnos inter mitesque leonum,
Primitias, ab humo vitam ſuxere tepenti.

Verum æque liceat, luſit quos Græcia nugax,
Credere diluvii natos e pinguibus angues
Relliquiis; forteſque viros, & in arma ruentes
Erupiſſe ſatis Cadmei dentibus Hydri;

Aut

Aut lapidum jactu gentis primordia noſtræ
Deucalioneis quondam inſtaurata ſub annis;
Terrigenasve polo minitatos bella gigantas:
Vel formicarum genitos prægnantibus ovis
Myrmidonas, cum ſupplevit pater Æacus urbem,
Peſtifero viduatam odio Junonis iniquæ;
Vel patrem Phœnica ſui Nabathæa per arva
Ferales myrrha & nardo contexere cunas;
Aut Jovis e cerebro cataphractam exiſſe Minervam;
Aut ſpumis comtam Venerem emerſiſſe marinis,
Quam Cypros excepit; vel Pygmalionis amore,
Indita marmoribus gratæ ſpiracula vitæ.
Scilicet impietas in eo (cum cetera pugnent)
Atque ſuperſtitio concordant, ut per aniles
Utraque fabellas commentaque ludrica ſe ſe
Protegat; indignosque ſibi mendicet honores.

Nempe tuam hic fas eſt præſertim, incredule Quinti,
Appellare fidem. Credis tot vana canenti,
Et dubitas, moroſe, ſequi tot vera probantem!
Quid mihi nunc adeo manifeſtum exſtinguere numen
Conatus, ridenda ſimul deflendaque monſtra,
Terreſtres uteros, limoſaque ſemina ponit,
Ceu fungis ac tuberibus, nimis ille Poëta
Fertilis, & mammas lutulento lacte fluentes;
Opportuna forent teneris ut pabula natis?
Cur autem expreſſo tellus emerſa liquore,
Solis ab adſpectu fœcunda tumeſcere cœpit;
Et non acceptos dignata eſt reddere fœtus:
Ante ſua vi parturiens, enixaque prolem,

Quam

Quam gravida; & nutrix, ulli quam nupta marito?
An lapſi madidæ radii telluris in alvum
Semina Phœbeo de corpore fuſa tulerunt?
An ſol tot rerum ſpecies meditatus opimas,
Alvos femineas in molli vinxit arena?
Jam ſol eſt igitur Deus: en tibi Graius Apollo,
En genitor Phaëtontis, & Oceanitidis hoſpes,
Nunquid & omniparens fœtus jam terra tenebat
Commiſſos gremio, ſolis quos eruit ardor?
En tibi magna Deûm genitrix: Idæa virago,
Quæ miſerum nimiis vexavit amoribus Attin:
En Cybele mera, quam bijugi vexere leones
Montibus in Phrygiis, corybantiaque æra ſonabant.

Sed quis eos fœtus ipſa in tellure creavit?
Vas eſt, non opifex. Hic te tua fabula fallit,
Et jugulat. Quo conſilio, qua mente ſubortis
Lac tempeſtivum, cujus de munere fluxit?
Nam ſi lactis inops veniſſet lucis in auras,
Maxima pars animantum eheu! vix nata periſſet:
Sugere nec limum poterat, nec mandere gramen,
Nec vento ſaturari, aut puro lumine ſolis.
Impietas huc usque virum inſanire coëgit!
Numine deſtructo, fortunæ tradidit amens
Numinis officium! Quam prudens, quamque benigna
Hæc fortuna fuit! Quæ munificentia major,
Aut quæ cura magis materna in rebus alendis!
Qui talem agnoſcit caſum, non indiget ullo
Numinis auxilio: quin caſum haud eſſe fatetur,
Invitusque Deum commentis ponit in ipſis.

Sed cur hæc præcluſa via eſt; nec jam amplius ullæ
Conſurgunt ab humo pecudes, hominumque catervæ?
Quæ nova tam ſubito pariendi invertere ritum
Vis potuit; Terramque jubens ſterileſcere, ſolis
Aut referans vegetabilibus, nunc omne creandi
Officium in ſpecies animantum tranſtulit ipſas:
Et cunctas ideo ſexus diſtinxit in ambos,
Ut nec terræ opera deinceps nec ſolis egerent?
Nam ſi fortuito naſcuntur ſingula caſu,
Ac temere & ſparſim jacto per inane quietum
Seminio; totidem viventum de genere omni,
Nunc atomos & in hæc concreſcere corpora ſuetas
Terra premit, quot tunc primum exſiccata premebat.
Nullum animal tamen effœtis nunc prodit ab arvis:
Nec ſub utroque polo, ſoles ubi, nocte fugata,
Semeſtres; nec ubi ſolis violentia torret
Suppoſitam regionem & in auram ventilat agros.
Sunt hic atque illic vada, flumina, ſtagna, paludes;
At nuſquam viſa eſt animal progignere tellus.

Jam quod Ariſtotelis docuit ſchola, corporis omnis
Materia ſimul ac forma conſiſtere ſummam,
Nil aperit de ſeminibus, nil explicat, unde
Mens illuſtrari & verum cognoſcere poſſit.
Materiem certe primam nihil eſſe fatetur,
Præter id omne quod eſt formas verſatile in omnes,
Per ſe nudum & inops, ita ſemper ut appetat illas:
At formam, id privum quo definitur habetque
Materies, ut ſit talis taliſque vocetur;
Reginamque animamque rei; verumtamen ipſa
Natam e materia, qua dilabente necatur;

Qua ſine adhuc nihil eſt, quamque ambit amica viciſſim:
Mutua conſortes adeo conjungit egeſtas.
Atque ita ſeminibus dominari & præeſſe regendis
Formam imitatricem genii, ac bene cuncta moventem.
Hæc fuit antiqui celebris doctrina Lycei;
Quam renovare velint, quibus hæc natura vocatur
Plaſtica: ſi vere potuit doctrina vocari,
Quæ cum nil doceat, ſemperque relinquat in umbris
Rem ſibi propoſitam, tum ſtulta & inania prodit
Somnia: namque modis rerum ſub nomine formæ
Plus nimio tribuens, phyſica in moralia vertit;
Ac ſtupidis animum, & teneros concedit amores.
Nec reſerat quare, ſeu qua vi, neſcia forma
Quid ſit opus, mira tamen hoc opus arte laboret.

Sed mentemne opifex habet hæc mirabilis, an non?
Nam ſi mente caret, qui tot miracula promit?
Si mens eſt, noſtræ ſuperat molimina mentis?
Quanquam etenim aſtronomus regiones ætheris altas
Deſcribat radio, & lunam ſtellasque ſequatur;
Quamvis ædificare domos, munimina, pontes,
Gens hominum, parvoque imitari pulvere fulmen,
Et rigidas cautes, & propugnacula firma
Rumpere, & in muros jaculari incendia norit:
Vel trabibus junctis ignotas quærere terras,
Longe per medias hiemes, trans æquora magna;
Eſt tamen in tenui major ſolertia grano:

Formaque lenticulæ radicem extendere campo
Docta ſuam, & foliis ramos redimire biſulcis,
Digeſtasque ſimul varias includere lentes,
Cuſtode in ſiliqua, totis præſtabit Athenis,
Et me judice erit, quam Porticus atque Lyceum,
Et quam mortales cuncti ſapientior una.
Verum aliquid fas eſt erranti ignoſcere turbæ;
Quæ dum opus artifici tribuit mirabile formæ,
Saltem in eo ſtudium quoddam perſenſit & artem.

At miror ſublimem animum mentemque Epicuri,
Singula qui longum meditatus corpora, clauſit
Ipſe volens oculos & lumen ſponte refugit:
Numinibus quando ſecura in pace relictis,
Fortunam cauſas mundi congeſſit in unam;
Cœteraque exorto ſemel advenientia mundo
Sic fieri dixit, quoniam ſic contigit eſſe
Complures atomi certa ut de claſſe coirent;
Proindeque ſeminibus naſci ductore ſine ullo
Res cunctas, pariterque ex cunctis ſemina rebus;
Non ex propoſito, vi tantum atque impete motus.
Hoc etenim diſtant Epicurus Ariſtotelesque,
Totius quod curam operis ſtudiumque regendi,
Hic daret effecto, quod vel cauſæ ille negavit.

Sed non expediit ſuperûm contemtor, & olli
Carmine mellifluo ſuffragans muſa Lucretî,
Quare nos miſeri, quorum obſcuratur opaca
Mole intellectus, nec ſe caligine ſolvit,
Nil agimus ſine conſilio, ſine mente, ſine arte;
Seu veſtem induimus, ſolita ſeu veſcimur eſca,

Seu

Seu legimus, canimusve, placet ſeu ſcribere verſus,
Aut ſerere, aut plantare, aut glebam findere aratro,
Et conſcendere equos, venari, ludere, fari,
Pingere; quid memorem clarorum geſta virorum,
Et belli paciſque opera, artificumque labores?
Maxima naturæ dum ſe miracula produnt
Sponte ſua, ſine conſilio, ſine mente, ſine arte.

Dicere me memini, navis cum inſtructa videtur,
Quæ mare velivolum ſecat acta faventibus auſtris,
Nullum, obſervata compage ac mole ſuperba,
Corporis in pelago, diverſa per organa moti,
Et partis cuiuſque ſitu, ratione, figura,
Non miraturum ſubito portenta fabrilis
Inventi; quo ſunt tot concinnata tigilla,
Tot diſpenſati funes ſuſpenſaque vela,
Tot mali erecti, tot in unum denique juncta,
Et caſus contra tot mente parata marinos.
Addidimus fore dementem, quicunque negaret
Auctorem navis, ſed concurrentibus ultro
Partibus enatam & tabulatis forte coactis
Diceret. Ecce vides Atheorum abſurda; ſed ad rem
Quo magis id noſtram faciat, quoque acrius illos
Urgeat exemplum; fas ſit mihi fingere quædam.

Hæc navis proprio ſi fœcundata marito
Naviculam pareret, quales laquearibus altis,
Templorumque tholo ſuſpenſas ſæpe videmus;
Aut quales manus artificum ingenioſa polivit,
In tenui formans operum exemplaria buxo:
Tune admirandam prolem hanc, Epicure, negares

Deberi ingenio, & mentis partum eſſe ſagacis?
Quin imo & mentis magnæ multumque potentis
Argumentum eſſet. Navis tamen ampla ſupellex,
Vel quæ mille viros triplici ſub tegmine geſtat
Annonamque ingentem, & centum faucibus æneis
Neptuni imperium atque hoſtilia littora terret;
Vel quam mendaces Danai finxere loquacem,
Semideosque tuliſſe duces in Colchica regna;
Haud æquare poteſt rerum viliſſima quæque
Semina, ſtructuræ pretio: queis conſtat ineſſe
Corpora non tantum primo ventura, ſed ipſos
Natorum natos, & qui gignentur ab illis.

Hæc Epicureos habuit ſententia fallax,
Temporibus certis exortum in corpore ſemen,
Sanguinis aut ſucci partem vegetabilis eſſe
Deciſam, & membris collectam ex omnibus una
Confluere, inque novum ſenſim coaleſcere corpus:
Ex oculis oculos, ex oſſibus oſſa creari.
Huc referunt, natis quod imago expreſſa parentum
Sæpe reviviſcat; nec tantum forma colorve
Corporis aut habitus, morum ratio ipſa modusque:
Hinc ajunt, ſi quæ cerebrum prægnantis acute,
Perculerint, alto tectam ſub fornice prolem
Commaculare ſolent; tenera cute pingitur illud,
Quod timuit mater, ſeu quod vehementius arſit,
Impos *Phantaſiæ*; verſa quin ſæpe figura,
Degenerant molles in monſtra perhorrida fœtus.

Aſt alii ſolas per motus denique leges
Contendunt fieri ut proles formetur; & ajunt

Ma-

Maſculà femineis fuerint cum ſemina miſta
Seminibus, gemino fingi de plaſmate prolem:
Pharmaca ceu duplici fiunt medicamine; ſicut
Panem ex fermento facimus piſtaque farina;
Utque fabri conflant binis electra metallis.
Hæc igitur moles, illis ſi credere fas eſt,
Quam genitalis inît fœcundæ ſpiritus auræ,
Motibus internis agitatur & excita fervet;
Prægnantiſque uteri calida fornace tumeſcens,
Organa paulatim, ſe ſe in diverſa movendo,
Digerit, & formas membrorum ſuſcipit omnes.
Haud aliter ſane, quam ludicra tollitur arbos,
Concolor argento (Dianæ ars chymica dicit)
Mercurio compacta mero, ſalibusque ſolutis;
Quorſum ita commiſtas partes ſurſum erigit ignis,
Ut ſimulent terreſtre ſolum truncique columnam,
Atque in frondentes poſſint adoleſcere ramos.
Ergo, ut per tubulos tenuatur ductilis auri
Maſſa, venitque foras in fila minora capillis,
Sic etiam ſatis eſſe putant, genitricis in alvo
Si formæ quædam fuerint certique canales,
Queis percolatum ſemen fingatur in artus.

Sed longe diverſa animati, animave carentis
Corporis, eſt natura. Poteſt argentea fingi
Mercurio ſalibusque ſimul ferventibus arbos,
Extima duntaxat, ſed abeſt tamen intima plantæ
Fabrica; non radix, non fibræ pomaque ramis
Pendula; non cortex, teneræ non theca medullæ;
Denique non ipſis ſunt indita ſemina pomis:
Arboris effigies, non arbos. Sic quoque in agris

Saxa leges prunum atque pyrum mentita, vel intus
Perſica quæ referant lapidoſo corpore mala;
Tales & pepones Carmelo in monte videntur;
Naturæ, ut perhibent, ludibria vana jocantis.
Quod vero ſubtile tubis deducitur aurum,
Jam factos probat eſſe tubos, formamque magiſtræ
Mentis opus. Poſitis promtum eſt cognoſcere formis,
Quo ſe ſe in lucem molimine corpora prodant,
Et veterem invertant, forma cogente, figuram
Non mutatur enim contextus particularum,
Et nihil interius geritur: ſed cudere prolem
Hic labor eſt: neque ſufficiunt jam ſtructa parentum
Corpora, quæ ſolas poſſunt præbere figuras,
Partibus externis: internas quæ manus ergo
Perficiet, natumque dabit ſimilem eſſe parenti?
Forte oculos oculi facient? Epicurus ut olim
Tradiderat? pars quæque ſui compendia mittet;
Qui poterunt igitur cæci generare videntem?
Et manci aut mutili propriis dare brachia natis,
Cruraque? tum lectos in matre quis ordinet artus,
Quemque ſua ſtatione locans? Ni fiat, aperte
Cernis non hominem, ſed jam chaos eſſe futurum.

Ergo animal, gemmæ ſi foſſilis inſtar & auri,
Congeſtas uno tantum glomeramine partes,
Contextum vel aquæ, vel ceræ mollis haberet;
Hæc, cum non alio diſcrimine copora pugnent
Inter ſe, niſi quod denſis minus aut mage conſtent
Principiis, (nam ſunt alioqui neſcia vitæ,
Neſcia prodendæ ſobolis, ſed inertia torpent)
Tunc certe, non inficior, gignuntur ut illa,

Sic animal gigni; & ſenſim concreſcere poſſet:
Nimirum adductis hinc inde; ad rite locatis
Particulis; pulſoque procul quodcunque noceret;
Apte ad vim motus, concordanteſque figuras.

At ſecus omnino ſe res habet. Organa quippe
Fert animal ſecum, quæ ſi non intulit alvo
Materni ad generis normam conſtructa: neceſſe eſt
Artificem eſſe aliquem latebroſo in corpore matris,
Qui totum diſponat opus; figuloque magiſtro
Doctior & Graiis ſculptoribus atque Minerva,
Non extra ſolum poliat, tornetque figuram,
Sed ſtruat interius, quidquid vitamque genuſque,
Et motum & ſenſum, atque affectus procreat ipſos:
Qui ſciat e craſſis fabricari partibus oſſa,
Vivæ tigna domus, & ſuſtentacula molis:
Interſecta quidem, valeant ut momine flecti;
Atque tamen rigida in ſe ſe firmique tenoris,
Contineant proprio fluxas ut robore carnes;
Talibus at vinclis inter ſe juncta viciſſim;
Molliter ut convexa cavis inſerta rotentur.
Qui poſita quaſi libella, ſtaticeſque peritus,
Impediat ne pars præponderet altera, verum
Conſtituat cunctis æquabile fundamentum.
Qui ſciat ad totam componere ſingula molem,
Atque intus liquidæ nidum terebrare medullæ.
Articulos plantamque pedis, cui tibia duplex
Inſeritur, finget: ſimplex femur inſuper addens
Suppoſitum toti maſſæ, curvoque ſedili.
Quidquid & una ſibi, pars æmula ſemper habebit
Vertebras etiam tergo a cervicibus altis

Producet, quo ſe cerebelli ſuccus inundans
Abſcondat loculis. Coſtas utrinque repandas
Adjiciet, quas flexibiles paulum eſſe jubebit:
Pulmonum ne ſpongiolis, quæ ducere debent
Ac reflare animam, deſit locus. Inde patentes
Hinc atque hinc humeros, humeris pendentia nectet
Brachia. Sublimem vero quaſi corporis arcem,
Conſutis varie teſtis, duplicique tabella
Compactis, vas efficiet, cerebroque dicabit.
In quo molliculæ glandes e ſanguine ſugant
Cœleſtes animos, nervis qui deinde vehantur.
Qualis ubi ſtridens pyrio de pulvere flamma
Surgit, & ignitos deſcribit in aëre tractus,
Liquitur in ſtellas & cœlo effuſa coruſcat.
Plurima ſed caveat, ſedes cum naribus aptas,
Atque oculis fodiet: cribroſum naribus ille
Os faciat, patulumque in gutturis antra meatum,
Quo duci & reſonare queat ſpirabilis aura.
Ille cavos oculis orbes, coni inſtar acutos,
Scilicet, ut junctim & facili conamine poſſint
In lævam & dextram, & ſupra ſubtusque moveri.
Quin etiam prudente manu doctoque labore
Sunt terebrandæ aures; ubi tympana tenſa neceſſe eſt
Pulſari, aptarique viam advenientibus auris;
Ut ſonitus dextre tornata foramina velox
Pervadat, cochleiſque intromittatur apertis.
Quid memorem gemino de cardine? Firmiter hærens
Quo maxilla ſuperpoſitæ, tamen una movetur.
Quid de gingivis dicam, queis candidus ordo
Dentium implantatur duplex, creſcitque caditque,
Exoriturque iterum proprio de ſemine naſcens?

Oſſea

Oſſea compages igitur, vel nuda, tot in ſe
Continet ingenii monumenta operæque ſagacis,
Ut nihil auctoris demonſtret clarius artem.
Ergo, ſi facta eſt primum genitricis in alvo
Informi de materia, qui fecerit, illum
Vulcani ſimilem, ſtatuas qui juſſa Deorum
Sponte faceſſentes, auro conflarat & igni;
Quin & Vulcano multum præſtare neceſſe eſt.
Munia membrorum nam quot prævidit & uſus!
Ut ſtuduit membris habiles aptare columnas,
Quot variare modis! Quæ binis oſſa parabat,
Bina hic atque illic formaque polivit eadem;
Et quæ ſimplicibus, medio hæc in corpore fixit.
Jamque ut promineant quædam, interiusve recedant,
Adſpice; qui levor multis, non nulla quibusdam
Aſperitas; parvis cuncta ut perfoſſa cavernis,
Ne varios motus nimia gravitate retardent.
Quo mirere magis, Quinti, per fragmina multa,
Hoc totum conflatur opus, par omnia certe
Muſivo. Siquidem pars ex ſe nulla cohæret
Vicinæ; quæque eſt ſeorſum finita; ſed omnes
Vel commiſſuræ, vel clavi, aut vincula jungunt:
Quæ loca par oleo ſemper levis humor inungit.
Tale ſibi vel Praxitelis vel apellis Alumni
Ante oculos ponunt e ligno flexile ſignum;
Naturæ ad legem expreſſis ut motibus omnes
Corporis humani poſituras fingere poſſint.

Quocirca motus videas, haud legibus ullis
Hanc fieri potuiſſe ſtruem. Nam corpora partes
Continuas habeant ſic informata, neceſſe eſt.

Vi motus utcunque poteſt adoleſcere ramus,
Qui dein fuſtis erit; ſed non agreſte flagellum
Fuſtibus e geminis conſtans, quorum alter habetur
Agricolæ manibus, ſegetem dum verberat alter,
Aëra per medium volitans, graviorque relapſu;
Quo ſpicæ frugem emittunt; ſtipulæque reſultant.
Nulla igitur vis mente carens diſponere talem
Ex ſe ſe valuit fabricam. Mens unica proinde
Totius cauſa eſt fabricæ. At te judice, quæ mens?
An matris? ſæpe eſt conceptus inſcia mater;
Inſcia quî cæca creſcat tener hoſpes in alvo.
An fœtus? Ergo ipſe ſibi ſua membra perite
Conſtrueret! Certe matre eſt indoctior ipſa.
Mens tamen hæc fecit. Mentem hic toto orbe potentem
Nonne vides? Quando fecit? Narrabimus infra:
Sed prius hanc mecum fabricæ mirabilis artem
Proſequere: ut cernas præſtandum quid foret illi,
Quem reputant fœtus auctorem in corpore matris.

Oſſibus his ergo membranam adjungere debet,
Singula reticulo circumque ſupraque tegentem.
Muſculus huic omnis valide affigatur oportet,
Contrahi & extendi facilis; cum tendine multo,
Fibrarum qui faſciculos ſub triplice velo
Contineat. Super his deducet carnea fila:
Mox oleoſam adipem. Levi cutis omnia texto
Involvet, tunica ut cunctos non ſutilis artus,
A capite ad calcem nitido circumdet honore:
Mille foraminibus pertuſa, intextaque filis
Nervorum carni paſſim obrepentibus, inſtar
Cor-

Corticis aut libri: nec pro velamine tantum,
Vaginæque loco vel defendentis amictus;
Sed percolati fæx ut diluta liquoris,
Et quaſi fuligo fervore egeſta perenni,
Ultima ramorum quæ fertur ad oſtia ſemper
Exhalanda foras, per ſpiramenta vaporet;
Ac ſincera magis nutritia flumina currant.
Tum demum rigidos extremis partibus ungues,
Qui vegeant ſimiles plantarum, atque augmine creſcant
Perpetuo, tanquam digitis munimina ponet.
Haud aliter domus exſtruitur fundamine primum
In terris poſito: paries circumundique ſurgit
Ordinibus multis lapidum; hunc tabulata quadratis
E lignis cohibent firma compagine vinctum;
Qui demum hinc atque hinc gypſo leviore linitur:
Et trabibus tegulisque ſupra fit penſile tectum:
Ac ſuus eſt foribusque locus, vacuisque feneſtris.
Fabrica jam, qualis deſcripta eſt, mira videtur;
Attamen eſt ſine vi, ſine motibus, ac ſine vita:
Ceu conſtructa domus quæ permanet, ut ſemel orta eſt.
Qui ſenſim creſcet? Qua ſe ratione movebit,
Servabitque? Alias ex ſe qui proferet olim?
Huic opifex igitur, præter memorata, neceſſe eſt
Organa tot varios aptata miniſtret ad uſus.

Creſcere non poterit, nova ſe niſi corpore toto
Materies miſcere queat: nec miſta juvabit,
Ni cunctos etiam penetret digeſta meatus;
Et veniat paſſim repentibus addita fibris,

For-

Formandæ partes adeo, quæ talia ſumant
Arceſſita foris, teneantque terantque coquendo
Subſidia, ut membris ſint incrementa tenellis;
Et reparent quidquid fugiet de corpore ſenſim.
Os igitur vultu in medio, ceu janua primum
Linquetur bipatens, & cinctum duplice labro:
Quod reſerare animans, proprio ſeu claudere nutu
Poſſit, eoque ſibi quæſitum inducere victum.
Veſtibulo tum linguam agilem plantabit in ipſo,
Quæ verrat verſetque cibos, pinſatque ſaliva.
Tum fauces, mirique dabit ſphinctera laboris,
Quo deglutiri valeant: cui protinus addet
Oeſophagum, firma compactum pelle canalem,
Qui poſt in ſtomachum turgens, ceu corporis ollam,
Lapſas perpetuis fibrarum motibus eſcas,
Obliquis etiam & transverſis usque terendo,
Dividat in partes minimas offamque liquentem:
Ac dein reſtrictus ſubito longiſcat, ut anguis,
Principio gracilis, mox craſſior; atque ita gyrans
Multiplicem amfractum ſinuet, quo ducta feruntur,
Ac ſenſim extremum capiunt alimenta nitorem,
In chylum converſa merum; rectique recepta
Ipſe tubi forma, ſecretas trudere ſordes
Non ceſſet; ſphinctere alio finitus ut ante.

Contemplator item, qua ſollicitudine prudens
Debeat ille faber multas in tramite longo
Cardinibus ſolidis transverſim apponere valvas;
Deſcenſum quæ dent facilem, claudantque regreſſum
Oppoſitæ. Quales tubulis ponuntur in altis,
Ne recidant gravitate ſua, quos antlia ſurſum

Eve-

Evexit latices. Magnum hic labor arguit unus
Artificem. Valeant fortuna & regula motus.
Cur etenim, quovis momento impulſa putetur
Materies, quæ mentis inops cava viſcera formet,
Cur abrumpit iter, curſumque inflectit ut illos
Conficiat poſtes; ex illa parte recludens,
Unde venit cibus, appoſite; prohibensque recludi
Ex alia? Caſu nihil ingenioſius iſto.
Adſpice præterea, ſparſas in viſcere glandes
Turmatim villorum inſtar; quibus eſca liqueſcens
Præterlabendo lente purgatur, & exit
Terſa magis: lana ut ferreis agitata niteſcit
Pectinibus, turpemque ſitum mundata reponit.
Annellos etiam cernas, quibus ille fit omnis
Paulatim impulſus, quo viſcus deprimit eſcam;
Ut fluxo reptant ſinuoſi corpore vermes.
Nec mirere minus tam longi viſceris orbes
Impoſitos aliis alios, laxisque ligatos
Inter ſe vinclis; ne ſit preſſura, nocensve
Amfractus: cunctosque uno ſub tegmine clauſos,
Ne quis forte fugax dilapſu ergaſtula rumpat.

Nec tamen ad victum fuerit ſatis huicce magiſtro,
Prima paraſſe loca, aut habilem ſtruxiſſe culinam,
Qua ſolers opera faciet quoque, chylus ut ille
Lacteus ac dulcis (lacteſcunt omnia quando
Corpora, quæ paſtum præbent) accedere alendis
Artubus & varias ſibi poſſit ſumere formas?
Plurima namque prius docte peragenda ſuperſunt.
Tantæ molis erit proprios animantis in artus,
Materiem peregrinam & crudos vertere ſuccos!

Ergo

Ergo meſenterium poſtquam ſinuarit in orbes,
Multiplices cudet venas, queis candidus humor
Omni ex parte fluens, ſtagnum in commune feratur;
Atque magis liquidus, dein ſub thorace canalem
Intret, & aſcendens ſe ſanguine miſceat ipſo.
Scilicet hic vitæ cuſtos liquor omnia demum
Flumine perpetuo circumactus membra rigabit,
In minimasque vehet nova nutrimenta latebras.
Verum alias opus eſt pluresque impendere curas,
Sanguinis ipſius natura fluorque perennis
Ut fiant. Vix dimidium faber iſte laboris
Attigit. En creſcunt operis miracula cœpti.

Principio partes alvi in regione locandas,
Quamque ſua tectam tunica ſeorſumque manentem,
Finitimis vero per mutua vincula nexam,
Provideat. Splenem hinc diſponat, pendeat illinc
Ventriculum ſupra jecur ac veſicula fellis.
Pancreas interea medium ſe extendat utrinque.
Cum ſit enim ſanguis variarum ex agmine rerum
Conflatus liquor, innumeras deponere debet
Partes, aut nimias, quadam aut ratione nocentes:
Sulphuream ut bilem, & ſalſæ corpuſcula lymphæ:
Quæ poſt in primum viſcus demiſſa, juvabunt
Piſtum ex omnigeno victus glomeramine chylum.
Ac veluti frugum ſordes ubi purgat arator,
Præſto adſunt vario pertuſa foramine cribra,
Quæ certi generis transmittunt ſemina tantum,
Scilicet apta ſibi, ſibi diſſentanea ſiſtunt:
Utque per aggeſtas dum turbida tranſit arenas,
Limpidior fit aqua & ſpoliatur fæcibus omnis:

Cri-

Cribroſas pariter ſolitus pervadere glandes,
Atque minutatim variis anfractibus abdi
Sanguis, tunc ſalſum ſibi quidquid abundat, in una
Exuit; in reliquis quod acerbum & amarius æquo.
Has igitur quam multiplici compagine partes,
Et quam accurate contexet ſtrenuus auctor!
Quam varios plexus varium intorquebit ad uſum!
Propterea geminos lumbis affingere renes
Non prætermittet; qui totam a ſanguine puro
Urinam excernant: excretam duplice ductu
Protinus accipiet ſenſim veſica tumeſcens;
Subſidensque, humor quoties impurus abibit.
Atque hunc humorem cohibere, aut mittere quondam
Ut ſit in arbitrio, ſphincter ibi tertius adſit.

Indigus externi ſemper, ſemperque recentis
Auxilii, quod terra parens atque unda miniſtrant,
Sanguis habet, quo corpus alat: caret attamen illis
Spiritibus, qui dent animos, membrisque vigorem.
Hoc genus æthereis tantum eliciatur ab auris.
Ergo, ceu Lemni, aut Liparæ fornacibus ignes
Mulciber exſtimulat vento, quem flamma coruſcans
Excipit; ut rigidum cogat molleſcere ferrum,
Inque nigros veniunt alternis flabra caminos;
Sic opus incœptum meditans abſolvere plaſtes,
Dividet a ſtomacho totum diaphragmate pectus.
Poſthac componet geminos in pectore folles,
Plexibus innumeris paſſim celliſque refertos,
Aëra qui capiant tumidi, reddantque repreſſi.
Aſpera recluſis arteria faucibus illos

Conjunget, cui non deerit membrana, ſonorami,
Cum volumus, vocem efficiens. Hæc tibia vera
Naturæ, tremulis transverſim fiſſa labellis,
Aut tenſis, dabit omnigenos e gutture cantus.
Et quia concurrunt in concamerata palati
Atria, quos retuli, ductus ſpirabilis auræ,
Atque cibi, nec plus uno quam pariete diſtant;
Aëris in ductum ne pars potusve cibive
Forte cadat, levis ante fores ac ſedula porro
Hærebit ligula, alternis quæ motibus illas
Defendat: qualis majusque minusque foramen
Protegit egregius luſor, ſemperque tuetur
A veniente pila: nec pars ea parva laboris.

Pulmonum in medio, prænobile conſtituet cor.
Sanguinis hoc centrum eſt; hæc regia ſanguinis ipſa,
Et jugi lympha & tenui circumdata vallo:
In mediis qualem ſuſpendunt lampada templis,
Ut partes lumen ſe ſe diffundat in omnes:
Sol qualis recreat radiis genialibus orbem.
Sit validum robur, ſit vis & elaſtica cordi:
Huc eat, hinc veniens magno fluat impete ſanguis,
Sit pulſus fibris, præſertim in acumine ſummo,
Perpetuusque ac per modica intervalla coruſcans:
Arcanum vitæ motu fundatur in illo.
Hoc ſciat, hoc valeat cordis faber inclytus: ergo
Ventriculos huic eſſe duos hinc inde jubebit:
Dexter ut accipiat repentem a corpore toto
Sanguineum laticem, turgens quem vena reportat;
Atque in pulmonum ſubito penetralia vibret,
Imbibiturum illic jam quidquid ab aëre ſumto

Æthe-

Ætheris expreſſum eſt; mox a pulmone reverſum
Suſcipiat lævus; ſimili quem arteria major
Impete pulſatum per corporis omnia membra
Diffundet. Motu, pro! quantum eſt artis in illo!
Vivimus hac fabrica tantum; ceſſante perimus.
Machina nam noſtra hæc non eſt hydraulica ſolum,
Pneumatica eſt etiam. Auxilio ſpirabilis auræ
Indiget, ex alvo genitricis ut exiit, infans.
Quippe neceſſe prius (materno ſanguine quando
Fœtus alebatur, ſtabatque in carcere clauſus)
Non fuit, hunc aditum in pulmones eſſe patentem.
Certe non poterant inflari mollibus auris;
Et motu ſine languentes preſſique jacebant.
Ergo ſuis diverticulis tunc devius ibat,
Inque ſalutato pulmone petebat aortam
Sanguis. Cum vero privatam vivere vitam
Incipit excluſus, jamque aëre veſcitur infans,
Inde novo verſus pulmonem tramite ſanguis
Irruit, & primos dediſcit ſponte meatus.

Purpureos autem globulos, humore natantes
In liquido (vitalis enim hæc natura liquoris)
Qui poterit per totum opifex inducere corpus,
Ni tubulos fingat, magni ceu fluminis alveos,
Qui deinde in varios diviſi ſæpe canales,
Incluſum laticem longe lateque per artus
Inſinuent; ſuccum & ſtudeant deferre liquentem
Commixti toties ipſo cum ſanguine chyli:
Ut ſine rore novo nihil, intactumque relinquant.
Nec vero membris tantum hæc alimenta tuliſſe
Sufficiat. Quid enim torpens in partibus ipſis

Vector opum faceret? Semper ſemperque recentes
Advehat; & quidquid per ſpiramenta forati
Corporis elapſum, reparet; vivumque calorem
Perpetuis foveat decurſibus. Inde neceſſe eſt
Ocius adverſum per iter ſine fine, morarum
Impatiens, iterum repetat præcordia ſanguis;
Trituramque novam preſſus vehementer, & auras
Ætheris accipiat: renovandus ſcilicet illo
Circuitu, per quem renovantur corporis artus.

Adverſos ideo per ſingula membra canales
Diducet figulus, quorum oſtia cordis in ipſa
Sint conſtructa baſi. Princeps arteria lævo
Ventriculo, princeps at dextro vena patebit.
Illa ſanguis eat ſubtilis & æthere fœtus;
Hac redeat tota jam deſpoliatus opum vi.
Nam velut in plures primum ſe arbuſcula ramos
Dividit, ac veniunt ramo e majore minores,
Inde alii rurſum ex aliis, hoc ordine tandem
Ut minimi ſemper fiant extrema tenentes:
Nec non multivagis idem radicibus ordo
Cernitur, e terra quæ ſuccos undique carpunt:
Sanguinei pariter tubuli ſe corpore toto
Protendunt; atque innumeri ex ſe plurima trudunt
Segmina, quæ partes cunctas ſinuoſa pererrant:
Uſque adeo, pars ut nequeat tantilla videri,
Cui non alveolus ſaltem tenuiſſimus inſit.
Sunt in membranis etiam levioribus: imo
Sunt in vaſorum tunica, vel in oſſibus ipſis;
Quorum pertundunt textum penetrantque medullam.

Sic

Sic paſſim irrepunt, ſic paſſim arteria venæ
Subjacet: illa fremit ſubſultu cordis & una
Concutitur; quare texto quadruplice conſtat
Firmior, ut valeat rapidi vim ferre liquoris:
At placidum referens manet hæc immota per artus.

Alternis autem poſitas hic adſpice valvas,
Ut ſegetum in calamis nodos: mirabile dictu!
Nempe recluduntur, qua ſe in præcordia ſanguis
Promovet aſſiduus; juſſæ prohibere regreſſum.
Verum qui faciet faber, ut nutritius humor
In tot dividuus rivos diſperſus & exſul,
Vas tamen ipſe omnis redeat collectus in unum?
Nam ſi qua propriis e ductibus exeat, illic
Ocius implentur foſſæ; reſtagnat: inertem
Vertitur in vappam; & pauſa corruptus ab ipſa,
Fit tabes, letumque dabit, non munera vitæ.
Rivorum fines igitur, ſive oſtia parva
Sic prudens opifex inter ſe jungere norit,
Diverſi ut generis minimorum extrema tuborum
Proxima ſint. Nam vi, qua ſemper truditur, uno
Egrediens, lacrymas poſtquam exſudavit alentes,
Ecce alium ſubit, & venarum exordia complens
Non intermiſſo decurrit flumine ſanguis.
Majores, parvis dein concurrentibus, intrat.
Hæ rurſum in magnas coaleſcunt denique venas.
Haud ſecùs Eridanum, Venetis qui mergitur undis,
Amplificant fluvii, quos hinc e rupibus Alpes,
Inde Apennini paſſim juga celſa profundunt:
Hos rivi; & parva rivos ab origine fontes,
Floreſcit regio tantis ditata fluentis;
Frugiferumque ſolum gregibus pomiſque ſuperbit.

Sanguinis eſt autem, Quinti, ſublimior uſus,
Quod caput irroret. Noſtræ hinc pars maxima vitæ.
Hic cerebrum latet; hic cuncta aut, primaria ſenſus
Organa ſunt poſita; hinc nervorum prodit origo:
(Scilicet a geminis cerebrum quibus omne tenetur,
Membranis, nec non cerebelli cortice ab ipſo)
Nervorum qui dant animos & robora membris:
Per quos mens guſtat, ſentit, videt, olfacit, audit,
Et loquitur, corpusque movet. Quæ mira creandis,
Et quæ ducendis per ſegmina corpore toto,
Nunc geminis, nunc ſimplicibus ſolertia nervis!
Quorum ope ſubtiles animi, velut ætheris auræ,
Vivida materies, ipſique ſimillima luci,
Ire, redire, volare queant: unde ocius artus
Ad nutum flecti, ad nutumque rigeſcere poſſint;
Ceſſare interdum, vigili cum feſſa labore
Temperat alternans, & lenit corpora ſomnus.
Nempe quot e filis conſtant, quam tenuibus, atque
Robuſtis, & quam firmo ſubtemine nexis!
Quantæ in ſpiritibus vires, qui fila pererrant!

Iamne vides quali niteat diſpoſta labore
Corporis hæc moles, & inenarrabile textum.
Ne tamen humanæ tantum compaginis ingens
Admireris opus, turbam adſpice circumfuſam
Omnigenarum animantum: ipſis miracula magna
In minimis: huc verte oculos. Bombycis in anno
Ter transformandi longe eſt operoſius ovum,
Quam Semiramidis Babylonica mœnia magnæ,
Aut impendentes præcelſis arcubus horti;
Quam Pharos, aut Epheſina ædes, & Olympia ſigna;

Quam

Quam Solymæ templum, vel Dædalei labyrinthi
Magnificæ ambages, Mauſoli immane ſepulcrum,
Monſtraque pyramidum, & Rhodii portenta Coloſſi.
Nam duris homines potuere laboribus illa,
Et vigili cura, & largo pervincere ſumtu;
Hoc non aſſequitur prudentia tota ſophorum,
Non robur populorum, aut regum immenſa poteſtas.

Namque in eo jam dudum incluſa fuiſſe neceſſe eſt,
Non modo vermiculi ſimul omnia membra futuri,
Sed diſtincta etiam triplicis primordia formæ,
Quam præfinitis ex certa lege diebus
Induet; ut primum reptans, poſt chryſalis, ales
Deſinat, immoriens effuſa prole triformi.
Hoc ritu exſtinctis bombycibus ante Novembrem,
Vere novo tepidis genus omne reſurgit ab ovis;
Et reliquum ſimili jactatur ſorte per annum.
Quippe duos ſimul ac menſes bombyculus egit,
Grandior & ſaturis foliorum pabula buccis
Reſpuit, ac primæ ſenſit faſtidia vitæ;
Cernitur, ex imo deducens pectore fila,
Nere ſibi tumulum, levibusque appendere ramis:
Ovatam in medio ſubtili ſtamine concham
Texit, membranæ ſimilem & circumundique ſeptam;
Atque ibi deſidia torpens mollique veterno,
Oppreſſusne ſopore jacet, letone ſepultus?
Tum pellem incanam nigranti mutat amictu:
Nec caput apparet, nec pes, nec jam amplius ulla
Quæ fuerat ſpecies; ſimul omnes contrahit artus
Corporis, exiguam forma referentis olivam.
Fit nova res. Tandem intepuit cum Sirius ardor,

Ultimaque autumno miti deferbuit æſtas,
Protinus albeſcens redimitur flore cadaver,
Parvulaque exornant anguſtam cornua frontem:
Tum pennæ aſſurgunt humeris; & priſtina demum
Viſcera productam ſenſim extenduntur in alvum.
Serica dente mero poſitis ergaſtula rodit
Exuviis, ſtructasque prius, nunc diruit ædes:
Et fit avis per tecta volans, perque aëris auras.
At blandis veſanus amor nova pectora telis
Sollicitat: nubit volucris jam proxima leto,
Et ſoboli tota indulget; fœcundaque partu
Multiplici, foliis poſtquam ova infixa reliquit,
Tot pertæſa vices, jam prorſus inutilis orbi,
Tandem omnis moritur, poſtremaque funera ſolvit.

Haud aliter muſcæ, quanquam illis longior ætas
Eſſe quidem ſolet; haud aliter bis naſcitur omnis
Papilio, pictis pennas diſtinctus ocellis;
Quem florem aligerum dicas, quem lucis amantem
Sæpe dat exitio pulchræ pellacia flammæ.
Nempe hoc omne genus varium & mutabile, vermem
Exuit ante, leves quam cœlo ventilet alas:
Inque ſtatu medio recubans ſub carceris umbra,
Nec vermis nec avis, nec vivum aut vivere ceſſans,
Attentis miranda oculis ſpectacula præbet.
Degere quadrupedem multa ſub arundine ranam
Qui videt, & ſaltare ſolo, mox repere pigram
Umbroſas inter ſalices, atque aëris aura
Non ſecus ac lympha veſci, tum crura natando,
Et longum femur & nudos agitare lacertos,
Scirpea clamoſo late loca rumpere cantu,

Quo

Quo pulſæ reſonant æſtiva nocte paludes,
Crederet alterius vitæ primordia nactam,
Atque in piſciculis annum exegiſſe juventæ?
Piſcis erat capitatus: ei perlucida remum
Cauda miniſtrabat, quem flectere norat in undis;
Exiles pinnæ, teres undique corpus & atrum.
Sic ovo exivit: rana hoc in piſce latebat.
Atque id non temere aut raro; ſed ſemper eodem
Hos peragi ludos ritu mirantur ubique.

Nec ſolum in minimis naturæ regula brutis,
Aſt etiam in magnis conſtat; ſeu corporis artus,
Seu ſtudia & mores, aut curam prolis alendæ,
Seu victum inſpicias. Nam fulvi terga leones
Semper, & hirſuti nemoroſis montibus urſi.
Et tigres variæ; & latitans crocodilus in undis
Prædæ inhiant: vexat perdices atque columbas
Accipiter: timido lupus inſidiatur ovili:
Paſcua taurus amat, cornuque laceſſere geſtit:
Frigoris impatiens terram philomela calentem
Quærit, & ad notos cum ſole reverſa penates
Dulciſono nidi ſolatur tædia cantu,
Incola ſemeſtris patriæ, ſemeſtris & exul:
Conſuetasque domos peregrina reviſit Hirundo.
Cetera quid referam cunctis animalia terris
Et pelago: mundi quibus immutare vetuſtas
Nil potuit; ſicut neque frondem invertere laurus,
Nec junci calamum, aut violæ vernantis odorem?
Et, ſi plantarum aut animantum, ſæpius ut fit,
Degeneres aliquas vitio telluris & auræ,
Sive emendatas cultu meliore videmus,

Tu ne propterea mutari ſemina credas:
Nam permiſſa ſibi redeunt ad priſtina ſemper,
Et quovis detorta in ſe natura recurrit.

Quærendum eſt igitur, quænam ſit cauſa tenoris
Perpetui. Certe nuſquam reperire licebit.
In primis niſi principiis, unde illa creantur,
Atque ita diſpoſitis, ut ſemper talia prodant.
Fortuitisne atomis? Atomi ſed corpora nulla,
Nullas affectant ſpecies, nec legibus ullis
Morigerantur: abeſt procul his delectus & ordo.
Principia hæc igitur ſunt ipſo in ſemine rerum,
Non allata foris, ſed fontibus hauſta paternis.
At pater unde habuit? Nimirum ſemine ab ipſo,
Unde fuit. Traducta ergo ſunt ordine quodam,
A patribus primis ad natos inde ſequentes;
Et ſic ad reliquos veniunt transmiſſa nepotes,
Plane eadem: cum ſint eadem quoque facta nepotum,
Quæ patrum fuerant, moresque imitentur avitos.
At non fingere habet propriæ primordia gentis
Quæque recens ſoboles: ſed qualia repperit illa,
Tradere venturæ vel neſcia cogitur. Ergo
Jam caput ad primum ſtirpis remeare neceſſe eſt,
A quo cuncta fluant, quondam informata. Sed illi
Quis dedit? Anne ſui generis fuit ipſe repertor?
Tute negas. Forſan compegit ſemina caſus:
At caſus nihilum eſt, aut res. Rem feceris eſſe;
Ergo materiem, atque atomis nil amplius ipſis:
Si nihilum; ergo dabis nihilo, ut fabrefecerit orbem.

Nec quia nil pugnat res, qua ratione geruntur,
Hac fieri, idcirco caſu ſic eſſe putandum eſt.

Non-

Nonne etenim ille tibi dicatur ſtultus & amens,
Qui velit Iliacæ monumentum cladis, Homero
Ignorante, una vi motus eſſe peractum;
Aut elementorum caſu per mutua nexis
Verſibus, eximium carmen prodiiſſe Lucretî.
Quæ quanquam ingenium oſtentant doctumque laborem,
Nil tamen eſt, cur ſic diſpoſta fuiſſe repugnet
Principiis motus, elementorumve figuris.
Sic etiam noſtro quamvis in corpore membra,
Quo ſunt quæque ſitu, nihil obſtet, quo minus illo
Singula ſint, tamen hoc ritu potuiſſe locari,
Absque ullo proprii, quod tam ſolerter obibunt,
Muneris intuitu, ratio negat ipſa, videtque
Conſpicuam prima viventum in origine mentem.

Quod ſi non ſine propoſito, quodcunque fit, uti
Mortales membris, aut fungi munia poſſunt,
Nec ſine propoſito membra hæc mortalibus ipſis
Sunt conceſſa. Fabro ante omnes innotuit uſus.
Cudere nam ſolertius eſt, quam ducere aratrum;
Fœtaque ſeminibus compingere ſemina multis,
Quam ſerere, ac ſulcis verſos mandare per agros;
Flectendo formare habilem, quam flectere linguam;
Et digitos manibus, ſcapulis aptare lacertos,
Quam curvare manus, & corpora prendere dextra.
Semina ſunt igitur magni argumenta laboris,
Magnæ mentis opus; quæ tot miracula rerum
Abdidit in tenui: at maribus concredita ſolis,
Ut mare deciduum genus omne veniret ab uno.

Terri-

Terrigenas igitur populos educere limo,
Vel genus alituum denſata ex ætheris aura,
Seu liquidum in mutos elementum cogere piſces,
Ridiculus labor eſt. Cunctis par ſufficit unum;
Unde fluat reliquum diducto ſemine vulgus.
Nec tamen hocce caput generis cujusque bifurcum
Æterno ſtatues, ni ſis delirus, ab ævo:
Quippe & ſtaret adhuc. Ortus quæ neſcia, durant
Neſcia & interitus. Quæ principis, una nepotum
Conditio: ut cuncti morimur, ſic primus avorum
Debuit ipſe mori; quia naſcimur, hic quoque naſci:
Solus at æternus, primum qui condidit, ille eſt.
Si caſus, caſum æternum cogere fateri,
Qui nihil eſt; ſi mens, æternam credere mentem.
Nec magis æternum ſibi ſuccedentia multa
Conficiunt, quam multa ſibi contermina formant
Immenſum. Quidquid capimus ſine fine modoque,
Ire catenatum junctis nequit ex elementis.

Sed quoniam una tibi ſemper fortuna creatrix
Omnia compoſuit rerum primordia miſcens,
Dic, age; cur primum tantos enixa labores
Deſtiterit ſubito ceſſans, nec rem amplius ullam
Progeneret; ſed quam arripuit, cogatur eandem
Ire viam? Novitatis enim fortuna parens eſt.
Qua ſibi vi facta, quo nempe coërcita freno?
Quid vetat omnigenos ultra procudere partus?
Semina non deſunt; vis inſita ſuppetit; adſunt
Multimodi nexus, & formarum ampla ſupellex.
Dic mihi, fortunæ volucres quis reſcidit alas?
At vero caſu fieri quæcunque putantur,

(Scilicet obſcuri reſpectu finis agentem
Cauſam, nec ſolitam, caſum appellare ſuemus)
Raro, inconſtanter fiunt: aſt omnia noſtra hæc
Tanquam ex præſcripto legis, ſerieque per ævum
Non intermiſſa, & parili pede currere, teſtes
Nos ſumus. Adde etiam, quod multam agnovimus artem,
Sublime ingenium, & vim magnam mentis in illis.

Ac velut in nummis dum cudere Principis ora
Sculptori viſum eſt, operoſum ante omnia cælat
Prototypum chalybe in duro; cui preſſa metalla
Cum ſe ſe indiderint, quot erunt ſignata, neceſſe eſt
Accipiant unam effigiem: ſpiratque manetque
Primitus impreſſum, & nunquam delebile ſignum:
Sic, non caſus iners, non quævis inſcia cauſa
Principiorum eſt principium, quæ corpora quæque
Conſtituunt, viva imprimis, & ſemen eorum:
At, quocunque modo libeat vocitare, ſit illa
Provida, communis, valida, atque æterna, neceſſum eſt.

Provida: nimirum concepta ut imagine rerum
Quas fieri voluit ſemel, & ſuccreſcere ſemper;
Ac totam ſeriem per ſæcula multa futuram
Proſpiciens, paſſu det cuncta incedere juſto:
Et ponat leges, ne quo ſe devia flexu
Linea corrumpat, neu recto tramite aberret.
Quod ſi non eſſet, jam funditus omne videres
Subverti genus, & confundi ſemina multis
Intermixta modis: nulloque coërcita nexu
Cuncta brevi in natale chaos reſoluta redirent.

Com-

Communis porro: quoniam omnia cernimus uno
Semper more geri. Quippe ut vegetabilis arbos,
Sic animans proprio ſemper de ſemine naſci,
Semper ali, atque mori, ſolitosque emittere fructus,
Communem & ſemper decurrere cernitur orbem,
Atque ut pictoris facile eſt agnoſcere morem,
In tabulis quidquid celebraverit, aut fera Martis
Prælia, & horrendis quaſſatam aſſultibus urbem,
Capripedumve jocos, feſtivique orgia Bacchi;
Seu virides Penei ripas, & frigida Tempe,
Seu puppim alliſam ſcopulis, & naufraga Ponti
Littora, & elatos ventis ad nubila fluctus:
Prodit enim ex ipſo diverſarum ordine rerum,
Fingendique modo diſpenſandique coloris,
Appoſitaque umbra, & diſperſa luce, character
Cuique ſuus, veri auctoris certiſſimus index:
Sic natura omnis fabricatorem arguit unum.

Diximus & cauſam hanc pollentem viribus eſſe.
Quis dubitet? Cui materiæ ſit ſubdita moles
Omnis, uti limus figulo, nunc juſſus in urnam
Expandi, nunc eſſe globus, vel equeſtris imago.
Scilicet ex gleba moderator ſummus eadem
Et Solem & Lunam, & fulgentia ſidera cœlo,
Et Maria & Terras, & quidquid vivit in illis,
Condidit; atque pari, quo fecit, numine ſervat.

Denique ut omnipotens, communis, providus, auctor
Sic æternus erit: quis enim dabit eſſe creanti,
A quo cuncta tenent ut ſint maneantque? Sed horum
Arte

Arte rudi quædam & firmo cum robore, vaſti
Inconcuſſa orbis quaſi fundamenta baſeſque,
Quædam perfecto ſtudioſe intusque polito
Corpore, verum eheu! paucos manſura per annos.
Nec mirum certe, ſi quo ſubtilius omne
Compoſitum fuerit, cum ſit pars quælibet ejus
Pronior ad motum variiſque obnoxia plagis,
Hoc poſſit minus & durare, & reſpuere ictus.
Tanto nobilitas emitur, vitæque voluptas
Labilis! Idcirco brevium cauſa optima rerum
Invigilare ſimul reparandis atque creandis
Debuit, ut multis porro ex mortalibus eſſet
Immortale genus. Verum uno ac ſimplice nutu
Fecit utrumque Deus: cum cuncta in ſemine primo
Semina concluſit, gemini compendia ſexus:
Cuſtodeſque mares pretioſi muneris unos
Inſtituit, ſobolem matura ætate daturos.

Sic hominum genus omne hominis tenuiſſima primi
Pars fuit. At majora tibi miracula pando.
Non ſolum exortos homines olimve futuros,
In patre quemque ſuo ſtirpis comprenderat auctor,
Sed plures multo, qui nunquam ad luminis auras
Pervenient, quanquam ad lucem vitamque parati.
Quotquot enim a genitis gigni potuere viciſſim,
Qui tamen in tenebris jacuere perennibus, & quos
Oppreſſit nox atra æterno in carcere clauſos:
Et, ſi dante Deo ſpiraſſent, quotquot ab illis
Enaſci poterant, cunctos ſimul una creavit
Formavitque dies, jam membris omnibus aptos,

Jam

Jam plenos vegetante anima, ſed mentis egentes.
At totam in maribus prolem primordia vitæ
Accepiſſe prius, quam ſit conjuncta marito
Femina, ſi dubitas, oculos adverte, videbis.

Nempe Microſcopium, batavis quod nuper in oris
Divina ſapiens reperit Levenockius arte.
Perſpicuamque facem in tenebris dedit eſſe profundis,
Arripe & obſerva. Nihil eſt niſi vitrea lenti
Lacryma convexæ ſimilis, quam lamina duplex
Continet infixam, tenuique foramine circum
Includit. Minimum quodcunque objeceris, ingens
Apparet viſu confeſtim, atque intima pandit.
Nec præſens adeo noſtris obtutibus unquam
Auxilium venit: novus illo ſiſtitur orbis,
Et nova naturæ facies referatur, apertis
Viſceribus mixtorum, & tegmine nuda remoto
Eſt oculorum oculus, ſine quo cæci eſſe videmur,
Saltem hebetes tardique: quibus vix ante licebat
Noſſe ſuperficiem, atque hærere in cortice ſummo,
Nunc aditus liber patet in præcordia rerum.
Nec jam veſtibulum ante ipſum atque in limine portæ
Stamus, at in medias juvat ire profundius ædes:
Atque ibi theſauros fluxi & reparabilis ævi
Hactenus occultos, quodque eſt ante omnia mirum,
Æternæ contemplari veſtigia mentis
Indita materiæ, ut ſpeculis mandatur imago.

Ne te prodigii novitas abſterreat, ut quos
Erroris timor inſipiens errare coëgit:
Neve inſtrumento fingi mendacia credas,

Senſi-

Senſibus ac noſtris illudi: qualia monſtrat,
Talia ſunt in ſe ſe objecta; & plurima quanquam
Inſpiciuntur, adhuc plura inſpicienda ſuperſunt.
Imo & lenticulæ, decies licet aucta, poteſtas
Creſceret, inventisque novis aſſurgeret, ultra
Vim propriam, quantum mortalia lumina vincit,
Semper inexhauſto non viſa relinqueret impar
Huic fundo; ſatis eſt, partem potuiſſe videri.

Ergo lenticulæ opponas, dum pura dies eſt,
Aut canis, aut galli ſtillantem e ſemine guttam;
Protinus ecce tibi ante oculos (mirabile viſu)
Vermiculorum ingens populus, quaſi in æquore magno
Mobilis, atque natans, celer, irrequietus, & omne
Per ſpatium ludens certatim ac præpete curſu.
Quam multæ ſpectantur apes æſtate ſerena
Surgere confertim, totisque erumpere cellis;
Cum priſcis laribus pulſæ novitatis amore,
Fragrantes cunas & cæca palatia linquunt:
Agglomerant ſe ſe in nubem, rapidasque choreas
Ad ſolem exercent: pennis micat effera pubes,
Et magno circumvolitat per inane ſuſurro.
Sic genitale ſua fremit agmen & ardet in unda,
Quam durat calor ille diu, quem e fonte paterno
Attulerant: ſenſim nam defervente liquore
Langueſcunt, tenuesque animas jam frigida ponunt.

His caput & caudam & membrorum cernere fas eſt
Molle rudimentum, & formæ diſcrimina

Verum ipſis quanquam duplicem ſexum eſſe neceſſe eſt,
Haud facile agnoſces; turba tamen omnis in illa
Maſculus innatam ſobolem jam continet in ſe:
Quam ſi non habeat, quo pacto emittere poſſet;
Illo nempe die, quo plenis puber ab annis,
Ibit in amplexus avidæ conſortis; & unde
Tunc natam erueret? Cum jam omni parte creatus,
Nil ſit adepturus venturo tempore, præter
Crementum. Tenet ille adeo, quodcunque tenebit:
Integra nimirum propriæ exemplaria gentis,
Et ſobolem quoque natorum, ſobolemque nepotum;
Fœtaque filiolis animalia geſtat, ut ipſe
In patre vivus erat, quem emiſſum tu modo cernis.

Si te percellunt tot tamque minuta minutis
Corpora corporibus prægnantia, ne tamen iſtis
Diffide; at potius mirare hæc omnia genti
Plantarum, atque homini, & cunctis communia brutis:
Unde his communem cauſam invigilare neceſſe eſt.
Nonne vides quam ſit tenuis formica culexque;
Et plebecula quam nutrit gravis atque ſeneſcens
Caſeus, & quæ habitat flores ac germina mandit,
Et qua prunorum albeſcit violacea pellis,
Et qua obducta ſitu vel mucida corpora ſordent;
Denique qui medio deprenditur anguis aceto:
Quid minus eſſe putas minimis viventibus iſtis?
Attamen his partes multæ, multoque minores
Inveniuntur adhuc; quarum numero, ordine & uſu
Integra concreſcunt, & vere animalia fiunt.

Eſt

Eſt illis cerebrum & pectus, venterque pedumque
Remigium: eſt humor quidam in præcordia manans,
Ac refluens; & particulis hæc omnia conſtant.
Sunt fibræ & glandes; ſparſi per tota meatus
Corpora; ſunt animi vitæque ac motibus apti,
Inſuper & fœtus, atque organa fœtibus ipſis;
Ac totidem moli reſpondent congrua membra,
Quot ſunt balenæ, quot grandi ſunt elephanto.
Nam varias partes ſuus apte dividit ordo,
Sepoſitasque tenet: cum decreſcentia ſemen
Semina quodque habeat,ſemperque minora gradatim:
Nec magis inde tumet: nam ritu prorſus eodem
Circulus inſertos amplectitur orbibus orbes
Innumeros, nec eo fit major; & uncia ſimplex
Haud gravior, quod contineat ſine fine modoque
Pondera ſe leviora; ut fuſius ante probatum eſt.
Ergo proſequere, ac noſtris aſſueſce minutis;
Et quam ſit vis materiæ fœcunda, memento.

Nec ſatis: exemplo cauſam firmare juvabit.
Unde eſt, cum ſpecies aſini miſcetur equinæ,
Mulus ut inde oriens, ſit quamvis pronus & acer
In venerem, generet nihil, infœcundus amator?
Id quoque de pardo, tigris ſubmiſſa leoni
Quem parit, atque aliis naturam præter obortis,
Inter aves, aut quadrupedes, aut cetera cenſe,
Quæ procul a nobis animalia protegit æquor.
Hæſit in hoc puncto rerum male gnara vetuſtas:
Suetaque pro cauſis adducere nomina vana,
Hos infamavit monſtrorum nomine partus,
Monſtri & prolificum ſemen cujusque negavit.

Excuſſanda tamen: nondum ſibi lumen in umbris
Fecerat obſcuris ars ingenioſa ſophorum,
Qui plerumque nihil niſi ſuſpicione tenebant.
Venit clara dies; & tandem cognita cauſa,
Cur ſteriles cuncti natura ex dispare fœtus,
Totaque progenies mulo ſiſtatur in uno.
Scilicet illius conſpecto ſęmine, nullum
Apparet vivens animal, tantum humor inanis:
Quandoquidem non eſt ab eo, qui cuncta creavit,
Ancipitum ſpecies & formula condita rerum:
Nec poſſunt aliquo fabrefacta exſurgere caſu.
Quæ non exſtiterint jam pridem ab origine mundi.
Nam quæ cauſa minor, vel quæ manus æmula ſummi
Artificis, tanto poterit contendere niſu,
Infecta ut faciat, regemque imitetur Olympi?

Mulus at iſte, inquis, non eſt ab origine prima
Structus; & ecce tamen venit, ac profertur in auras.
Imo ſtructus erat; ſed quid mutaverit, audi.
In patre aſellus erat multis cum millibus, ante
Quam matrem furtivus equam violaret adulter.
Ignotis ſubiens tectis, exoticus hauſit
Non ſibi collectos peregrino e fonte liquores:
Parvula diſcordi tumuerunt viſcera ſucco:
Veſtivitque artus aſininos humor equinus;
Haud ita diſſimilis tamen, aut alienus, ut illos
Rumperet omnino, ſed qui pervertere poſſet:
Et cœpit neuter fieri ex utroque parente,
Detorta in melius forma, ſexuque retento.
At quoniam fœtus minimi, quos hoſpes alumnus
In ſe ſopitos immaturosque gerebat,

Inſolito nunquam victu potuere foveri,
Tunc genus exſtinctum eſt: quoniam ſine numine fabri
Formæ non potuit ſuppleri forma peremtæ.
Quod ſi aliquis cladem effugeret, ſervatus aſylo
Ambigui patris, & genuina matre receptus,
Poſſet item naſci: verum id contingere raro,
Vel nunquam, & ſuſpecta putem monumenta tuliſſe.
Mulus propterea vacuus venit, omne per ævum
Prolis egens, ſola poſthac reparabilis arte.
Quales in noſtris creſcunt regionibus herbæ,
Quas Aſia, aut America recens, aut Africa mittit
Contentas in ſeminibus: frondeſcere primum
Non dubitant; verum flos illis caſſus, & ultra
Semen ferre negant; fruſtra enitentibus obſtat
Temperies aliena ſoli, vel frigidus æther.
Sic ſterilis mula eſt, confuſis indole bina
Fermentis; quorum diſcors natura duplexque
Forma vetat, ne quidquam ex his augeſcere poſſit;
Seu quia clauduntur loculi, tunicæque labantes
Flacceſcunt, ſeu pollutus contabuit humor.

Quippe hoc femineum officium eſt, ut idonea ſolum
Præbeat interius pullis alimenta repoſtis:
Hoc maris, ut pullos, quorum ipſi copia multa
Semper ineſt, interdum utero tranſmittat alendos.
Ova quod attento tibi gallinacea monſtrant.
Namque ibi luteolum tenuis membrana vitellum
Cingit, & in lento ſuſpenſum albumine vinclis
Continet hinc atque hinc: falſo quæ germina vulgus
Autumat; hæc pelli quam teſta involvit, adhærent.

Illo nutritur ſoboles oritura vitello,
Cum gallo genitrix eſt fœcundata marito.
Hac una pullus paulatim augebitur eſca;
Quam tenet ipſum etiam gallinæ virginis ovum,
At ſterile, & nullo capturum fomite vitam.
Nam nihil inde poteſt, ubi non fuit antea, oriri.
Quocirca multum eſt, quæ ſit prudentia mentis
Divinæ, ut ſtupeas: quando partita laborem
Inter utrumque genus promendæ in ſæcula prolis,
In mare prolem ipſam ſtatuit; dum femina ſola
Poſſidet id, quo poſſit ali & grandeſcere proles.

Atque adeo quoties genitali ardore cientur
Nativi latices, quo ſe quoque numinis alti
Pandit provida mens, in tempora longa propagans
Viventum omne genus, ſubitus micat ignis amorum:
Utrumque exagitat ſexum veſana libido.
Nonnullis ſine lege venit, ſed qualibet anni
Tempeſtate; aliis nidorum menſtrua cura;
Semeſtres aliis nexus? pars maxima tantum
Vere novo, ac ſolis reditu connubia miſcent.
Seri hoc igne calent gelido ſub marmore piſces;
Ceſſit ubi grave frigus aquis, & ab aëre lapſus
In pontum, in fontes, in flumina tranſiit æſtus.
Tunc natat omnis amor, tunc flagrant humida regna,
Et laſciva Venus tepidis bacchatur in undis.
At cervos, imbelle pecus, natumque latebris,
Autumnalis agit furor in civilia bella,
Mugituque procul reboat nemus omne ſalaci.
Sic totum natura, ſuas fœcunda creatrix
Diſpertita vices, incendit amoribus annum.
Ceſſat hiems, & ſola gelu quaſi cœlibe torpet.

Quod ſi, cum videas partes animantibus eſſe
Non ita præcipuas, nequeant ut ſtare ſine illis,
Qualia ſunt cervis & bobus cornua, quales
Nonnullis dentes, & cauda oculata ſuperbo
Pavoni, atque homini florens in corpore pubes,
Quæ matura dies affert, non ipſe dat ortus:
Hinc fortaſſe putes, non ſeminis eſſe virilis
Congenitum laticem, at membris aliquando creari;
Tarda quod in nobis veniat generoſa iuventus:
Falleris haud dubie. Nam primo ut ſingula tangam,
Quæ tu innata negas, fierique recentia dicis,
Et plumæ & pubes, dentesque & cornua, quanquam
Non excluduntur certo niſi tempore vitæ,
Formam habuere tamen propriam in radicibus imis,
Principiumque ſui. Quanto magis eſſe paratum
Debuit a teneris, quod continet omnia, ſemen!
Frigida ſed nuper genitis infantibus ætas,
Non patitur validis quaſſari membra fluentis;
Nec tunicæ graciles, nec tenuia vaſa reſiſtunt:
Infœcundus adhuc circum præcordia ſanguis
Volvitur, & crudi ſtillant in viſcera ſucci;
Lymphaque molliculos fluit immatura per artus.
Aſt ubi convaluit grandeſcens corpus in horas,
Firmatoque vigens adolevit robore virtus;
Tum cellis trepidare cavis, fremere atque moveri
Hactenus immotæ contracta exordia gentis.

Sic poſtquam abreptus tetris Aquilonibus aër,
Horrentem brumam terris advexit & undis,
Et cecidit mundi facies, caligine merſa
Cuncta jacent; mutæ volucres, & ſqualida tellus,

Obductum ſolis jubar, & vix nubila denſa
Permeat ambiguæ vaga quædam lucis imago.
In ſtabulis armenta, greges torpore fatiſcunt,
In ſylvisque feræ: latet intra limina paſtor.
Currere tunc rivi, tunc prata vireſcere ceſſant:
Nec jam ullæ arboribus frondes, neque gratia ruri:
Sed ſtupefacta omnis pallet natura, ſiletque
Sub nive, ſub glacie duris obſtricta catenis:
Regnat ubique veternum, & vita ſimillima morti eſt.
Sol autem ut cœpit noctes æquare diebus
Plenius irradians, & amicum reſtituit ver;
Diſſilit acre gelu ſpirante Favonio, & Orbis
Vincla remittuntur: lenis per corpora cæca
It calor, & laxat partes, miſcetque movendo;
Arridetque anni redeuntis prima juventus.

Semina ſic teneris dormitant abdita rebus,
Donec robur ea, & juvenilis concitet ardor.
Attamen in vario genere ac molimine rerum,
Queis nova tempeſtas anteactæ damna reſarcit,
Non ullam invenies, quæ, ſi incrementa recepta,
Veris ab adventu & rorantis munere cœli,
Excipias, cauſa in propria, dum bruma rigebat,
Non fuerit: parvæ ſed erant, imisque latebant
Principiis; magnæ nunc ſunt, oculisque patentes:
Ante quieſcebant; nunc omni ex parte moventur:
Nunc res dicuntur; ſed erant compendia rerum.
Haud ſecus ille elephas, qui tergo pondera tanta
uſtinet, ac turres armisque virisque refertas,
Textilis inſtar equi periit, quo prodita Troja,
Naſcens parvus erat; minimus quoque matris in alvo.

At

At quanto minor in lumbis fuit ille paternis?
In lumbis & avi & proavi? Tamen unus & idem.
Adſpice ſublimi ferientem ſidera quercum
Vertice; rimantem radicibus infera regna,
Umbrantem patulo ramorum tegmine terras,
Et qualem Aſſyrio monſtrarunt ſomnia Regi;
Glans fuit; aut potius pars exiliſſima glandis:
Atque eadem in quercu, glandem quæ protulit illam,
Jam diſtincta ſuis perfectaque partibus arbos
Tota erat, exceptis, ut diximus, incrementis.
Haud aliter gens Hebræûm numeroſior aſtris,
Quæ Syriæ fines olim ditione tenebat,
Nunc ſervit late totum diffuſa per orbem,
Abrahamo ſimul in puero ſata conſtitit omnis;
Et dum vagiret, cunis requievit in iisdem.

Verum, inquis, quo nempe queat contingere pacto,
Tam teneris, tam mobilibus cum ſemina quæque
Particulis conſtent, quarum poſitura, modusque
Convelli facile, ac dilabi tempore poſſunt,
Undique præterea e variis alimenta receptent
Corporibus, diſcors quibus eſt atque abſona plane
Temperies, ut tam multos intacta per annos
Sic maneant, ſerventque ſuam inconcuſſa figuram?
Plurimus id cortex facit, & preſſura coercens.
At ne credideris vel centum e millibus unum
Proferri in lucem. Perit innumerabile vulgus
Non natum: ac, veluti ratis ipſo naufraga portu,
Poſtquam infinitis latebrarum amfractibus ægre
Se tandem eruerat, fruſtraque ad tempora venit
Exſpectata diu, correptum præcoce fato,

Vivendi amittit ſpem totam in limine vitæ:
Aut quia deſtruitur corpus, quod ſemina ſervat;
Aut ſata diſpereunt, ſimul & concluſa gradatim,
Innumero numero plebecula ſeminiorum.
Ut vi fracta maris cum gurgite cymba profundo
Mergitur; & cymbæ quæcunque eſt credita turba
Interit, atque una ſorbetur merſa procella.

Quin etiam fragilem populum necat ægra ſenectus,
Aut hebetat minuitque, atque omni robore pulſo
Marcentem infringit; vis morbida ſæpe trucidat:
Præcipue rapti quam ultrix America metalli
Miſit in Europam, pretiumque exegit avaris
Fontem ipſum vitæ inficiens, diroque veneno
Vulnera jam nimium metuendi inſperſit amoris.
Adſpice nunc quanta immenſum jactura per orbem;
Quot pateant leti portæ; quot mutua bella
Mortales inter miſeros; quot ubique voraces,
Indomitæque feræ; quot ſint diſpendia frugum.
Namque & gramineum germen populatur in herba
Corniger; ipſe brevi pariter ceſſurus in eſcam;
Mactandæque ſues & glandem & fagina frangunt
Semina; ſic & aves avibus, granisque cibantur;
Sic pecudum gens nata mori, frumentaque creſcunt
Nata teri, propriaque hominem fulcire ruina.
Alterum ab alterius clade integratur, & augmen
Accipit; uſque adeo res omnis debita morti
Prædatur, mox præda aliis datur ipſa viciſſim.

Sed magis inde patet, quæ tanto intexta labore,
Semina ſeminibus mundi concluſerit auctor.

Præ-

Prænoſcens etenim variis quam plurima ſemper
Interimenda modis, rueret ne fluxa propago
Paulatim, tandemque internecione periret,
Juſſit inexhauſta compagine fœta creari;
Ut ſaltem in paucis, quæ demum intacta ſuperſunt,
Ac velut excidio communi erepta, manerent
Relliquiæ generum incolumes. Hinc maſculus intra
Fluctivagos piſces plane eſt ſpectabilis humor:
Piſciculorum incredibilis quem copia denſum
Efficit ac niveum; quot habet Sextilis ariſtas,
Quot ſunt in ſylvis frondes, quot littore arenæ:
Tale putes omni concretum in corpore ſemen.
Maximus in minimis certe Deus, & mihi major,
Quam vaſto cœli in templo aſtrorumque caterva.

Nec te viventum numerus perterreat ingens,
Corpore in anguſto: quis enim pertingere finem
Materiæ poſſit? Quæ ſi tam immenſa videtur
Exterius, cœli dum tractus ultimaque aſtra
Suſpicis, ac ſemper diffuſam intelligis ultra;
Non eadem minus infinita videbitur intus,
Solvere ſi tentes, penituſque extrema minutim
Quæſieris. Vanus labor undique: terminus illa
Nec creſcente fuit, nec decreſcente repertus.

Ergo materiæ cum ſit pars quælibet ipſa
Materies, extenſa loco, atque inſtructa figura,
Quid vetat abſtruſas inter prorſuſque latentes
Viventum in gremio partes, dignoſcere quasdam;
Non modo dividuas, iterumque iterumque minores,
Verum etiam organico ritu, doctaque creantis

Arte

Arte laboratas, quæ ſint primordia rerum,
Atque alias aliis immerſas? Sicut in horto
Cernimus, illuxere dies cum veris amœni,
Surgere florentem viridi de cortice gemmam.
Adſpicis ut teneram vix audet findere pellem
Primum inter nitidas affulgens purpura frondes?
Carpe manu, flos eſt nondum, ſed molle futuri
Principium floris; ſoles alimentaque deſunt:
Carpe manu, internoſque oculo ſcrutare receſſus;
Invenies foliorum intexta volumina centum,
Et quotquot Zephyris erat expanſura coronas,
Si creviſſe roſæ juſtum licuiſſet in ævum.

Semina quin etiam, ſobolis ſpem in pyxide clauſam,
Immatura quidem, ſed tota atque integra ſervat:
Amplificante vitro quæ ſi perſpexeris, ingens
Nec prius auditum ſubito mirabere monſtrum:
Scilicet arboreos artus in acumine grani,
Exiguo totos; diſtinctamque ordine pulchro
Radicem a ramis. Tum grana ſecunda videres
Protinus in primis, aliudque in germine germen;
Si poſſent oculi tantas penetrare latebras.
Aſt, ubi deficiunt ſenſus, mens abdita rerum
Proſequitur, ſuperatque viam. Myſteria tanta
Jam capis: ecce offert tibi ſe innumerabilis ordo
Congenitorum hominum; quos primo in ſemine clauſit
Omnipotens ſator, aggeſtoſque volumine parvo
Implicuit: ſegetem æternam, & ſine fine feracem;
Quam ſuccedentes anni, revolutaque ſenſim
Tempora multiplici fœtu, partuque recludunt:
Et populus ſurgit, populus quoque mille daturus.

At

At non hoc hominis proprium eſt, quod diximus: æque
Competit organico, quod naſcitur ac perit; omni.
Ut roſa, ſic reliqui flores, herbæque virentes
Telluris decus; & multo producta labore
Vis ſegetum; & pomis dives pendentibus arbos;
Quæque tegunt altæ montana cacumina ſylvæ:
Sic acino incluſæ vites, & vitibus uvæ:
Sic in frumento ſeges eſt, & plurima meſſis:
Sic reliqua in reliquis: & quæ modo facta videntur,
Antea erant, ſed operta; at nunc revoluta pateſcunt.

Inde fit ut terræ non omnes omnia poſſint
Reddere. Nam multis Ceres aurea fulget in arvis,
Luxuriatque ſolo felici atque ubere glebæ,
Vix capita ut ſufferre queant pendentia ſylvæ
Culmorum; ridet grato ſub pondere tellus,
Et fruges largo profundit copia cornu.
Tales, ut perhibent, oſtentat Mœſia campos;
Tales Ægypti fortunatiſſima terra
Niliacis poſtquam late perfuſa fluentis,
Nigra conſperſas uligine ſenſit arenas.
Parte alia miſeros ſitis horrida, vel gravis humor
Vaſtat agros: ſtipulæ triſtes ſine honore fatiſcunt;
Squalet humus, victumque ægris præbere recuſat;
Et raras inter ſulci numerantur ariſtas.
Haud procul eſt humilis caſa paupertatis iniquæ;
Livida quam macies, dejectaque fletibus ora,
Et querulus dolor, & laceri teſtantur amictus.

Attamen ex uno potuit tam ſemine naſci
Dives opum, quam macra ſeges: diſcriminis ergo
Non

Non à ſeminibus, ratio à tellure petenda.
Nimirum ſalibus vel nullo rore ſolutis,
Vel nimio extinctis, vel deficientibus, omne
Defuit auxilium, validique potentia nitri:
Quo ſine multiplices aperiri in germine nexus,
Detur ut augmento locus, & primordia miris
Intricata modis paulatim extendere preſſam
Compagem, atque imo nequeunt emergere centro,
Laxatisque viis tandem ad ſublimia ferri.
Pauca reluctantes igitur vicere meatus
Utcumque, & ruptis ortum cepere catenis
Exſerto capite; at fruſtra: nam protinus illis
Incubuit ſopor & languens penuria, quando
Aut male digeſtos potarunt ebria ſuccos;
Noxius aut ardor jejuna liquore peruſſit.
Inde ſolum ſterile, inde ſati infelicis egeſtas.

Contra lætus ager, placidi quem lumina ſolis
Adſpiciunt, tepidique rigant, ubi jam ſitit, imbres,
Divitias meſſemque dabit tibi farris opimam;
Si conditus erit pingui ſale, ſulphure puro:
Quæ cum diluerit, quem tellus ebibit humor,
Continuo ſolis motum adſpirante calore
Transvehit in tubulos madefacti ſeminis, omnes
Inque ſinus; aperit germen, gazamque recludit
Frugiferam: hinc ſalium liquidis mucronibus urget
Abdita principia, & vinclis erumpere cogit,
Intus alens paſtu aſſiduo; ut radicibus alte
Porrectis, valeat tandem, cum venerit æſtas,
Inſignem gravibus ſpicis efferre maniplum.
Sic herbæ creſcunt omnes, quibus arva teguntur:

Sic

Sic genus arboreum, & quidquid ſub tegmine terræ
Partim alitur, partim ſub cœlo vivit aperto.

His patefit, quanto magis interiora cientur
Germinis, ac reſeratur apex ubi conſtat opum vis,
Hoc etiam uberius campis adoleſcere meſſes,
Et caput ornari Cereris; marceſcere porro,
Cum premit otium iners fœtus in ſtirpe latentes,
Et nil ſufficitur fundo ex torpente, quod illos
Intus ſollicitet, jubeatque abrumpere ſomnum,
Unde gravi leto dantur primordia vitæ;
Neglectumque perit genus, infinita daturum
Argumenta ſui, terræ ſi divitis eſſet
Illecebras faciles nactum, amplexusque benignos.

Ergo age, naturamque juva: namque arte juvari
Non dedignatur; quin ultro brachia tendit
Conanti, gaudetque ſuas oſtendere vires.
Cumque ſerenda tibi venient frumenta, memento
Ante dies aliquot medicata inſpergere lympha;
Quam fimus & cineres, levibusque volatile nitrum
Implerint ſalibus: tum granula quæque videbis
Obſervans, etſi modico ſint credita fundo,
In tam multiplices diviſa reſurgere partus,
Ut ſtupeas. Etenim bis millia terque quaterque,
(Tanta ſalis virtus) grano exorientur ab uno:
Et numeroſa phalanx calamorum, viminis inſtar,
Cui caput abſciſſum jam parte repullulat omni,
Expandetur humo, & late circumferet umbram.

At neque ſal nitri potis eſt effingere fructus
Triticeos, ac prole nova ditare ſerentem;

Nec

Nec molles Zephyrorum animæ; nec mobilis aër;
Nec radius clara miſſus Titanis ab arce;
Nec lapſi nimbis latices; nec roſcidus humor;
Nec vero natale ſolum. Nam ſemper eædem
Sunt cauſæ, vegetabilibus diſcrimine nullo
Quæ cunctis adſunt, pollentes indole eadem,
Nullius propriæ, communes omnibus æque:
Quamvis promoveant diverſos undique fœtus,
Pro varia rerum, quibus auxiliantur & adſunt,
Conditione ac natura. Sic nempe ſalubres
Paſſim mortiferis adnaſci cernimus herbas,
Dictamnis aconita, olera intermixta cicutis:
Cunctaque plantarum genera unus proferat hortus
Quæ pluviis iisdem, ſimul uno ſole fruentur.
Haud ſecus, ac rabidos quæ nutrit præda leones,
Hæc poterat nutrire lupos aquilasque canesque:
Nec tales ut ſint, facit; at prout invenit, auget.
Quæque etiam noſtris adventant pabula membris,
Et carnes, nervos, membranas, oſſa, liquores
Corporis inſtaurant, partis cujusque figuram
Accipiunt, non dant: multo minus intima cudunt
Organa, ſed tantum cuſis adjuncta cohærent.

Ergo nulla creant externæ ſemina cauſæ,
Nec rerum ſpecies, aut exemplaria formant.
Hinc fœcundatæ Cereris dum fœnora tanta
Suſpicis exigua nitroſi adſpergine ſucci,
Semina ſeminibus latuiſſe incluſa profundis,
Et prodire putes; quoties ea vividus actor
Eruit e tenebris, ac vitæ munere donat.
Neu dicas iſtæc fieri duntaxat in herba

Fru-

Frugifera, aut aliis quibus anno clauditur ætas;
Quippe dabit largos fructus, mirumque ſaporem,
Alter honos ruris, populorumque alma voluptas
Vinea, radicem ſimili perfuſa liquore.
Credes pampineos colles Tmoli, atque Phanæi
Deſcendiſſe tuum, quando experieris, in hortum,
Atque Palæſtinas immanis ponderis uvas
Palmitibus pendere tuis: tum lætus inemta
Vina bibes, quibus invideat Toccaia propago,
Campanis potiora etiam, potiora Falernis.

Unde hoc? Prodigii cauſa eſt, quod vitis avara
Jamdudum, nec fota prius niſi ſimplice cultu,
Germina, quæ longos alias ſervaſſet in annos,
Evolvenda diu & Maiis promenda futuris,
Imo etiam exſucca citius perimenda ſenecta,
Cogitur actutum cæca dimittere cella.
Scilicet impulſu nitri quatientis, & udo
Spirituum afflatu; quo multa ſupervenit eſca,
Eximio ſalium penitus condita veneno.
Nec timor, ingenitas tanto molimine vires
Ne cito deficiens effœtaque diſſipet; illas
Nec minimum labefactat: idem effectura quotannis
Lætior ubertate ſua; viridemque juventam
Suſtinet auxilio, quo fœcundatur, eodem;
Sero fatales ſenii expertura labores.

Cum vero plantæ, ut dictis oſtendimus, omnes
Secum innata ſui generis primordia ſemper
Poſſideant, & nil, quod non habet, hoc dare poſſit;
Omnino ratione pari primordia prolem

Ipſa ſuam ſervant: & ſicut ſemina plantæ
Fundunt ex ſe ipſis, ita dant quoque ſemina plantas.
Nec folia in ramis, fructusque ex floribus eſſent,
Ni proprio deſcripta forent in ſemine dudum
Principia, effigies rerum, gentisque futuræ.
Nec mihi quidquam obſtat, ſolito ſine ſemine quasdam,
Aut ſecto ex ramo, aut ipſa ex radice renaſci:
Eſt etenim in ramis, eſt in radicibus idem
Fertilis, & plenus granis genitalibus humor.
Is modo per ſuetos fibrarum ad ſumma canales
Paulatim aſcendens, apta denſatur in urna
Collectus, coquiturque ac matureſcit ab æſtu:
Et modo productis e cortice pendet ocellis,
Exſpectans aliud, quo det ſua germina, tempus,
Et clauſas manifeſtet opes. Hoc ſurculus omnis
Impletur ſucco; radix hoc omnis abundat;
Totaque fructifero turgeſcit planta liquore:
Qui cum naſcenti, & parvæ jam obſcurus ineſſet,
Creſcentem poſthac non deſerit usque; ſed auctus
Adveniente cibo, quem nutrix optima tellus
Suppeditat, ſpatio gaudet majore vagari
Liberior, ſenſim proprios aperitur in uſus,
Compactasque diu magis ac magis undique partes
Explicat, & vaſtum fœcundat denique truncum.

Non aliam ob cauſam, felix fortuna ſecuta eſt
Audax artis opus, cum primum imponere morem
Naturæ, ac truncis peregrinos addere fœtus,
Et plantæ cœpit vitium emendare colonus.
Nam niſi quæ fiſſo inſeritur nova virgula ligno,

Vel

Vel circumciſa lateri cute figitur hærens,
Omnia venturæ primordia gentis haberet
In ſe ſe jam nunc, & qualia nempe gerebat,
Dum pars maternæ fuit arboris, unde reciſa eſt,
Quo pacto proprias alieno in corpore dotes
Fundaret, ſtirpemque ſuam? Qua lege quotannis
Et florum gentilitios & frondis honores,
Et patrios fœtus, pede nil præbente niſi eſcam,
Atque alias itidem virgas effundere poſſet
Inſertari habiles? Quî caudex ferret agreſtis
Tam lepidum caput, & pomorum nobile pondus?
Hinc certè quidquid proficiſcitur, hoc ibi primum
Adfuit inceptum, & forma breviore coactum
In loculis; ubi ſe nodoſa oſtentat origo
Ramorum, ſpondetque tumens axilla lacertos.

Jam quæ ſponte ſua paſſim naſcuntur in agro,
Incultisve locis, ut ſpinæ herbæque nocentes,
Quas nullæ ſevere manus, quas nullus arator
Educat; aut in aquis veniunt fundoque paluſtri;
Ne credas terræ gremio haud concepta creari.
Namque aut ventus eo ſemen, volucrisque vel imber
Detulit; atque ipſi ſua ſunt quoque ſemina muſco:
Semina habet naſcens annoſo in robore viſcum,
Cui lignum alterius pro terra, vitaque furtum eſt.
Et ſua ſunt fungo, filici ſua ſemina, quamvis
Effugiant oculorum aciem: nam pulveris inſtar
Exigui rugis foliorum immerſa lateſcunt.
Nullum igitur ſperes terra de virgine germen.
Ac talem ſi quando voles in vaſe patenti
Ponere ſub dio, quam rarior altaque tela

Contegat, aërios facile admiſſura liquores,
Et Phœbi radios, at ſolis invia ventis;
Aſſiduus toto fruſtra irroraveris anno.

Non erat abſimilis veterum ſtupidiſſimus error,
Quasdam beſtiolas ſine progenitoribus ullis,
Materia ex putri & calefactis ſordibus ortas.
Cæci! quos latuit rerum immutabilis ordo:
Siccine, Naturam incertam, motumque ſuorum
Immemorem, & tantum potuiſtis fingere monſtrum?
Diſcite primarum legum inviolabile numen,
Et ſemel incuſſos, quibus omnis machina Mundi
Dirigitur motus, nulla vi poſſe retundi,
Nullo ſuppleri, nullo deſiſtere caſu.
Non etenim varia eſt, non futilis; at ſibi conſtat
Multiplici Natura operum in molimine ſimplex,
Propoſitique tenax. Cunctis animantibus una,
Una patet, vegetabilibus quæ janua vitæ.
Nec ſine concubitu mures in navibus eſſent:
At dum ligna fabri jungunt, & littore toto
Magnum ſurgit opus, tunc per ſecreta viarum
Intrant obſcuri, nec multo tempore gignunt;
Infeſtatque novam numeroſa colonia navim.
Qui vero abſumunt corrupta cadavera vermes,
Ante inerant taciti, atque exiles: inde ſolutis
Principiis, laxe dum fervent undique carnes,
Pars nati creſcunt, pars excluduntur ab ovis;
Et cito; nam quibus eſt data vita breviſſima, velox
Eſt incrementum; longævis tarda juventus.
Talis ad Oceani portus ſineſque Britannos
Piſcis avem referens, anatique ſimillima bernax,

Nunc

Nunc tabulas juxta ſenio atque humore marino
Confectas, nunc ſqualenti reperitur in alga;
Quam ligni ex ſanie cretam, foliisve caducis
Plebs nimium rudis & veri jejuna putavit:
Donec compertum eſt proprio de ſemine naſci
In ligno, aut cochleis, aut appendicibus algæ.
His igitur non ſeminium, at cunabula, ſordes.

Haut aliter, tibi ſi qua fides, divine Poëta,
Contuſi plagis tabentia viſcera tauri
Emittunt examen apum, quas nuper in ovis
Hauſerat hinc atque hinc errans per florida prata
Depoſitas. Sic immundo foſſa humida cœno
Buſones ranasque parit. Sic advena piſcis
Viſitur in ſtagnante lacu non ante repertus.
Quod ſi difficilis captu, aut incognita cauſa eſt,
Non ideo nullam eſſe putes: verum utere notis;
Quamque viam facilis monſtraverit, ocius illa
Naturam ſequere; invenies abſcondita rerum
Conjectans melius, teque ipſa exempla docebunt.

Adſpice quadrupedum genera omnia; ſive tremendas,
Immanesque feras in ſylvis, ſive fugaces;
Et manſueta domi pecora; & genus omne volantûm,
Aut aquilam, aut muſcam; ſerpentumque horrida monſtra;
Et quæcunque natant, ſquillas, aut grandia cete,
Et conchas; et quæ gemino gaudent elemento;
Et ſub diverſis inſecta micantia formis:
Nil niſi conjugio ſexus utriusque creatur.
Nec bene lumbricos, oculus queis deſit & auris,

Qui fodiunt glebam, terræque per abdita vivunt,
Haud ulla conſorte ſuam ſibi cudere prolem
Majores dixere; ſibi nam nubere vermis,
Parte ſui gemina, ſimul ipſe maritus & uxor
Creditus eſt; nudoque etiam qui corpore ſerpit,
Et mucoſa ſolo ſcribit veſtigia limax.
At licet androgynos, ſocio ſine fœdere amoris
Illos compertum eſt caſſo ſterileſcere fœtu.
Forte duplex aliis quoque vermibus illa facultas
Obtigit: aſt oritur patrio ſine ſemine nullus:
Nullus avis, atavisque caret; ſi exceperis unum,
Quem ſator omniparens ullo ſine ſemine finxit;
Semina concredens olli evolvenda per ævum.

ANTI-
LUCRETIUS,
SIVE
DE DEO ET NATURA
LIBRI NOVEM,
AD QUINTIUM.
LIBER OCTAVUS.

ARGUMENTUM.

Hoc Libro totius Mundi machinam, qua forma conſtet & quomodo regatur, dicendum proponit: a v. 1. ad. v. 14.

Hortatur Quintium ad inquirendam Mundi cauſam: laudat eos viros, qui Aſtronomiæ illuſtrandæ inſignem operam dederunt: his Epicureos comparat: a v. 14. ad v. 88.

Exponit breviter tria de Mundo ſyſtemata; ea parem vim habere dicit, ad aſſerendum ſupremum artificem; ſe tamen amore veritatis Copernici opinionem defenſurum: a v. 88. ad v. 163.

Copernicanum ſyſtema adverſus Ptolemaicum propugnat: a v. 163. ad v. 484.

Affert Kepleri regulam, cui rebellare ſyſtema Ptolemaicum, Copernicanum vero conſentire demonſtrat: a v. 484. ad v. 559.

Cauſam diverſitatis motuum cæleſtium, Solis in centro vertiginem, variorum verticum inter ſe libramen explicat: a v. 559. ad v. 678.

Proponit eas conjecturas, quas fert ſyſtema Carteſianum, de periheliis & apheliis Planetarum, eorumque varia a Sole diſtantia a v. 678. ad v. 767.

Terræ circa proprium centrum rotationem, tum tertium ejus motum, quo Stellæ magnum 26000 annorum orbem conficere videntur, explanat: profertque varias de Cometis conjecturas: a v. 767. ad v. 898.

Cur Planetæ diverſa velocitate diurnum orbem conficiant, cur Terræ axis inclinetur, item æquinoctiorum, ſolſtitiorum, quatuor anni tempeſtatum rationem ſigillatim exponit: a v. 898. ad v. 1171.

Terræ proprium verticem, Lunæ curſum, Solis & Lunæ eclipſes explicat. Hæc omnia inveſtigaſſe, ſi magnæ ſit artis; feciſſe quanto ſit majoris? concludit: a v. 1171. ad finem.

DE

DE MUNDO.

Nunc age, totius quænam ſit machina mundi,
Qua conſtet forma, & motus qua lege regatur,
Dicere fert animus, totumque expandere Numen.
Maxima jam veniunt oculis ſpectacula noſtris.
Ac veluti crebris aquilæ conatibus alas
Concutiunt, cum ſe primum e convalle profunda
Ad cœlum attollunt, & grandia corpora librant,
Et ſibi ſufficiunt cunctantes verbere ventos,
Phœbeoſque bibunt avidis obtutibus ignes;
Sic ubi ſemina per, perque hæc mortalia ſæcla
Reptando, vitæ fontes inviſimus almos,
Altius eniti juvat, aërioque volatu
Sidereos luſtrare oculis audacibus orbes.

Adſpice quæ vaſtis regionibus aſtra vagantur;
Quæ certis affixa locis, & lumine puro
Transadigunt cœlum, nativaque fulgura vibrant;
Hunc etiam lucis, tempeſtatumque parentem
Auricomum ſolem, cœli qui templa rigando,
Et maria & terras fœcunda lampade luſtrat:
Protuleritne Deus magna hæc miracula rerum,

An caſus dederit, ceu fert doctrina Lucreti,
Quærendum ſupereſt. Cuncti noctesque diesque
Tranſigimus, cuncti menſes numeramus & annos,
Et fruimur ſegetum renovatis meſſibus, aura
Ætheria, ſylvisque, & jugi flumine aquarum,
Et Phœbi radiis, & amico munere lunæ:
Quis rerum curat tantarum inquirere cauſam,
Atque modum, qui cauſam aperit? Plerique verentur
Scire, quod invitos doceat cui talia debent.
Sed tu, quem Veri nunc jam tenet una cupido,
Conſule quid veterum ſcriptis inventa recentum
Addiderint, & quæ tanti peperere labores,
Fac tua diſcendo. Nunc purius imbibe lumen:
Pronior in liquidam veniet ſapientia mentem.
En ſe diducunt nebulæ, & jam clarior æther
Se ſe aperit; radiis ne te, ne ſubtrahe primis:
Creſcent in validos exorta crepuſcula ſoles.

Plurima debentur priſcis ætatibus: illæ
Naturam agreſtem & ſpiſſo velamine ſeptam
Tentarunt primum; in ſe ſuſcepere laboris
Dura rudimenta, atque operis meruere coronam
Acribus inventis: nos verſa novalia demum
Cœpimus excolere, & partim veſtigia nota
Sectati, partim auxiliis melioribus uſi,
Majorum hæredes, propria diteſcimus arte;
Atque avidi fundos augemus opesque relictas.

Sic ab Ariſtarcho ſata primitus ac Philolao,
Jam doctrina diu rudis & neglecta jacebat,
Cum ſpeculatori gratum ſubolere Boruſſo
Cœpit, & ad ſummos rediviva aſcendit honores,

Talibus

Talibus auſpiciis; quam poſt Galilæus Etruſcæ
Gentis honos, canna primus qui ſe intulit aſtris,
Et comites vidit Jovis & nova ſidera cœlo,
Illuſtrem aſſenſu fecit; Keplerus adauxit
Errantum vero curſu. Quo nomine dicam
Naturæ genium, patriæ decus, ac decus ævi
Carteſium noſtri, quo ſe jactabit alumno
Gallia fœta viris, ac duplicis arte Minervæ;
Ante ſuos tacitura duces ac fulmina belli,
Quam Veri auctorem eximium, mentisque regendæ:
Ingenio magnis nec deceſſura Pelasgis;
Quanquam ea gens & Ariſtotelem, diumque Platona,
Pythagoramque tulit, ſatis uno Socrate dives!
Poſt hos incedunt fama ſuper æthera noti,
Quos Pariſina ſuos Academia tempore longo
Vidit & obſtupuit, magni Caſſinus & Huygens.
Annulus huic patuit Saturni unusque ſatelles;
Quatuor ille alios viſu deprendit acuto:
Permenſi cœlum ac terras, tot in orbe reperta
Vulgarunt, ut jam inclareſcat fabrica Mundi.

His Epicureos, & quem mirare Poëtam
Haud, reor, æquipares. Quæ rerum inſcitia ſuaſit,
Pro pudor! ut ſtellas majores eſſe negaret,
Et lunæ ſolisque globos, quam cuique videntur:
Exemplo tædæ procul apparentis abuſus?
Quin etiam ſolem, ſparſis per inania cœli
Seminibus flammæ, quæ caſus mane coëgit,
Autumat exſtingui noctis caligine cæca;
Tum poſt Idæos reparatum exſurgere montes.
Atque, ubi contingit ſpoliari lumine ſolem,

Et

Et lunam, dubitat monſtri num cauſa ſit umbra
Corporis oppoſiti, quasdam potiusne latebras
Tunc ſubeant, vultumque aliquo velamine celent:
Mirum, ni credat, velut Indum vulgus, in illos
Immani horrendum rictu ſævire Draconem.
Tales impietas habuit, jactatque patronos:
At pudet inſulſi commenta referre Lucreti.

Sunt tria de toto ſyſtemata cognita mundo.
Primum conſtituit ſphæram telluris inertem
In medio; circum jubet omnes ire Planetas,
Inter eos Phœbum, quo cætera corpora fulgent.
Abripit aſtrorum, Ptolemæo judice, turbam,
Perpetuaque trahit ſecum vertigine, ab Euris
Ad Zephyros, primum dicit quod mobile, cœlum.
Hoc ſuper axe ſuo viginti & quatuor horis
Volvitur: impenſe velox, qua dividit axem
Æquator; ſumme tardum, qua definit axis;
In duplici puncto nimirum Aquilonis & Auſtri.
Interea proprius tamen eſt Fixisque Planetisque,
At minor, a Zephyris qui tendit motus ad Euros,
Signa ſequens: hac quisque ſuum varie exigit annum.
Vi propria cœlo præ cunctis luna reſiſtit:
Frater enim contra dum nititur ire, diebus
Bis ſex, non ſpatii plus vincit, quam ſoror uno.
Concordes gyros, ſpatio diſtante, Planetæ
Decurrunt alii; recto nunc tramite pergunt.
Nunc fugiunt retro, nunc ſtant atque otia ducunt.

Non tulit hanc mundi ſpeciem Copernicus, etſi
Per populos longum dominatam, ultroque faventem
Senſibus, atque uſu ſancitam & more loquendi.

Audax,

Audax, inverſo penitus rerum ordine, Solem
In centro ſtatuit; Terram, cui Luna ſatelles,
Cum reliquis circa ſolem fluitare Planetis,
Ac duplici voluit lumen ſibi quærere motu,
Semper ad auroram directo; immobile cœlum
Interea, nullumque Polis cœleſtibus axem.
Non ægre hinc videas, quî nos ſpectacula fallant,
Ut, quæ volvuntur ſemper, tranquilla putentur;
Et motum credamus, ubi perfecta quies eſt.
Haud ſecus, ac portu cum ſolvit nauta relicto,
Littus abit, terræ fugiunt, urbesque recedunt:
Ille, ſui motus imprudens, omnia ferri;
Vicinam & navim, quam dentibus anchora fundat,
Currere; ſe reſidem putat his, quibus innatat, undis.

Aſt homo deluſuſque oculis, animoque ſuperbus,
In placitum errorem pronus delabitur: ac ſe
Turpe Planetarum numerari de grege cenſet;
Et quæ non videat, tamen hæc ſibi ſidera paſci,
Quoque loco ſedet, hic Mundi conſiſtere centrum
Vult & ait. Quoties Terra inclinata recludet
Partem aliquam cœli non viſam, ea ſurgere ſigna
Continuo; quoties elatior abdet Horizon,
Hæc eadem mergi, & ſub ſe collapſa putabit:
Quin etiam tantos ideo ferveſcere motus,
Ut ſe perpetuo ſtantem cœlum omne ſalutet;
Ac ſibi ceu domino, famuletur deditus orbis.
Tu quis homo es, qui tanta tibi? Sed perſequor orſa.

Diſcordes inter ſectas incertus & hærens,
Magnum operæ pretium & ſapientibus utile duxit,
Si miſceret utramque Tycho, vir ſanguine clarus,

A quo

A quo conſtructam cœli de nomine turrim
Uranies ædem, primum ætheris amphitheatrum,
Codani ſtupuit prænobilis inſula Ponti.
Ille igitur partim populari tractus ab aura,
Partim conſpicua perculſus imagine veri,
Conceſſit patribus cœlum, ſolemque moveri,
Non terram; at ſoli comites terræque, planetas
Diſtribuit: bonus ille quidem explorator olympi;
At non ſidereæ gentis moderamine felix.

Haud noſtrum tantas eſſet componere lites.
Nam ſeu Terra meat, ſeu plane immota quieſcit;
Seu tempeſtatum genitor lucisque diurnæ
Sol manet in centro; ſeu fert eclipticus illum
Circulus; ac ſolidum ſeu commovet omnia cœlum;
Seu purus liquor eſt, in quo paſſim aſtra feruntur
Ut ſoles totidem, propriisque inſtructa Planetis:
Non minus omnipotens Numen ſplendebit ubique,
Cujus inexhauſtas æquet ſapientia vires;
A quo facta ſemel, ſemper natura regatur.
Sed quia cogit amor veri, ſententia totum
Me rapit illa tamen, quæ per ſe clara refulget;
Ac mihi divinam præſtantius explicat artem.

Altera nam fateor, ſolitis accommoda rebus
Eſſe utcunque poteſt; nec fallet calculus illum,
Qui duce Niligena numeret: prædicta probabit
Exitus, eclipſes lunæ ſolisque redibunt,
Et pariter current Idus, pariterque Kalendæ.

At licet ad terram quod pertinet, illa diſerte
Expediat, quia nempe eadem ſe præbet imago,

Vel

Vel ſi ſpectator, vel ſi ſpectata moventur,
Plura tamen copernicio ſyſtemate clarent,
Quæ nunquam evolvat Ptolemæus. Cogitur omni
Effecto cauſaſque novas aptare, ſibique
Sæpe adverſantes: nihil ipſi denique planum
Aut liquidum, nihil ad leges & dogmata nota
Mechanices; nihil eſt quod comprobet, omnia ponit.
Cœleſtes adeo motus & ſidereas res
Inſtituit, nequaquam ut ſunt, ſed ut eſſe videntur.
Quin epicyclorum ambages, tot vincula miris
Intricata modis, tot multiplices Mæandros
Dum video, ſphæris errantibus æthere in alto,
Deſcribit terram circum, ſe protinus offert
Cretæi ſpecies Labyrinthi, Dædalus auctor
Quem per mille vias intexuit arte magiſtra.
Quæ lex præterea motus excuſet euntes
Ordine retrogrado alternis, ſtantesque Planetas?
In tam confuſa totius imagine mundi,
Olim quæ ſtomachum regi commovit ibero,
Priſca ſui liquiſſe chaos veſtigia credas.
Naturæ non eſt opus hoc; via ſcilicet olli
Simplex & conſtans, tenor immutabilis, unus.
Verum eſt naturæ concors, perque omnia greſſu
Ire pari felix, noſtri doctrina Boruſſi:
Qualem exornatam tibi nunc oſtendere conor,
Ceu veri ſpecimen, ceu numinis argumentum.

Quam longe lateque patet ſine limite noto
Mundus hic, aſtrorum locus, in quo fixa morantur,
Ut foveant ſphæras alienæ lucis egentes,
In quo ſol propriam tenet inter millia ſedem,

Vivida

Vivida materies, tenuis, liquidiſſima totum
Implet, ubique ſui ſimilis, qui dicitur æther.
Utque orbis terrarum in plurima regna ſecatur,
Et partitur idem provincia plurima regnum;
Sic & vorticibus compago hæc maxima conſtat
Innumeris, alios in ſe multoque minores
Complexis. Omnes in centro, vel prope centrum
Corpus habent aliquod medium, molemque rotundam.
Incluſis quæ vorticibus ſedet intima moles,
Et minor eſt, & opaca, diemque aliunde receptam,
Una parte ſui tantum perſentit, in umbris
Altera dum languet, radios habitura viciſſim.
Cingitur interdum ſimili comitum famulatu,
Subſidiumque petit ſibi luminis inde reflexi.
Maximus at vortex, unus qui continet omnes,
Poſſidet in medio, ſua ceu præcordia, ſidus
Igniferum, certa nunquam a ſtatione recedens,
Axem ſed proprium circa vertigine gyrans
Perpetua, qua corripitur circumfluus æther.
Cætera compoſitos innantia corpora motus
Concipiunt, ſparſumque legunt ex ordine lumen.
Vi propria ſplendent ergo, quæ fixa vocantur
Sidera; dumque ſuos agitant de more Planetas,
Attamen in medio perſtantia vortice regnant.
Tales in cœlo Canis & Lyra, Pegaſus, Argo,
Pleïadumque chorus; tales Arcturus, Orion,
Et quot cæruleo nox explicat æthere ſoles.

‘Quamvis illorum nequeat ſpectare Planetas
Viſus, & immenſam celet diſtantia molem;

Quis

Quis tamen, ut formam cœli conſpexit eandem,
Phœbeisque pares radios, talemque videndum
Solem e longinquo, qualis nunc ſtella videtur,
Diverſi generis ſolem ſtellasque micantes
Æſtimet, ac miræ vim tantam lucis inanem?
Natura omniparens non unam e divite fundo
Rem formare ſolet, ſed rerum effundere meſſem;
Et cauſæ ſimiles effecta ſimillima gignunt.

Solem adeo noſtrum, cor noſtri vorticis, atque
Luminis & motus fontem omni parte vigentis
Ponimus in centro: vaſtum & mirabile corpus,
Quod decies centum terrarum millia, molem
Si bene ſcrutaris, complectitur, ac diametro
Comprendit pariter centum terræ diametros.
Æſtuat hic ergo ſol igneus, inque loco ſtans
Vertitur aſſidue proprio ſuper axe diebus
Quinque & viginti, peragitque iteratque laborem,
Buxeus ut turbo, pueri quem forte flagellant,
Et ſtimulant plagis, puncto ſtat rectus in uno,
Dum celer ac tacitus multos in ſe exigit orbes.

Inter ſe forma ſimiles, non mole planetæ,
Quos ea vis agitat commoto flumine merſos,
Perpetuo ſolem circumdant more clientum,
Circumeuntque procul, variis tamen intervallis,
Et regnatori cum vorticis, inter eundum,
Obvertant partes convexi corporis omnes;
Orbis ut exactus revoluto eſt corpore, totum
Exhauſere diem; perfecto denique toto
Circuitu, ſpatium claudunt remeabilis anni.

Sic minimus properat, quo nobile ducitur agmen,
Mercurius; propior ſoli non cernitur alter.
Poſt hunc luciferæ Veneris nitidiſſima cœlo
Stella meat: ſequitur luna cum ſuppare tellus.
Hinc Mars ſanguinea ferrugine ſubruber: olli
Nondum deprenſi comites, at forte minores
Quam qui noſcantur. Viva tum luce refulgens
Juppiter & magnus, cui lunæ quatuor adſunt,
Auxiliare jubar: nam crebris noctibus umbras
Imminuunt ſupplentque diem. Cuſtodia major
Addita Saturno, qui vorticis incolit oras
Pallidus, extremumque piger circumplicat orbem.
Quinque illum refovent ſocii, quin lamina cingit,
Quæ transverſa globum partes diſtinguit in æquas.
Tantis longinquæ proviſum eſt undique moli
Subſidiis; etenim prope deficientia ſolis
Lumina multiplici replicant augentque repulſu.
Qualis decrepita confectus pene ſenecta,
Stipatur natis genitor, numeratque nepotes:
Cogitur is baculo corpus fulcire labaſcens;
Appoſitique juvare oculos munimine vitri;
Et dextra trepidantem aliena attollere dextram.

Dum reliquos inter communi lege planetas
Imus, & emiſſos Phœbi radiantis ad ignes
Volvimur, en alia, dum nox eſt, parte videmus
Haud multum vario currentia corpora plano.
Sed quem deſcribunt ovatum motibus orbem,
Nobis oblique cernentibus inclinatum
Et quaſi ſub facie fuſi apparere neceſſe eſt:
Quam ſpeciem referunt florentes labra per hortos,

Si

Si quando conſpecta procul, ſeu fercula menſæ:
Linea nam duplex ultra citraque videtur,
Et gemini fines puncto involvuntur in uno.
Dum ſua currentes rapit orbita certa Planetas,
Terricolarum oculos certus quoque decipit error;
Pro variiſque locis, nunc recta incedere credunt,
Nunc regredi, ætheriis nunc ſtare adfixa cavernis.
Atque eadem ſpecies illudit partibus iisdem.
Nam qui tres vaſto ſpatiantes æthere, circum
Et terram & ſolem gyro exteriore feruntur,
Conjuncti Phœbo cum ſuſpiciuntur, obire
Directos motus; veſtigia vertere retro
Oppoſiti; mox deſidia ceſſare videntur
In quadraturis, & anhelos ſiſtere curſus.
More quidem abſimili, ſed eadem fraude Venusque
Mercuriusque oculis ſpectantum illudere gaudent.
Has ſpecies tellus, dum circuit, addit utrisque.
Hæc etenim medium ſolem interioribus ambit
Tardior; at curſu prævertitur exteriores.
Ut ſi forte lacus per littora curva rotundi,
Actus eat ſonipes, unoque tenore feratur,
Te longe poſitum, gyro ſi pergis eodem
Segnior aut citior, mendax deludet imago.
Quod ſi ſole ſedens, quod centrum immobile motus
Omnivagi, circumſpectes volitare planetas,
Ire retro nullum, nullum conſiſtere credas.

Jam quid ais, Quinti? Nonne hæc prænuncia veri
Limpida ſimplicitas? Nonne hæc ſententia Suadæ
Filia, compertis tam clare conſona rebus,

Intortos flexus Ptolemæi & ſomnia vincit
Intricata, quibus neque lex, neque cauſa videtur?
Fac tamen hæc non eſſe ſatis; mihi majus in illum
Robur adhuc ſupereſt, & ineluctabile pondus
Argumentorum, quæ rem intellecta ſecabunt.

Qui portentoſa cœli vertigine raptum,
Semper ad occiduas mundi procedere partes
Phœbum arbitrantur, lux a quo defluit omnis,
Aſtrum ingens oculis potius quam mente ſecuti;
At niti proprio tamen in contraria motu,
Obliquaque via ſub olympi fornice vaſto:
Haud animadvertunt procul a ratione vagari,
Olli quod fruſtra genus impoſuere laboris.
Nam ſi cum toto ſtellæ moveantur olympo,
Atque eadem circa terram violentia, Solem
Saturnumque Jovemque ferat cunctoſque planetas:
Quî fit, ut in centro tam vaſti vorticis hærens,
Tanto præterea motu circumdata tellus,
Non etiam ſuper axe ſuo converſa rotetur?
Nam vel, ut in ſolidis, motus decreſcit eundo
Ad centrum; vel, ut in liquidis, cum tendit ad oras:
Si prius; extemplo tellus verſatilis iret,
Mole quidem cœli minus acriter: attamen iret
Axe ſuper proprio, quanquam ſtatione retenta,
More rotæ; faciem cœli adſpiceremus eandem
Semper; ubique dies aut nox æterna maneret.
Quod ſi poſterius; foret infinita movendæ
Vis terræ; cœlumque & ſidera fulguris inſtar
Effugerent oculos; noctesque dieſque redirent
Horæ momento: veluti confuſa videntur

Littora

Littora cum Pelago, rapide ſi vertat in orbem
Navigium Boreas, aut cæcus in æquore vortex.

Nec ſatis eſt. Solem tanta vertigine cœli
Correptum, quæ vis & ab æquatore vagari,
Motus ubi vehemens, & verſus utrumque viciſſim
Declinare polum, quæve inconſtantia cogit?
Hæc etenim cauſa fieri cogente neceſſe eſt.
Si geminis innata polis magnetica virtus
Errantem trahit in tropicos, cur inde quotannis
Cum ſemel alterutrum tetigit, remeare jubetur?
Occluſas reperitne vias? An denſior illic,
Quæ ſub cardinibus mundi tam lenta putatur
Materies, vetat ulterius procedere ſolem?
Hoc ſi eſſet, nunquam retro foret ille reflexus,
Ut pila quam lapidis facies offenſa retorquet;
At ſenſim curſum deperderet atque gradatim,
Semper eo tendens, quo primum tendere cœpit,
Donec eum premeret tandem ſopor atque veternus:
Ceu perhibent vulgo cœli decreſcere motum,
Quo magis ad fines magni protenditur axis.

Hinc novus illorum ſubito ſe detegit error.
Nam ſol in tropicis currens, ut currere dicunt,
Sane a cœleſti procul æquatore receſſit,
Quam longe diſtare poteſt; ſub fornice multum
Reſtricto jam curvat iter, motuque minori
Ducitur, & gyrum ſpatio breviore coarctat.
Aut ergo curſum reprimit, ſed cauſa morandi
Nulla eſt; aut paſſu graditur ſi ſemper eodem,
Tunc ſolito brevius nycthemeron ut ſit, oportet.
Quod ſi forte velint teretis per concava cœli

Verum ſolis iter ſpeciem informare cylindri
A tropico in tropicum, falluntur; nec ſibi conſtant.
Nam cœli motus, cui ſol parere jubetur,
Sphæricus eſt. Annon, ſimul ipſe ſit incola capri,
Grandior apparet? Facit hoc vicinia terræ.
Si verum ſtatuant, minor apparere profecto
Deberet, quia tum a terra diſtantior eſſet.

Huc accedit, uti quot cœlo ſidera toto
Fixa micant, & in occaſum migrare putantur
Unoquoque die, perpaulum quolibet anno
Sublabi, retroque trahi ſpectentur in ortum.
Haud ſecus, ac ſi quis prono delatus ab Iſtro
Certaret remis adverſum vincere flumen:
Quippe moras tenues conatibus ille phaſelo
Præcipiti faceret, quamvis abreptus aquarum
Decurſu rapido, ſociosque præire videret.
Sol igitur jam nunc ſtellæ comes inchoat annum:
Protinus unanimes ambo, bijugique videntur,
Diſcreti vero poſthac, iterumque propinqui:
Perficiunt ita diſſimilem pro munere curſum
Quisque ſuo. Demum transactis menſibus anni,
Sol redit ad cœli punctum, fuit unde profectus:
Obſerva, ſtellam invenies a ſole relictam
Non procul, aſt uno diſtantem pene minuto.
Arietis ætherii ſic olim e cornibus unum
Viderat Hipparchus, magni ſpeculator olympi,
Hic ubi conveniunt æquator & orbita ſolis.
Hoc ideo ſidus pro limine veris amœni
Conſtituere patres; nunc ſe promovit eoum
In latus, occiduo ſenſim ſenſimque relicto:

Ac

Ac prope zodiaci duodena parte recedens,
Invaſit ſedem tauri, pepulitque gemellos
Taurus, & in cancrum ſe produxere gemelli.
Præteritis adeo ſæclis ſimul omnia ſigna
Mutavere locum, & mutabunt usque futuris.

Non æquator eum, aſt ecliptica ſola videtur
Aut motum regere aut progignere; nam ſibi cogit
Eſſe parallelum ſemper. Quare omnis ab illa
Quæ nunc ſtellarum diſtantia cernitur eſſe,
Perpetuo talisque fuit, talisque futura eſt.
Verum æquatori quæ proxima ſidera quondam,
Nunc ab eo ceſſere: Polum quoque deſeret ipſum
Urſa minor, cœlo quondam ſpatiabitur amplo,
Atque aliis, quo nunc fruitur, concedet honorem;
Nec leges hiemi dabit aut aquilonibus atris;
Nec mundi vertex, nec erit tranantibus æquor
Incertisque viæ ſignum immutabile nautis.
Annorum tredecim bis millia tota neceſſe eſt
Effluxiſſe prius, repetant quam ſidera ſedem,
Primævusque ſitus toti reddatur olympo.
Mundus in integrum tunc omnis reſtituet ſe.
Cauſa rei quænam eſt? Veterum hanc ſententia
pandat.

Primo, vel ſtellas circumfert mobile cœlum
Hærentes, veluti fixos in fornice clavos,
Vel ſine compedibus fatearis nare ſolutas.
Hærentes ferri ſi dixeris, ergo remotis
Congenerem ſtellis, ſolem hunc adamantina cœlo
Vincla ligant, rutilo ceu gemma includitur auro.
Sol quoque, ais, ſolido ſuſpenſus in orbe rotatur;

Et ſua conſtrictos torquet teſtudo planetas;
Ac dum terram obeunt, immotis nexibus hærent
Mercurius proprio, proprio Venus in cryſtallo,
Alter telluri vicinior, altera ſoli.
Cur igitur ſolem ſupra quandoque feruntur
Mercuriusque, Venusque? Et qua vi denique poſſunt
Rumpere iter, ſolemque effractis vincere regnis?
Scilicet immenſæ ſolida hæc laquearia molis,
Tot cryſtalla, levi, vitrum ceu futile, flatu
Dudum diſſiluere; ergo non ullus euntes
Nexus habet ſtellas: quod ſi des ire ſolutas,
Non magis expedies nodum, pejoribus imo
Implicitus laqueis. Motu nam cuncta diurno
Sidera, tempus idem ſpatiis inſumere conſtat
Longe diverſis: viden', ut cynoſura moratur
Tantumdem in parvo languens, quo circuit axem
Extremum gyro, quantum illa celerrima turba,
Quæ medium non credibili vertigine cingit,
Æquatorem habitans & qua deſcribitur orbis
Maximus. Ecce igitur, quando labentibus annis
Vis ea, quæ ſtellas invito turbine cœli
Ut lente, ſic aſſidue detorquet in ortum,
Ipſam, alias inter, cynoſuram adduxerit illuc,
Motus ubi citior, quia grandior orbis arandus,
Dic age, quæ virtus addet nova protinus alas
Huic aſtro? Vel quæ creſcentem in ſæcula motum
Inque dies adeo moderabitur, ut nihil ultra
Quam par eſt currat, nihil & minus; ac ſuus ordo,
Et ſua ſervetur ſtellis diſtantia cunctis?
Sed quando, ſimili revoluto tempore, tandem
Hoc erit, antiquas repetant ut ſidera ſedes,

Et

Et cynoſura Polum, torpens velut ante, reviſat;
Quæ tunc illam adeo compeſcet plumbea virtus,
Perque gradus motum poterit frenare diurnum.
Illius in reditu, minimus ne intercidat error?
Atque ita ſidereas omnes, & qualibet hora,
Ceu filo, ad nutum regere & variare choreas,
Ut ſpatiis tam diſparibus, verumtamen uno
Tempore complendis, curſus momenta coaptet?

Intrant in liquidum, dices, motumque ſequuntur
Materiæ circa terram ſine fine fluentis,
Et varie, prout eſt illius ab axe remota.
Non igitur ſolida tibi jam compage videtur
Stelliferum, ut voluere patres, conſiſtere cœlum:
Sed motum, & motus cauſam non credere ceſſas.
Verum, ſi ſolidum non eſt, intellige motus
Ætherios, quales liquidi natura requirit;
Et quales peragi docet experientia verax.

Corpora quæ cœlo circumvolvuntur in orbem,
Quo minus a centro diſtant, velocius ire,
Languidius vero, quo plus ſunt diſſita conſtat.
Sane id moris habent comites Jovis & Saturni.
Nam longe poſiti, & longos & tempore longo
Circuitus peragunt; breviores tempore parvo,
Qui prope nant. Primus legem detexit in aſtris,
Arcanamque auſus crebris obtutibus artem
Surripere, hanc nobis Keplerus tradidit auctor.
Quam Jovis explorans in quadrijugo famulatu,
Nec non inventa Saturni nuper in aula,
Mirandum! omnino reperit Caſſinus eamdem.
Sic ubi noſſe voles comitum loca certa duorum,

Et quanto cœli ſpatio ſit uterque remotus
Communi a centro, ſeu corpore principis aſtri,
Amborum quadres revoluti tempora curſus;
Quam porro inter ſe rationem tempora ſervant
Quadrata, hanc cubefacta etiam diſtantia ſervat.

Ergò, ſi veterum veſtigia trita ſequere,
Terraque in centro poſita, circumire jubebis
Sideraque & Lunam & cunctos cum ſole planetas,
Ac totam immenſi molem exagitabis olympi;
Corpora ſic diverſa regas, ut proxima terræ
Currendo citius, quam ſejunctiſſima gyrum
Perficiant: id enim Kepleri regula poſcit.
Verum luna ſuo perfuncta eſt circiter horis
Quinque & viginti; porro, quam luna prope abſit
Haud neſcis: Phœbo interea, qui volvitur ultra
Tam procul, ut lunæ velari corpore poſſit:
Quanquam prægrandis, viginti & quatuor horæ
Sufficiunt; igitur communi a lege recedit.
De ſtellis autem quid jam dicemus? Et iſtis
Præcipue, quas tanta oculo diſtantia noſtro
Præripit, ut nimbo ſimiles videantur & albæ,
Ac teleſcopio vix percipiantur in umbra?
Hæ ſolem, tardamque magis prævertere lunam
Cernuntur; motu ſuperant utrumque diurno:
Unde omnes legi, quam diximus ante, rebellant.

Nunc videamus, utrum ſedes primaria ſoli
Cum datur, & reliquis ſociatur terra planetis,
Motus ad hanc omnis ſe ſe concinnet amuſſim?
Mercurius primo, qui ſolem proximus ambit,
Tres in circuitu menſes, Venus exigit octo.

Tempora ſi quadres, minus in majore recurret.
Et ſemel & ter bis, non nil ſuper. Unde neceſſe eſt,
Si ſpatia interjecta cubes ab utroque planeta
Ad ſolem, ut toties minus in majore recurrat;
Sive, ut luciferæ Veneris diſtantia major
Contineat ſemel & ter bis cubefacta minorem.
Nunc cubica e ſeptem ſi prodeat eruta radix,
Dat ferme duo. Sic paulum reperimus abeſſe,
Quin duplo magis a Phœbo Venus aurea diſtet,
Quam ſidus leve Mercurii perſæpe latentis
Oceano in medio radiorum, ubi lumine pleno
Mergitur, & ſpiſſos avide bibit ebrius ignes.
A Venere occurrit tellus, quæ volvitur annum.
Hunc ſi contuleris cum Mercurii Venerisque
Temporibus, ſimili ratione modoque videbis,
Tellurem a centro ſolis motusque remotam
Ut Venus eſt cum dimidio, bis & amplius autem
Quantum Mercurius. Per cuncta biennia Martis
Inſtauratur iter. Numera: diſcedere Martem
Vix minus a nobis, quam nos a ſole, patebit.
Tum reſcire cupis, quæ ſit Jovis orbita magni,
Quantaque? Biſſenis tantum percurritur annis.
Hinc ſuperat Martis tria Juppiter intervalla.
Poſtremo cum ſex ægre Saturnus eundo
Luſtra terat, manet ultra omnes a corpore ſolis
Diviſus, radiumque Jovis duplicare videtur;
Nec tamen omnino. Sed clare ut ſingula cernas,
En cujusque tibi diſtantia nota planetæ.
Mercurius diſtet ſpatiis a ſole duobus;
Bis duo ſunt Veneri prope, quinque ipſiſſima terræ;

Mars

Mars octo, ſex & viginti Juppiter ingens,
Et quinquaginta demum Saturnus habebit.

Admiranda quidem cœleſtis regula motus;
At mirabilior, quod ab uno turbine ſolis
Cuncta ſimul, variiſque modis abrepta ferantur.
Jamque rei facilem paucis intellige cauſam.
Corpora ſæpe vides ſolida & compacta rotari:
His, quia ſunt radii ſtabiles unaque ligati,
Extima pars agitur citius, quam proxima centro;
Quandoquidem longe majores cogitur uno
Temporis in ſpatio curſans abſolvere gyros:
Sed mos in fluidis & lex contraria regnat;
Quod partes habeant laxas vincliſque carentes,
Atque ita disjungi faciles, & ab axe ſolutas.
Ortus enim a centro non vi promanat eadem
Impetus, extremam neque pervenit omnis ad oram,
Sed minor atque minor ſenſim decreſcit eundo.
Ut lapide injecto ſi forte exciveris orbes
In ſtagnante lacu, videas langueſcere paulum
Extremos; quia vis late diſperſa fatiſcit:
Vix humili ſegnes criſpant ſumma æquora fluctu.

Et ſane, motus cum ſit (quod vidimus ante)
Omnis ab impulſu, quæ corpora cunque moventur,
Et pelli, & breviore via, quæ recta profecto eſt,
A pellente, quoad poſſunt, diſcedere debent;
Si modo nil iſthac ferri ratione vetabit.
Id motus omnes, id clare pondera monſtrant.
Quæ propria vero centrum vertigine cingunt,
Etſi diverſa videantur lege moveri,

Haud

Haud minus hanc normam ſervant ac cætera, quantum
Eſt in ſe; huc tendunt ſemper, nec temporis ullum
Momentum eſt, quin id conentur, tramite recto
Ut ſe ſummoveant a centro & origine motus;
Ac per tangentem: quia tangens linea primum
Incœpta eſt, & avent, qua cœptum eſt, pergere porro:
Et vero hac fugiunt ubi nil fugientibus obſtat.
Sed quia vi quadam oppoſita regeruntur in illud,
Unde abeunt, impulſa ſimul, pariterque repulſa,
Motibus e geminis medius conflatur, utrumque
Participans; rectæque loco deſcribere curvam
Coguntur, centrumque ſuo circumdare curſu.
At nos in curvis aliud nihil eſſe videmus
Præter rectarum infinita exordia, ſemper
Oblique poſita, & ſemper tentata, neque unquam
Continuata; vetat ſiquidem contraria virtus.

Hæc ergo oppoſita quo plus virtute retundi
Corpora contingit, ſimul & brevioribus axem
Quo cingunt gyris, vehementius ire neceſſe eſt:
Quales ingeminant curſum ſub pontibus undæ;
Aëris aut penetrans anguſta foramina flumen.
Aſt ubi centrifugæ diſtant ab origine vires
Longius, ac per eas qui circumſcribitur orbis
Amplior evadit: tum linea curva gradatim
Ad rectam accedit propius; langueſcere tandem
Incipiunt, ac debilior fit niſus in illis;
Quod jam laxatæ ſpatio majore fruantur.
Haud ſecus intorti chalybis cum lamina primum
Explicuit ſe ſe, vim magnam ex parte remittit;

Pulſat

Pulſat clauſtra minus, nec jam conamine tanto
Prorumpens, thecæ latera imbecillior urget.
Sic ea materies noſtrum diffuſa per orbem
Quæ cœli pars eſt, implens ſolaria regna,
Turbine perpetuo flammantis volvitur aſtri:
Sic tamen ut motus, cum ſit liquidiſſima, tantum
Accipiat, quantum remanet vicina moventi;
Tantum deperdat, quantum removetur ab illo,
Et vaſtos regni fines diſtracta pererrat.
Quo plures in particulas vis tota moventis
Dividitur, tanto ſimul imminuatur oportet.
Tardius inde fluit regio ſaturnia magni
Vorticis, atque viæ quintuplo ſegnius inſtat,
Quam quæ Mercurium deſert amplexa volantem.

Quæ ſi Materies tanto fugit incita motu
Cum propior centro eſt, in centro turbinis ipſo
Quam rapide properat! Magno eruptura tumultu,
Corticis objecti contra niſi ſepta reſiſtant:
Unde repercuſſus liquor, atque coërcitus intra
Mœnia, conflictu valido miſcetur & errat,
Mirum efferveſcens, antroque exæſtuat imo.
Cortex innumeris etiam ſubſultibus ipſe
Concutitur, fluidumque ferit, quo cingitur extra:
Omni parte fremens, radios circumundique rectos
Efficit aſſiduo pulſu; quæ lucis origo eſt.
Motus hic interior, quo ſolis fervere corpus,
Et circumdantem jaculari cernimus æthram,
Perpetuo de congenita vertigine nonnil
Detrahit; hanc minuit, centroque retardat in ipſo.
Solem ideo cogit viginti & quinque dierum

Vertendo

Vertendo traxiſſe moram, velocius illo
Munere functurum, ni ſiſteret intimus ardor.
Signa rei ſunt certa, levi quæ tegmine diſcum
Informes maculæ percurrunt atque nigrantes.
Scilicet hunc fumum, liquefacti more metalli,
Exſudat ſol ignivomus, fuliginis inſtar
Hærentis; quæ poſt mutata ſæpe figura,
Creſcens, decreſcens, ſolet evaneſcere tandem.

Centrifugis dixi in mundo contendere vires
Viribus oppoſitas; vere. Nam vorticis hujus
Quem ſol uſque ciet volvens, extrema premuntur
Vorticibus variis, quibus ille eſt undique cinctus.
Hi ſolemque ſuum & ſua cum vaga ſidera norint,
Turbine perpetuo, ac ſimili ratione moventur;
Propulſantque alios, propulſanturque viciſſim:
Preſſura ut vinci nequeant, ita vincere nulli
Conceſſum eſt, ultraque ſuos excurrere fines.
Sic obſiſtendo ſe tanta volumina librant.
Hinc fluvio, noſtrum lambens qui terminat orbem,
Quamvis directo conetur tramite ferri,
Sponte ſua, intercluſa fuga eſt: ergo ille reflexus
Cogitur incurvare vias, cogitque ſequentem.
Ecce autem in media currentis materiæ vi
Magna planetarum fluitantia corpora cernis:
Illa volubilibus raptari merſa fluentis,
Ac circum rutilos Phœbei ſideris ignes
Turmatim properare & eadem currere, qua ſol,
Induperator iter propria vertigine ſignat,
Occaſum ſemper fugiens ut vergat in ortum;
Hoc tibi jam notum & certa ratione probatum eſt.

Quin

Quin etiam impetui cur ſic reſpondeat omnis
Illorum inter ſe diſtantia, nullus, opinor,
Ignoras. Neque quod ſupereſt aperire moleſtum.
Scire cupis, varie cur ſic a ſole recedant;
Cur etiam præter communem in vortice magno
Circuitum, quo cuique ſuus deſcribitur annus,
Turbine privato qui certis conficit horis
Noctes atque dies, proprio ſuper axe rotentur:
Expediam. Cauſa eſt eadem, quam diximus ante.

Nam vis illa potens, quæ primum a ſole profecta
Totum agitat fluidum, fundæque imitata vigorem,
Æthera circumfuſum ad vorticis ultima vibrat,
Quodcunque offendit condenſum ac mole reſiſtens,
Impetit, atque elata ſupra violenter ad imum
Præcipitat centrum: quin Phœbo denique mergi
Cogeret, impulſu momenta in ſingula adaucto,
(Ut ſolet in caſu gravium, fierique neceſſe eſt)
Ni radiorum acies fervens ac vivida contra
Libraret, quæ dimidium complexa planetam,
Suſtinet illabens conſtanti robore pondus.
Oppoſitis igitur, vi colluctantibus æqua
Motibus, inde poteſt neutri concedere corpus:
Fit mora, fit requies; & eo conſiſtere debet
Uſque loco, fines ac centrum vorticis inter,
Quo ſemper vires æquatæ, & pugna perennis;
Unde fit, adverſi niſus ſimul evaneſcant.

Nec vero locus eſſe poteſt ille unus & idem
Corporibus cunctis. Aliud nam latius offert
Majorem radiis faciem ſolaribus, etſi
Forte cavum eſt, rarique magis circum intima textus:
Denſius

Denſius eſſe poteſt aliud, formæque minoris.
Diverſum idcirco pro mole ſuperficieque,
Suſcipiunt a particulis ferientibus ictum;
Et magis atque minus parte ex utraque fugantur.
Haud ſecus ac tubulis ubi fons deductus apertis
Proſilit, & ſuavi ſe murmure tollit in auras,
Mollem erumpenti ſphæram ſi objeceris, undas
Contrahit, illa manet liquida ſuſpenſa columna,
Altius inferiusve quidem, prout ipſa graveſcit:
Sic tamen, ut tremulo nonnil agitata liquore
Fluctuet, ac varios uno det tempore motus.
Ergo patet, ſphæræ grandes cur ſolis ab axe
Communi, non æqua per intervalla recedant;
Atque aliæ ſuprema colant, aliæ infima cœli;
Quædam intermediæ fluitent in gurgite vaſto;
Omnes aſſidue veſtigia trita revolvant;
Curriculisque ſuis haud unquam excedere poſſint.

Sed quia difficile eſt pugnantibus e diametro
Viribus, ut cernis (volitans pila nempe docebat)
Punctum aſſignari perfectæ poſſe quietis,
Idque individuum: ceu pendula mota videmus,
Multis hinc atque hinc impulſibus exagitari,
Et perpendiculum tranſcendere ſæpe, priusquam
Exſtincto motu tandem ſedata quieſcant:
Ceu pariter lymphis injecta liquentibus arbos
Mergitur, exſurgit crebro, reciditque reditque,
Donec eat, propria ſine vi, permiſſa fluento:
Sic etiam ad ſolem, cum prævalet altera virtus,
Accedunt æquo propius quandoque Planetæ.
Porro hæc illorum perihelia dicimus: & cum

Altera prævaluit, plus æquo a ſole recedunt;
Atque hæc illorum dicuntur aphelia. Quare
Non prorſus medium ſol igneus occupat orbem,
Nec vero in centro eſt: at quæ circum orbita currit,
Ellipſis potius, quam circulus eſſe videtur.
Sic autem quovis anno cujusque planetæ
Mutantur puncta hæc, extremi a ſole receſſus,
Atque aliquem progreſſum a vorticis impete ſumunt,
Ut tandem ex illis omnino circulus exſtet,
Annorum ſerie longa perfectus & ingens,
In vero cujus centro ſtat regia ſolis.

Hoc etiam his addam; confert ad pondera multum,
In quo cuncta natant fluidi natura liquoris.
Suſtentatur aquis etenim, non aëre lignum;
Et quæ Mercurius portat, ſorbentur ab undis.
Materies igitur vehementi concita motu
Non procul a centro, facta hinc ſubtilior, impar
Huic oneri ſecum geſtando forte futura eſt;
Quod facile illa feret, quæ centro diſſita cum ſit
Languidior, jam deſidia fit craſſior ipſa.
Adde quod ex illo, cœpit quo tempore ſolis
Ingens aula rapi circum, acquiſivit & ipſa
Centrifugi quiddam, quod cum vectore liquenti
Pugnat; & in cauſis motus & in ordine certo
Qui ſervatur, habet partem, me judice, magnam.

Cuncta minutatim quod demonſtrare nequimus,
Rebus in abſtruſis, veniam dabis, optime Quinti.
Multa quidem ſunt in cœlo certiſſima, acutis
Quæ ſpectari oculis poſſunt, vel mente ſagaci:
Sunt nonnulla, auſu quæ conjectura modeſto

Aſſequitur

Aſſequitur tantum. Sed vero proxima res eſt,
Ex his, quas retuli, coëuntibus omnia cauſis
Stare planetarum loca, diſcērnique meatus.

Tu mihi nunc, præclara novum ſapientia lumen,
Tu mihi cœleſtes animos infunde roganti;
Uranie tu vera: tuas dum proſequor artes,
Et ſuccenſus amore tui raptusque per auras,
Ultima ſiderei motus arcana recludo.
Duc igitur, qui te tua per veſtigia quærit,
Ne ſpatio immenſo vagus aut incertus aberret.

Sunt duo materiæ tanquam tabulata fluentis
Ducentisque globum. Superis quæ partibus inſtat,
Uberior ſane, quia majorem occupat arcum;
Sed properat lente: minor eſt inferna tenentis
Copia, quandoquidem breviore includitur arcu;
Sed fuga vividior. Prius hæc manifeſta reliqui.
Penſatis utrinque modis ac viribus, unum
Fit medium quoddam, necnon æquabile momen,
Quo ſimul omne globi corpus pulſatur ab omni
Flumine: nam ſolidi partes ac membra cohærent,
Etſi tanguntur varie; neque flectitur axis.
Motus hic aſſiduus (meminiſti) perficit annum.

Cauſa vices eadem noctis parit atque diei.
Nam cum terra natet ſuperis velocior undis,
Segnior infernis, partes lambentibus imas
Objicit illa moram, & poſtica parte reſiſtit.
Ac veluti magnis ubi molibus agger, aquarum
Intercludit iter, gemit amnis, & agmine fluctus
Agglomerant ſe ſe cumulatim; culmina donec

Ardua tranſiliunt, & largo flumine inundant:
Incurrit ſic materies effuſa natantem
In ſcopulum, quatiens a tergo quidquid in altum
Prominet. At quoniam denſum pervadere corpus
Haud potis eſt, neque ſegnitiem accelerare morantis;
Tantum reprimitur, quanto ipſa citatior illo eſt.
Non habet ut refluat, cum poſteriore prematur:
Nec ſubterfugio locus eſt; inhibetur ab illo
Flumine, quod ſemper velocius alluit infra;
Quin & centrifugæ vires a ſole repellunt:
Cogitur in ſuperas ergo conſcendere partes,
Lenior eſt ubi materiæ progreſſus euntis,
Quam concedentem facili conamine vincit.
Sic valido appulſu molem amplexata rotundam
Deſuper, adradens ferit, inclinatque cacumen.
Hujus deſcenſu liquor interceptus ad ima
Truditur, impellitque globum, ſubtusque movendo
Erigit infernas partes. Ea cauſa viciſſim
Dimidio dat dimidium ſuccedere ſemper.

Vincitur idcirco ſuperi ubertate fluenti
Inferius, quanquam citiori vincere motu
Poſſe videbatur, totamque invertere terram
Semper ad occaſum, ſinerent obſtantia. Verum
Non ita concedit, quin vires explicet omnes.
Et quia ter novies millena parte (parum deeſt)
Ocius incurrit, momen telluris in ortum
Ter novies etiam millena parte retardat.
Inde fit, ut rediens expleto denique terra
Curriculo, ſtellas jam non offendat eodem
In puncto cœli; nec eo ſe dirigat axis

Quo

Quo directus erat, quando prior exiit annus:
Aſt ignara rei ſtellas tantisper ab ortu
Deſciviſſe putat, quamvis deſciverit ipſa.

Tertius hic motus geminis contrarius eſſe
Debuit, ut conſtans terræ poſitura maneret
In fluido, vi cujus eunt annusque diesque.
Nempe aliud cum ſit centrum gravitatis in orbe
Terreno molisque aliud, pars altera terræ
Quæ gravior, pars quæ levior, non ſicut oportet
Motum dividerent: ex uno fine minorem,
Majorem ex alio conum deſcriberet axis.
Ergo, quod nimium ſupereſt, mora facta recidit,
Temperat exæquans motus, & corrigit axem.
Is cum æquatorem, quo ecliptica linea diſtat,
Ut dictum eſt, gradibus prope quatuor & viginti,
Ad perpendiculum ſcindat; ſic diſtat ab illa
Sexaginta & ſex gradibus prope: qui ſtatus axi
Perpetuus, quocunque modo ſe terra revolvat,
Sive diem faciens, ſive annum, aut ſæcla ducenta
Cum ſexaginta; quibus actis terra revertens
Huc unde exierat primum, tunc reddita priſcis
Aſtra locis credet, cernens ea rurſus ibidem.

Jamque vides uno quam belle ac ſimplice motu,
Magna planetarum magno volvantur in orbe
Corpora, perpetuoque in ſe converſa rotentur.
Nec te is detineat nodus (quem ſolvere primo
Conatu promtum eſt, Newtoni induſtria quamvis
Nexuerit) fluidam craſſis obſiſtere molem
Corporibus; motum hinc minui, tandemque futurum

 Ut

Ut pereat. Verum hoc eſſet, ſi torpida moles
Stagnaret fluidi; aut adverſo concita motu
Obluctaretur contra venientibus aſtris:
At nemo alterutrum dicat. Fluit incitus æther,
Quo ſphæræ currunt; ſimul uno more feruntur
Una vi ſolis, pulſuque moventur eodem.
Sic non eſt, æther ſphæris ut mole reſiſtat.
Aiunt præterea tranſverſos ire cometas
Æthera per medium, neque concordare planetis.

Nec via, nec regio nobis bene nota cometæ,
Qui clandeſtino motu cæcoque rotatur.
Circuitus magni quem ſignat in æthere, partem
Conſpicimus parvam, quoties pervenerit illuc,
Quo ferri poſſunt oculi, & diſtinguere lumen
Obſcurum, ſeu cauda illum, ſeu crinis honeſtat;
Hoc eſt, ſeu recte, ſeu tranſverſim obvius ille eſt.
Quærendum primo, qui ſit, quem cernimus arcum:
Linea namque poteſt etiam directa videri,
Cum vere ſit curva, & ſolem cingere pergat:
Ut rectos & retrogrados quandoque planetas
Apparere prius monui. Si nempe cometis
Ultra Saturnum locus eſt, tam diſſita ſoli
Percurrunt ſpatia atque globo tam diſſita noſtro,
Proxima ut illorum perihelia ſint perigæis,
Nec facile in noſtro poſſint occurrere plano.
At quem deſcribunt noſtris adſpectibus arcum
Pertenuem (quidquid ſupereſt nam cærula condunt)
Aut rectum, aut recti ſimilem perſæpe putamus,
Et nunc in Boream, nunc tendere forſan in Auſtrum,
Revera quamvis in partes tendat Eoas.

Nempe

Nempe ex diverſo poſitu telluris & aſtri
Judicium ferimus; quæ ſi inclinata cometæ
Tunc fuerit, quantum eſſe poteſt, quando ille patebit,
Senſibus illudet noſtris mirabile monſtrum.

Unde cometa poteſt cunctis par eſſe planetis,
Etſi perraro ſe prodens unus & idem,
Aufugiensque brevi, diſpar videatur & exlex.
Quid? Si dixerimus peregrinos eſſe cometas,
Alterius patriæ cives, aulæque miniſtros
Finitimæ, ſeu præcipuos, ſeu forte minores,
Atque ibi Saturnos, ubi Sirius et Lyra regnant.
Tum nil miremur, quod noſtri vorticis oram
Transverſi ſubeant nonnunquam, ac tramite curvo
Partim delibent, & concurrentibus illic
Motibus oppoſitis, communi a lege recedant.

In liquido certum eſt igitur, vaga corpora ferri,
Et revoluta rapi fluidi torrente prementis.
Propterea toto quæ ſunt craſſiſſima cœlo,
Errantes inter ſtellas, fluvioque vehenti
Opponunt faciem vaſtam & vix mobile robur,
Ocius hæc aliis multo fusdeque moveri
Cernuntur, noctesque ſuis mutare diebus;
Etſi Zodiacum perluſtrant tempore magno.
Sed contra molis quæ ſunt formæque minoris,
Tardius illa diem peragunt, velocius annum.
Ille planetarum ſupremus in æthere princeps,
Unus præ cunctis aureo diademate cinctus,
Et qui tricenos conſumit in Ariete menſes,
Non tamen undenas, teſtis ſi admittitur Huygens,

Turbine dum proprio torquetur, computat horas
Juppiter inferior, ſed nulli mole ſecundus,
Cum ſociis annum ſigno cunctatur in uno:
At ſuper axe tamen denis convolvitur horis.
Mars paulo terra minor eſt, Venus inclyta major;
Unam adimit Venus e noſtris, Mars adjicit unam.
De Veneris, fateor, dubitant vertigine, verum
Caſſini magis arridet ſententia. Quod ſi
Mercurium rutilo degentem in lumine ſolis
Viſu ſectari perſæpe diuque liceret,
Haud dubie longo præ cunctis tempore motum
Huncce videretur (fortaſſe videbitur olim)
Perficere; errantum ſiquidem tenuiſſimus ille eſt,
Et faciem parvam cœleſtibus objicit undis.

Noctibus inde dies planum eſt, noctesque diebus
Ordine ſubſtitui certo, alterniſque reverti.
Nam facies convexa globi dum vertitur, omnes
Illius ad ſolem diſtincto tempore partes
Poſt alias aliæ obverſæ ſiſtuntur, ituræ
Paulatim in tenebras; & quæ modo tecta latebat,
Se ſe iterum liquido radiorum proluit auro.
Vix umbra egreditur, cum prima crepuſcula ſenſim,
Et cœlum albeſcens, & pallida ſidera cernit.
Humentem auroram poſthac, roſeoſque colores,
Et ſuperum Phœbi limbum, quem credit oriri,
Et frontem rutilam, vultum dehinc adſpicit omnem;
Clarius unde jubar, matutinoſque tepores
Ebibit. Hinc etiam atque etiam deſcendere pergens,
Ad perpendiculum magis accedentia tela
Luminis occurſu recipit, punctumque diei

Pervenit

Pervenit ad medium, medio quod in æthere ſolem
E regione videt. Converti hoc tempore ſurſum
Incipit, aſcendens jam quot deſcenderat horas.
A perpendiculo tum lucida tela recedunt,
Et magis atque magis Phœbo poſt terga relicto,
Quem falſo putat occidere inferiusque moveri,
Hujus ab adſpectu removet ſe ſe ipſa, gradatim
Aſſurgens; tandemque ſuis involvitur umbris.

Turbine ſic proprio noctesque diesque recurſant.
Haud ſecus ac ſumtis exercitus acer in armis,
Quem tuba præmonuit, longo agmine caſtra relinquens
Protinus ingreditur campo luſtrandus aperto.
Procedunt equitum turmæ, peditumque cohortes
Ordinibus certis; ſtudet unusquisque videri,
Ac ducis attenti nemo ſe obtutibus auſert.
Ille recognoſcit cunctos, oculisque recenſet
Stans in equo, viſus redit in tentoria miles.
Sol igitur varios tali ratione planetas
E centro, variasque plagas colluſtrat in illis:
Tellurem inter eos, quæ turbine mota diurno,
Temporis abſumit viginti & quatuor horas,
Leucarumque novem gyrando millia volvit.

Cur autem æſtivo tam longi tempore ſoles,
Quæve mora hibernas producat pigra tenebras;
Cur non æquales prius, exæquentur in ipſo
Veris & autumni reditu; quæ cauſa duobus
Solſtitiis valeat ſolemnem imponere morem,
Ac veluti metam in tropicis finemque vagandi;
Cur æſtas & hiems, ver autumnusque recurrant,

Sedulus exponam: quamvis ea dicere verſu
Res operoſa. Ignoſce prius non dicta canenti.

Linea quæ partes tellurem ſcindit in æquas
Inter utrumque polum, motus eſt norma diurni,
Quam globus hic ſequitur proprio ſuper axe volutans.
Illius in plano ſi ſe ſe eclipticus orbis
Volveret (hunc peragrat via ſcilicet annua terræ)
Tum nox atque dies nullo diſcrimine tempus
Dividerent: ardor fieret ſub ſole perennis;
Æternum propiora polis loca frigus haberet;
Atque ubi nunc poſitu regnat mitiſſima cœli
Temperies, illic florerent veris amœni
Deliciæ ſemper, tamen æſtu & meſſe carentes.
Ergo, ut ſe melius cunctas genitabilis ardor
Spargeret in partes, alterna luce fovendas,
Utque hiberna quies æſtivi damna laboris,
Et juſta effœtas repararent otia vires,
Debuit oblique gradibus prope bis duodenis
In fluido poni terræ verſatilis axis;
Ut re ipſa poſitum ſemper, quocunque movetur,
Atque parallelum ſibimet perſtare videmus.

Si gravitatis idem centrum moliſque fuiſſet,
Nullo hæc vitari poterant incommoda pacto.
Huc foret æquator, quo nunc eclipticus ipſe
Directus, zonam ſpectarent ætheris unam,
Ac medium ſolem productus uterque ſecarent.
Ergo cuique loco tempeſtas unica ſemper,
Æqualeſque vices & par mora lucis & umbræ.
Illud ne fieret, ſic tellus debuit eſſe
Partibus omnino variis contexta, liquentes

A ſolidis ut ſepoſitæ, ceu conſpicis, eſſent.
Sic etenim, quia pars præponderat altera molis,
Moles tota ſuo natat inclinata fluento.
Mirandum, ſitus ille unus, cum exorſa ſequemur,
Quot poterit nobis, quantosque exſolvere nodos.

Fingamus me teque ſolo æquatoris in ipſo
Impoſitos; atque occiduis in partibus, unde
Cum duplici terræ motu veniemus ad ortum.
Nox media: undecimus jamjam imminet ante Calendas
Apriles. Capiti impendens micat ignibus æther;
Sol mihi ſub pedibus velatur corpore terræ;
Ad dextram polus eſt majorum incognitus ævo,
Alter habet lævam, atque illis finitur horizon.
Metior hæc oculis tacitus, cœlumque profundum
Adſpiciens, cerno quos inter ſidera tractus
Æquator terræ atque ecliptica linea ſignant.
Nam quot habet tellus, tot habet quoque ſegmina cœlum,
Et magni exiguis reſpondent orbibus orbes.
Tum quærens, quonam in puncto concurrat uterque
Circulus (in punctis etenim concurrere binis,
Atque ſibi plane oppoſitis utrumque neceſſe eſt)
Invenio punctum hoc in quo verſamur, idipſum
Temporis atque loci vere nodum eſſe duorum,
Ac veluti bivium; cui quod reſpondet in alto
Æthere, ſtare caput ſupra: quapropter habere
Antipodas ſummo directum in vertice ſolem:
Nos quoque poſt horas biſſex omnesque colonos
Æquatoris, eo cum quisque advenerit ut ſit

Dimidiata

Dimidiata dies, habituros eſſe viciſſim.
Omnibus eſt adeo terris nox æqua diei.
Solis enim radius terrenum interſecat axem
Ad perpendiculum, atque polis diſtantibus æque
Partitur lumen ſol æqua lance duobus.
Quam ſi forte plagam alterutro ſub cardine mundi
Incoleres, tibi ſol parte appareret ab illa
Junctus horizonti: quin talem ſex quater horis,
Qualis in occaſu vel in ortu eſt, eſſe videres,
Lambentemque ſolum rutila circumire corona.

Ecce autem, dum terra die convertitur illo,
In torrente natans, quo fert eclipticus orbis,
Progreditur quiddam; pars ſexageſima quinta eſt
Supra tercentum ſpatii quod perficit anno.
Utque mari medio rapiunt vada ſæpe carinam,
Abducuntque via, quamvis in vela faventes
Adſpirent Zephyri, neque declinare putetur;
Inſcius erroris nautas in ponte quietos,
Permittit ventisque frui cœloque ſereno,
Et numerat, quæ non explevit millia rector:
Sic nos poſtera lux notum transcendere cernit,
Deſerimusque viam, quæ planum ſolis in ipſum
Nos adducebat, confecta parte diei.
Tunc ſolem incipimus pauliſper habere ſiniſtrum.
Non æquator enim; ſed circulus æquatori
Proximus ad lævam, per planum ſolis ubi lux
Dimidia eſt, tranſit; tum tertius; inde ſequentes.
Cumque rotæ ſimilis pergat decurrere tellus,
Axe ſuum ſervante ſitum, magis ac magis illo
Abſtrahimur bivio, quo ſol in vertice nobis

Eſſe

Eſſe videbatur. Læva decreſcere noctes,
Nam cito percipiunt ſolem, tardeque relinquunt:
Augeri dextra, nam tarde cernitur illis,
Ac cito præripitur. Lux major & acrior illic,
Arboribus frondes & campis elicit herbas;
Ac tepefacta novis late ſola floribus ornat.
Parcior hic & languidior compeſcere ſuccos
Incipit, ac pingens matureſcentia poma,
Pallentes ſenio meditatur ſternere frondes.
Autumnus capri eſt, vernant loca ſubdita cancro.

Tres adeo menſes alieno turbine tellus,
Dum propria rapitur vertigine, ceſſit ad ortum:
Jam novies denis unoque diebus & horis
Ferme viginti, tropicorum circulus alter
Æquatore minor, placuit quem dicere cancri,
Quando ſui ſimilem cœlo deſignat in alto,
Appulit ad ſolem. Tractu quicumque ſub illo eſt,
Ille die media ſupra caput adſpicit aſtrum;
Hac tranſibit enim per planum ſolis in hora.
Jam de corporibus nulla eſt, de montibus ipſis,
Quæ cadat umbra ſolo: quapropter viſa Syenæ
Integra tunc puteis lux affulgere profundis.
Hoc eſt ſolſtitium, quo ver fugit, advenit æſtas,
Ille dies toto radiat longiſſimus anno,
Læva parte globi geminas quæ vergit ad arctos.
Solis enim plano cum proxima fiat, & omnis
Circulus ad Boream ſic attenuetur ut unum
Deſinat in punctum, radiis immergitur amplis;
Qui late circum effuſi vix parvula nocti

Intervalla

Intervalla finiunt, & longa crepuſcula formant.
Lumine perpetuo quin & polus ipſe potitur.

Interea (cernis) penitus contraria ſentit
Alter ſemiglobus terræ, qui vergit ad auſtrum:
A ſolis plano longe longeque receſſit:
Utque dies hic progrediens accrevit & æſtus,
Nox illic frigusque. Polum ſex menſibus umbræ,
Caligoque tenent; cis autem infirma brevisque
Lux oritur, vix nata perit; longiſſima nox eſt
Omnibus, & tropico, quam poſſit maxima, capri.
Ergo ſolſtitium brumæ eſt regionibus illis.

Nos autem poſiti tractu æquatoris in ipſo,
Volvimur aſſidua terræ vertigine rapti.
Poſtera lux venit, & ferimur cum vortice magno.
Quarta vix noſtro pars eſt exhauſta rotatu.
Solſtitialis apex ille eſt: procedere nobis
Tres alios igitur menſes, punctumque priori
Oppoſitum, ſoles quod rurſum noctibus æquat,
Tangere nunc opus eſt. Semper ſibi conſtat eundo,
Nativæque tenax poſituræ volvitur axis.
Nonne vides teretis quæ ſit natura figuræ,
Tota inclinato dum ſic percurritur axe?
Solis ut a plano diſceſſerat ante gradatim
Æquator terræ, ſic ſenſim redditur illi,
Inque dies propius, ſerie vertiginis una,
Proceſſuque globi. A tropico jam circulus omnis
Ad ſolem remeat, qui ſingula puncta viciſſim
Obtinet, atque die media ſuperimminet illis.
Aucta dies ubicunque fuit, decreſcere jam tum
Incipit, augeri deinceps, ubicunque locorum

Cœperat

Cœperat imminui. Boreæ pars omnis ab æſtu
Uritur; at glacie riget omnis terra ſub auſtro:
Donec eo fuerit repetito turbine vectus
Æquator, punctum ut, trajecto corpore ſolis,
Adſpiciat, quod jam ſex menſibus ante tenebat.
Huc vix appulit, en iterum nox æqua diei.
Quosque diu campos ardens exuſſerat æſtas,
Mitior autumnus placidis refrigerat auris;
Excipit & flavas hilaris vindemia meſſes.
Tum quos parte alia pluviis nivibusque geluque
Fœda premebat hiems, recreant primordia veris.

Hactenus ætherio ſuſcepti in flumine curſus
Dimidium exegi. Nunc inferiora juvabit
Viſere curriculi, terra vectante, rotundi.
Sed quia perpetuo manet immutabilis axis,
Cuncta ex adverſo, quæ ſunt anteacta, redibunt,
Scilicet a ſolis rurſum diſcedere plano
Cogitur æquator noſter, dextrumque relinquit;
Quem ſex continuos menſes a parte ſiniſtra
Viderat; hunc totidem a dextra jam parte videbit.
Ecce dies noctesque, ſimul reparabilis anni
Commutantur ubique vices; dum circulus omnis
Æquatore minor, ſolita vertigine, notos
Progrediente globo gyros agit; atque gradatim
Sub perpendiculum ſolis tranſire coactus,
Directos in ſe radios legit ordine miro,
Quos tunc obliquos recipit pars cetera terræ.
Sed rurſum ſpatio terra eſt revoluta trimeſtri.
Advenit huc tandem qui reſpicit ultimus Auſtrum,
Circulus, hunc tropicum capri dixere priores:

Naſcitur

Naſcitur æſtivum ſubito regionibus Auſtri
Solſtitium, longusque dies, & maximus ardor.
Contra ſolſtitium terris borealibus una
Hibernum eſt, longæ noctes, & frigus acerbum.

Denique curriculi cum terra reſurgit ab imis
Partibus, æquator, videas, ut turbine ſolo
Aſcendens, axisque mero clinamine rectus
In planum redeat ſtantis non mobile ſolis;
Confectoque dies anno cum noctibus æquet,
Nota remenſurus cunctis veſtigia ſæclis.

Iſta minutatim ſic exponenda putabam:
Sed metuo ne, dum ſtudui prolixior eſſe,
Obſcurus fuerim. Quæ dicere fuſius ergo
Ipſe laboravi, forſan brevitate nitebunt.
Fac nempe, ut ſolis plano non exeat unquam
Noſter hic æquator, ſemperque eclipticus orbis
Ad perpendiculum terræ transverberet axem:
Protinus æqua dies nocti; ſua cuique perennis
Tempeſtas adicta loco. Variare cupido eſt?
Axem inclinato; mutari plurima cernes:
Adjicias motum liquidi; tum plura videbis:
In liquido motum vertiginis; omnia fient.
Quis dubitet reliquos eadem præſtare planetas?

Sæpius in campis humiles cum flumina ripas
Exſuperant, foſſasque replent vallemque profundam,
Plurimus hinc atque hinc vortex agitatur aquarum,
Quo fruticum rami, ſegetes, abreptaque ligna,
Necnon & pecudum rapide torquentur in orbem
Corpora: ſed quamvis illapſi gurgitis inſtar

Non

Non eat, & proprii ſervet divortia motus,
Vim tamen ex illo capit omnem, ad eumque refertur,
Vel dum circumagens celeri rotat impete prædam.
Sic tellus, propriæ centrum vertiginis, etſi
Obſequitur fluido totum delata per annum;
Ipſa quoque hanc fluidi, qua cingitur undique, partem
Mota movet, volvique rotatu cogit eodem:
Unde fit in magno mediocris vortice vortex.
Ergo ſi quam in ea molem regione natantem
Inveniet diſcretam a ſe, penituſque remotam,
Abripiet ſecum extemplo, trahet atque rotabit
Tardius aut citius, nempe ut diſtabit ab illa.
Verum talis erit diſtantia corporis hujus,
Qualis erit gravitas, hoc eſt, ſubtilis in illud
Materiæ niſus centrum fugientis, eritque
Niſus, uti moles. Namque hæc per mutua necti
Vidimus, atque una cœleſtia lege moveri.

Hoc igitur tellus privato in vortice lunam
Offendit, leucis prope centum millibus a ſe
Diſtantem. Sane tum luna ſequatur oportet
Tellurem dominam, citiuſque agitata feratur.
Nam tum circumagitur, ſpatium percurrere tanto
Majus habet, quantum telluris corpore diſtat.
Interdum ſoli propior ſit luna neceſſe eſt;
Scilicet exiguo cum lumine cornua tingit:
Interdum ſemota magis, cum tota refulget:
Nunc eat a latere, & læva dextraque viciſſim,
Cum partim ſplendet, partimque obducitur umbris:
Tum nos creſcentem, decreſcentemve vocamus.

Hæc nos orbe ſuo dum luſtrat, ſemper eande
Oſtentat faciem, & regiones nomine notas,
Ipſiſque in maculis clara loca candida luce.
Pars ea nam certe levior, centrumque coacta
Reſpicere: at ſoli converſas ordine partes
Obtendit, propriæ quanquam vertiginis expers;
Nempe uno motu, quo terræ in vortice rapta
Ducitur in radios, aut ſenſim abducitur illis.
Lentius idcirco cernis procedere lumen
Per varios lunæ tractus faciemque rotundam,
Et ſuccedentes hærere diutius umbras,
Quam ſi telluris ritu verſatilis eſſet.
Una dies illi quippe eſt & menſis & annus
Nam dum viginti ſeptemque octove diebus,
Omnia Zodiaci rapido pede ſigna pererrans,
Curriculum circa tellurem abſolvit, in illa
Per medium menſem ſoles ſine nocte videmus,
Per medium menſem ſolidas ſine lumine noctes.

Jam vero unde caret proprio ſic turbine luna?
Cauſa liquet. Pars eſt vix quinquageſima terræ,
Si molem inſpicias; nec tertia, ſi diametrum.
Haud igitur vaſto regionem in vortice magnam
Occupat. Hinc motus parvo diſcrimine currunt
Fluminis ætherii diverſa volumina, quorum
Vi rapitur; pulſu vix ergo diſpare, non eſt
Ut magis ex illa, minus ex hac parte prematur.
Perpaulum titubare poteſt, non ſede moveri
Quam gravitas innata dedit: quapropter oportet
Mancipium terræ lunam decurrere cœlo;
Non ſecus ac cymbam velo remiſque carentem,

Quamque

Quamque gubernacli vis unica dirigit, inter
Curvatas alvei ripas, fluctuque ſecundo
Leniter in gyrum ſinuoſus devehit amnis.

Tali circuitu bis in omni menſe ſecatur
Area terreni curſus: ubi trajicit illam
Luna celer, caput & caudam dixere Draconis.
Hi porro variant nodi, totiesque recedunt
Occaſum verſus, quoties renovantur; euntque
Signorum ſeriem contra moremque planetæ
Omnis ab occaſu nodos referentis ad ortum.
Hoc fit eo, quoniam dum vorticis ultima noſtri
Luna tenens late circum exſpatiatur in orbem,
Annuus interea tellurem circulus infert
Eoas mundi ad partes, & ſigna ſecundum,
Indefeſſa comes rapitur ſic duplice motu.
Eſt ubi ſole procul, gemini tunc fœdere quodam
Concordant motus aliquamto tempore: verum
Innatat in pigra, quia ſumma, parte fluenti.
Antevolat tellus, ipſam poſt terga relinquens;
Utpote quæ propior ſoli, & magis incita fluctu.
Et cum ex adverſo prope ſolem luna movetur,
Eſt ubi vis major liquidi, contraria terræ
Tunc properat: quare nobis ſic ire videntur
Retrorſum nodi; fieri quoque ſemper in illis
Defectus varios lunæ ſoliſque neceſſe eſt.
Nam cum luna vagans terreni tranſmeat orbis
Planitiem, ſi tum directo tramite ſolem
Dividet a terra, terram obſcurabit; & ipſa
Protinus amittit lumen, ſi dividet illam
Solis ab adſpectu directo tramite tellus.

Altera in alterius tunc certo decidet umbram.
Propterea ſolem non omni menſe videmus
Deficere, aut lunam ſpoliari lumine ſolis.
Non contingit enim ſemper tria corpora recte
Opponi, lunæ cum tranſitus ille recurrit.

O mirum artificem! Quis tam præclara videndo,
Non ſtupeat, genus eſſe hominum, qui talia caſu
Facta velint, & materiæ ſine more vaganti
Accepta hæc referant; cum non ſine mente, ſine arte,
Tot portentorum reddi mera poſſit imago.
Scilicet aſtronomos, & qui cœleſtia quondam
Luſtrarunt oculis, & quos nova protulit ætas
Contemplatores, æterno nomine dignos
Cenſuimus, quod ſint auſi ſignare figuram
Aſtrorum, & ſpatia, & moles variosque meatus.
Et cauſam ſupremam ipſis quæ tradidit aſtris
Materiem, formam atque ſitum, normamque movendi,
Legitimo, ingrati, laudum fraudamus honore!
Eſt grave mentis opus, charta deſcribere Cœlum
Ac terras, duplicique globo diverſa notare
Climata, ſidereumque rotis effingere motum:
Et potuit ſine mente fabri conſiſtere Mundus!
O pudor! O miſeræ vecors inſania gentis!

ANTI-

ANTI-LUCRETIUS,

SIVE

DE DEO ET NATURA

LIBRI NOVEM,

AD QUINTIUM.

LIBER NONUS.

ARGUMENTUM.

Ut præcipuas naturæ partes in ſupremi artificis teſtimonium vocatas abſolveret, de iis, quæ terra marique continentur, diſſerere ſibi proponit. Hæc pars indicata tantum ſupereſt : a v. 1. ad v. 26.

Sequitur totius operis concluſio, ubi præcipua quædam recolligit, Atheorum objecta refellit, eosque ultima quaſi impreſſione profligat.

1 Naturam, niſi hoc nomine Deus intelligatur, rerum artificem eſſe non poſſe: Mundum a Mente ſuprema factum: ex conſtantia motuum cæleſtium, ex imbrium fluviorumque fœcunditate, ex tempeſtatum certis vicibus, ex ipſa viſione oſtendit non a caſu ſed a Deo petendum eſſe mirabilem tam multiplicis fabricæ induſtriam : a v. 26. ad v. 269.

Ut Veri ſic Juſti certam eſſe regulam mente noſtra priorem, fuſius quam in primo libro probat ; nec Rationis magiſtram eſſe Voluptatem, ſed Naturam, hoc eſt Dei ipſius mentem, quæ rebus omnibus & ut eſſent & ut moverentur dedit : a v. 269. ad v. 470.

2 Proponit ea, quæ ab Atheis objici ſolent : 1) Mundum debere eſſe æternum. 2) Multa eſſe in Mundi opere vitia. 3) Multa etiam in moribus, quæ Deum aut non ſumme bonum, aut non ſumme potentem arguunt : a v. 470. ad v. 551.

Reſpondet 1. Mundum per ſe non eſſe, ſed a Deo creatum cum voluit, ac ſi propter. 2. Mentis humanæ vitia, nam ab his incipit, non ex Deo, ſed ex abuſu libertatis oriri ; ſublata peccandi libertate, futurum, ut nec bene agere homo poſſet ; ſuas ſemper ſontibus pœnas eſſe, ſed interdum ſeras. 3. Ea, quæ in Mundo mendoſa videntur, haut ſine cauſa ita conſtituta eſſe ; temeritatis eſſe carpere ſingula, dum univerſa ſe belle habent. Confutat impiam illam ſententiam: Primus in orbe Deos fecit timor : a v. 551. ad v. 854.

Probat Religionem non ex arte politica natam : non factitiam eſſe ideam Dei ; Idololatriam hæreſim quamdam eſſe a Religione naturali divertentem : Atheum ſuis ipſum armis debellat : oſtendit eſſe aliquid infinitum : ex præceptionibus noſtris, ex corporis & mentis affectuum inter ſe communitate probat Deum eſſe, eumque nec Mundi animam, nec ex omnibus mentibus conflatum eſſe. Quintium ad virtutem & ad revelatæ veritatis indagationem excitat : a v. 854. ad finem.

DE

DE TERRA ET MARI.

Icarium per iter, Quinti, at felicius ambo
Illæſis placidum tranavimus æthera pennis.
Nunc terras luſtrare juvat pelagusque profundum.
Non ſpectemus uti, ſcena quid agatur in illa,
Quidve actum annales referant ab origine rerum:
Veſanas hominum curas variosque tumultus;
Fortunam regum & populorum triſtia bella;
Sæpius in medio congreſſas æquore claſſes,
Submerſasque rates, & tinctos ſanguine fluctus;
Æquatasve ſolo atque exhauſtas civibus urbes;
Translata imperia & dominos ſervire coactos:
Ambitionis, avaritiæ, & per ſæcla furentis
Invidiæ partus. Hæc dum ſine more geruntur,
Percellunt animos: cum præteriere, nihil ſunt;
Humanisque docent quantum inſit rebus inane.
Incaſſum heroës vani monumenta laboris,
Dum pereunt ipſi, ſæpe & mentita relinquunt:
Quæ poſuere, volunt dum vincere ſæcula, delet

Ipſa dies; & vix cum nomine ſaxa ſuperſtant:
Illuduntque ſuis auctoribus ipſa cadendo
Rudera, & exeſo corrupti marmore vultus.
Mens immortalis quid tot mortalia curet!

Nos ea quæ perſtant, & nil mutantur ab ævo,
Scilicet æternum melius referentia numen,
Quærimus hic . . . .
. . . .

Cetera deſiderantur.

. . . .

CON-

CONCLUSIO
TOTIUS OPERIS.

Deeſt initium.

Hos jam theſauros Pelagi, & tot ditia gazis
Viſcera terrarum vigili dum lampade luſtras,
Artificem quantum felici hæc omnia cernis
Effudiſſe manu? credin' miracula tanta
Moliri naturam? huic par erit illa labori?
Sed natura quid eſt? Aut illo nomine primam
Rerum cunctarum cauſam, numenque ſupremum
Singula proſpiciens, intelligis; & Deus hic eſt:
Aut ſic appellas natam ſervire patique
Materiem, certis parentem legibus, orbam
Mente & conſilio, vi bruta atque impete pulſam.
Dic igitur num tanta queat prudentia cæco
Principio affingi, nullum cui cernere finem,
Nullas noſſe vias datur, aut intendere quidquam?

Ipſe quidem prius edocui corpuſcula quæque,
Quantumvis brevia, imminui in breviora poteſſe;
Scindi deinde alias in partes, atque ita ſemper,
Ut frangi fragmenta queant: quia quodlibet horum
Corpus compoſitum eſt, minimoque minora tenentur.
Nec tibi tam ſubtilis erit pulviſculus, imo
Vel ſi auram ætheriam, aut aliquid ſubtilius aura
Proponas, cui non partes infráque ſupraque,

Et ſpatium diſtinctum inter dextràm atque ſiniſtram
Et facies varias, atque impenetrabile robur
Extemplo tribuas. Alioqui corpora nulla
Confierent; nullæ poſſent coaleſcere moles;
Totaque materies puncto conſtaret in uno.
At licet innumeras in partes ſectilis, adſit
Ni manus artificis, non illa ſecabitur unquam.

Nec me animi fallit, vaſta in compagine rerum
Quid per multiplices valeant corpuſcula formas;
Seu quam ſculptilibus ſint apta & idonea ſignis
Ferramenta, rudes ut craſſo e marmore gibbos
Excutiant; molleſque ſinus, projectaque blande
Lintea, levorem carnis, ſpirantiaque ora,
Mentitoſque animi motus in imagine fingant:
Sed, ni incocta focis prius inſtrumenta fuiſſent:
Ni gelido prius exſtincta & durata liquore,
Ni variis, prout uſus erat, donata figuris
Cepiſſent rigidæ perfrictu cotis acumen,
Hæc neque docta manus duxiſſet marmora circum;
Saxum ſtabat iners, hebes, indigeſtaque cautes.
Sic & materies omnis, niſi regula quædam
Mente ſedens operi invigilet præſitque labori,
Et ſubigat partes agitans atque ordinet acri
Judicio, turpis ſine forma aut more jacebit.
Eia, quam pedibus calcas, age, collige concham,
(Nam tibi divitias ultro ſubſternit eunti
Terra, pavimento mage ſplendida teſſellato)
Collige: quam facili ſinuoſa palatia torno
Ducta nitent! Quantis ſpirarum flexibus orbes
In ſe ſe redeunt? Ut Dædaleo labyrintho

Hic

Hic tumet, hic impreſſa leves trahit area ſulcos,
Diſcolor ipſa ſibi, generi ſed concolor eidem,
Et paribus virgis, paribuſque interlita guttis!
Hæc tibi Praxitelem conſtans induſtria vincit.
Arte laboratos intus nunc cerne penates:
Quam terſa lucent veſtita cubilia cruſta!
Quam vario radiant tinctu! micat ignis & aurum;
Purpureaſque inter maculas diſtinguitur iris;
Hæc tibi pingendi ſolertia vincit Apellem.
Adſpicis in tenui quantus labor; ut neque fingi
Fortuito poſſint vilis miracula teſtæ.
Sed qui nec potis eſt concham procudere caſus,
Num poterit vaſti molem procudere mundi?

Præter enim quam quod nec ſunt corpuſcula per ſe
Materiæ; per ſe nec ſunt affecta figuris;
Nec per ſe avelli, per ſe nec idonea jungi,
Aut infinitum durare illæſa per ævum;
Ac per ſe nullius habent primordia motus,
Nec vacuam ſpatii regionem & inania regna:
Quæ ſibi fortunæ vates fundamina jecit,
Effugere ut poſſet prudentem & fallere cauſam;
Auctorem ex ipſo adſpectu natura fatetur.
Quandoquidem quæ ſunt, vel ſic fuit eſſe neceſſum,
Præter id omne quod eſt, alia ut res eſſe nequiret;
Vel fieri poterant aliter. Si dixeris illud;
Ergo in materia ſpecies fuit unica motus,
Unus item gradus, & partem proclivis in unam.
Verum his Materiæ ratio & natura repugnat,
Quæ quocunque gradu partem eſt proclivis in omnem,

Nec

Nec magis hoc ritu per ſe quam mobilis illo;
Atque infinite potuit circumacta cieri.

Ergo aliter poterat, quam ſic: nec tu ipſe negabis
Mulorum ſiquidem pardorumque edita monſtra
Qui videt, has etiam ſpecies potuiſſe creari
Primitus, ac proprio deduci ſemine cernit,
Quæ tamen haud ita ſunt factæ. Sic currere plures
Quam ſeptem, atque alio motu potuere planetæ,
Et gemini ſoles, atque altera luna rotari;
Vel nullæ ſplendere faces; vel denique nullum
In terris animal, quanquam eſſent ſplendida cœlo
Sidera, ſic factum, ut lumen ſecerneret umbris.
Hæc igitur quare facies apparuit Orbis,
Tantos ornatus referens tantumque decorem;
Non chaos, atque rudis ſine more, ſine ordine moles?
Aut caſus aut mentis opus: neque tertia cauſa eſt.
At caſum eſſe nihil, noſtris patet argumentis.
Quid ſupereſt? Niſi ut hæc menti miracula reddas,
Et quæ magna cluent, & quæ perparva videntur;
Corporis ut fabricam noſtri, ſic non minus albi
Papilionis, aquas propter degentis & amnes;
Quem natum videt una dies, videt una peremtum.

Luna nitet; nitidoque tamen ſub lumine celat
Naturam; ſimul ignota & manifeſta videri.
Sitne globus terræ ſimilis neſcimus, an olli
Planities pateat camporum, hiſcatve profundo
Interrupta mari, vel montibus horreat aſpris;
An montes habeant ſylvas & luſtra ferarum
Hoſpita; ſint populi, ſint plenæ civibus urbes:
At famulam terræ ſcimus, terraque minorem

Indeflexa ſequi circum veſtigia ſemper,
Atque notho molem illius luſtrare rotundam
Lumine, dum mittit radios a ſole gradatim
Ac duplici motu acceptos, tum ſolis egenas,
Obſcuraſque ſui partes offerre viciſſim,
Et ſublucentem premere inter cornua diſcum.
Ordine tam certo fiunt hæc omnia, Quinti,
Prænoſci facile ut poſſint, ſcriptiſque notari;
Inque diem, inque horam rata ſit præſentia lunæ,
Seceſſuſque; rati quoque ſint occaſus & ortus,
Fulgoriſque gradus, nec non remeabilis umbræ.

Hæc omnes referunt oculis ſpectacula menſes.
Illorum at quæ ſit ratio & ſolertia, omittis
Scrutari; quoniam doctrinæ vicit amatæ
Illecebra, ex animo meditandi talia curam
Quæ tulit, & caſu regimen concredidit uni.
Si globus ille tamen noſtro ſervire paratus,
Aut minor, aut major quam nunc eſt forte fuiſſet;
Si magis elatus cœlo, terriſve propinquus;
Quod juvat, officeret: ſidus nec jam ille ſatelles,
Hoſtis at usque ſequax iret, vel inutile pondus.
Nam propior majorve: nimis contunderet auras;
Oceani vaſtum graviori pondere corpus
Opprimeret; fluidiſque means incumberet undis.
Illæ telluris ripas, campoſque per omnes
Altius effuſæ ruerent, omni aggere rupto
Aërias cautes & promontoria late
Obtegerent; immenſa palus abeunte maneret
Proluvie, rurſum mox eſſent omnia pontus:
Præſertim furvæ cum cetera concolor umbræ

Luna

Luna recens limbum naſcenti lumine ſignat;
Aut ubi jam tota radiorum adſpergine fulgens,
Plenior oſtentat maculoſos æthere vultus:
Tunc etenim pelago & terris oneroſior inſtat.
Sæpius interea ſolem occultaret amicum,
Noſtroque ingentes tenebras offunderet orbi.
Altior aut minor, exiguam nimis undique lucem
Spargeret; æquoreos vix lamberet ardua fluctus;
Aut nihil aut leviter preſſus, qui ſubditur aër
Staret iners; nulloque maris tunc ebria motu
Plurima quæ paſſim terebrant ſpiracula terram,
Haud unquam injectos poſſent haurire liquores;
Unde ſcaturigo fluviorum, & fontibus almis
Perpetuus vigor, ac dulci vis indita lymphæ;
Quam per arenoſos purgatam rite canales,
Ac ſale decuſſo, reddit procul æquore tellus.

Namque ego non credam fluvios ex imbribus omnes
Enaſci: quanquam multis ea forſan origo
Fontibus eſſe poteſt, quos fervida diſſipat æſtas,
Cum ſemel exuſſit campos penetrabilis ardor,
Et pluvialis aquæ venas exhauſit inanes.
At rivi multum eſt ratio diverſa perennis,
Quem non æſtivi ſoles, non torrida cœli
Zona, nec urentes poſſunt abſumere venti,
Plurima cum medio ſe præbeat inſula ponto,
Qua micat in flammas ferventior orbita ſolis,
Nullus ubi cadit, aut certe parciſſimus imber,
Et tamen irrigui fontes per amœna vireta,
Perpetuos volvunt Neptuni ad littora fluctus.

Qualis

Qualis enim noſtro vagus errat corpore ſanguis,
Et fluit & remeat per cæca foramina certo
Cordis ab impulſu; talis terram irrigat humor,
Quem luna cogente jacit prædives aquarum
Oceanus, quoties rapidis exæſtuat undis,
Terrarumque tubos intrat violentus apertos,
Ac reducem venis rurſum regerentibus haurit
Mox in ſe contractus, & omni ex parte reſorbet.
Hoc ſine jam paucos exſanguis & arida tellus
Emittat gremio fontes, nec prata rigentur,
Mobilibus nec lota micent pomaria rivis;
Larga nec impoſitas deportent flumina merces,
Nec diducta cavis hinc inde meatibus agros
Fœcundent; languens ſitiat pecus, atque hominum gens
Deciduos tantum ſperet de nubibus imbres.

Nec ſua deeſt ratio pluviis, quas Matris in almæ
Præcipitat gremium pater Æther. Unde per orbem
Tot populi, pecudumque greges, armenta, volantes
Paſcentur, ni gramen humo ſegetesque vigebunt?
Et ſegetes quî fundet humus vel gramina campis,
Si non ebiberit latices, quos nubila portant?
Hæc evecta mari ſol igneus æthere toto
Attenuat; ſummæ regionis congregat algor,
Inque nivem denſata premit; ſtant pendula cœlo,
Donec ab aëriis torrentibus acta ferantur,
Et Phœbi radiis, aut terræ ardore reflexo
In pluviam reſoluta cadant: quam fervida potat
Terra parens frugum, atque ſinu madefacta recondit;
Plantarumque cavis tradit radicibus, auctam
Ante ſuis opibus, falſo & medicamine tinctam.

Ergo

Ergo viventum ſtatus ac natura popoſcit
Conſenſum hunc rerum. Sol, aër, nubila, venti
Vectores pluviarum, ac tellus, luna, profundum
Concordant, ut ſint genitabilis organa vitæ,
Teſtenturque dei vigilem per ſingula mentem.

Nunc operæ eſt, certis attendere motibus annum
Uſque renaſcentem; quo ſe globus ordine noſter
Luminis ad fontem vertat, nocteſque dieſque
Afferat ipſe ſibi; ut brumæ poſt tædia mutet
Veris delicias, æſtivos deinde calores,
Ac demum autumni poma exſpectata feracis.
Quis credat mundi magnum & verſatile templum
Perpetuo volvi, aut abreptum turbine ſolem,
Et circumtremere auricomis pictum æthera ſignis,
Ut terram in medio ſtantem famula aſtra coronent,
Atque ſatellitibus cœlum ambiat omne coruſcis.
Non tanti ſumus; & ſi quo præſtamus honore
Gens hominum, eſt totus mentis, non corporis: illa
Debetur cœlo, finitæ neſcia vitæ:
Huic autem ſatis eſt perituro, ut munera ſolis
Participet, dum uſura brevis conceditur ævi.

Quanta fuit veſtri ſuper his prudentia caſus?
Quam bene diſpoſuit res cunctas, æmulus alti
Judicii? Melior caſu mens nulla fuiſſet.
Colluſtrandus erat communi lampade mundus:
Ergo materiæ perquam ſubtilis acervum
Conglobat ingentem, rapide movet, inde per omnes
Ætheris inſinuat globulos; concuſſa repente
Lucida materies animantum offendit ocellos
Forte laboratos, at ſic feliciter, ut ſint

Vibratæ

Vibratæ lucis, ſimulacrorumque capaces.
Cryſtallum hic reperit, quod lucem ad rete paratum
Transvehit appoſitæ; tum nervi mobile filum
Reticuli inſertum fundo, pars ultima cujus
Pertinet ad cerebrum; cerebro mens indita quædam
Forte reperta capit motum, ſentitque quod extra
Perculit, ac lucem, quam neſciit ante, micantem
Protinus agnoſcit. Quæ tot numeravimus, horum
Si quid defuerit, lux nulla aut irrita fulget.
O caſum prudentem! O ſanæ mentis! Et omni
Dignandum cultu! ſapiens, qui primus, opinor,
Te fecit, Fortuna, deam, cœloque locavit;
Cauſarum cauſa omnipotens, & ſumma creatrix.

Illud in his rebus non eſt, ut omittere poſſim.
Eſt aliquid veri, quod mens dum noſtra tuetur,
Arripit extemplo, atque intus lætatur adepta.
Mentem igitur verumque inter cognatio quædam eſt
Inſita; corporeis veluti cognata videtur
Lux oculis. Hæc ſi facta eſt concordia caſu,
Et caſu fit, uti mens verum apprendere poſſit.
Atque adeo ut lucem atque oculos fortuna creavit,
Sic mens e punctis temere occurrentibus orta eſt.
Nec melior veri quam mentis cauſa putatur.
Quod verum eſt, caſu verum. Caſu accidit ergo,
Quatuor ut binis eſſent æquata duobus.
Fortuna factum eſt, ut totum grandius eſſet
Parte ſui; curva brevior, quæ linea recta eſt;
Resque eadem eſſe ſimul, ſimul & non eſſe nequiret.
Hæc aliter fieri poterant te judice? Veri
Non eſt lex æterna ſacri? Quæ vera reapſe

Perſpicue, liquido nunc ſunt, ea falſa fuiſſent,
Si nexus alios habuiſſent corpora prima,
E quibus aut mentes, aut mentibus obvia conſtant?
Quis non excipiat maleſanum dogma cachinnis?
Quod verum eſt, hoc ante atomos & corpora quæque,
Hoc ſine corporibus verum eſt atomisque ſine ullis:
Cumque oculis hominum quæ convenientia luci eſt,
Hæc fuit ante oculos & lucem, cognita menti.

Non igitur Veri caſus pater; at neque juſti.
Juſtum nempe quid eſt, niſi verum in moribus? Abſit
Indubia & conſtans cernendi regula juſti,
En procul a nobis cernendi regula veri.
Illam homo ſi finxit novus auctor, & hanc quoque finxit:
Si neutram, natura parens utramque creavit.
Quæ facile ut capias præfari pauca licebit,
Ac noſtræ interius penetralia mentis adire.

Nimirum eſt ratio nobis innata, perinde
Ut ſunt innati ſenſus. Non fecimus ipſi
Aures atque oculos, quibus utimur; ut neque rerum
Objectas ſpecies: quas inter & organa ſenſus,
Harmoniam poſuit talem natura creatrix,
Ut, cum obverſantur, ſenſus ſimul hauriat illas.
Non magis artifices propriæ rationis haberi
Poſſumus, aut veri; quod cum ratione ligatur
Harmonia tali, nequeat ſe ut pandere verum,
Quin ratio confeſtim apprendat & imbibat illud.
Unde quod ipſa videt, ſic, ut videt, eſſe neceſſe eſt:
Et quod ei certum eſt, certum prius hoc erat in ſe,
Quam foret humano rationis lumine notum.

Quod

Quod ſi non eſſet, fruſtra loqueremur; & omnis
Mens hominum, ſermo, ſenſus, res eſſet inanis.
Nam cum decipior, non me ratio intima fallit;
Verum inconſulta quoniam ratione ferebam
Judicium præceps, tunc me malus abſtulit error.

Hoc tota ingenito regitur mens lumine, proinde
Non intellectus tantum, ſed & ipſa voluntas,
Cui ſua lex inſculpta manet, ſua norma volendi.
Namque ſatis non eſt, res, ut ſunt, mente tueri;
Præcipue factis homines ſumus. Omnis ab uno
Lumine vivendi petitur modus, atque ſciendi.
Quod mentem in juſto poſſet ſi fallere noſtram,
Falleret in vero. Sed nuſquam regula fallit.
Adſpicis in fabrica dum grandis & ardua moles
Tollitur, ad lapides ut ferrea norma ſecandos
Accedat, donec latera omni parte quadrentur:
Ut junctim libella pares conſidere cogat:
Et perpendiculo ſurgat directus in auras
Angulus. Interea facies circumſpicit omnes
Dux operis; prudenſque cavet, ne quid minus apte
Promineat, fugiatve, aut exeat ordine plano.
Ante laborem, ante artificem ſtat certa laboris
Regula: ſic & mente prior ſtat regula mentis:
Quæ nunquam erraret, ſi credendum huic nihil eſſet;
Nec male quidquam ageret, bene ſi nihil eſſet agendum;
Aut exemplari firmo innatoque careret.

Certum igitur rationis & immutabile cum ſit
Exemplar, ſeu judiciis præeſt illa ferendis,
Seu regit affectus animorum & facta gubernat;

Sunt liquido per ſe fieri debentia quædam,
Omni hominum ratione prius, quæ juſta vocamus;
Ut ſunt per ſe ſe quædam debentia credi,
Omni hominum ratione prius, quæ vera vocantur.
Legibus a noſtris, vel neutra, vel utraque pendent:
Hinc ſi quid verum eſt, aliquid juſtum ſit oportet.

Nimirum ſi quis tibi quatuor eſſe negaret
Bis duo, cerritum ſane meritoque vocares.
Quapropter? Quoniam ratio verum eſſe patensque
Declarat, quod ridiculus ſtolidusque negaſſet.
Eſt igitur lux in nobis quæ talia monſtrat.
Jam ſi idem Herculeas meditatus adire columnas
Iret in Ægyptum, ſitiens aut retibus undam
Colligeret, ſtultum ſane meritoque putares.
Quapropter? Quoniam legi rationis aperte
Pugnaret, qua præcipitur, per idonea finem
Optatum potius, quam per contraria quæri.
Eſt igitur lex in nobis quæ talia dictat.

Forſan in utilibus quiddam lex iſta ſuſurrat,
Inquis; at in rebus prorſum obmuteſcit honeſtis.
Ergo fateris in utilibus: non accidit ergo
Fortuna, legem hanc ut haberet quisque, ſed ipſam
Primitus e ſacris naturæ fontibus hauſit.
Juſtitiæ porro virtutem non ſua tantum
Utilitas, divina magis commendat origo.
Conſtituit multas hominum ſapientia leges;
Id fateor: ſed enim inventrix ſapientia legum
Lex primæva fuit, quæ non inventa, ſed ipſo
Munere naturæ ſic mentibus inſita cunctis,
Ac tanto conſenſu, ut queis præſtantior eſſet,

Hi juſtas ferrent leges, aliique libenter
Acciperent. Noſtro ſpirans hæc pectore damnat
Quidquid perverſum eſt, & honeſti inſculpſit
amorem.

Eſt oblata viro merces, qui primus in hoſtem
Irruerit; tu primus ades, vallumque refringis,
Mercedem petis; alter habet, qui fugit & arma
Perdidit. In vinclis frater gemit; ære gementem
Ipſe tuo redimis; liber te vendere tentat;
Conquereris merito. Sed cum in te facta queraris,
Nonne hæc in reliquos nunquam facienda fateris?
Caupo viatorem perblande invitat in ædes;
Exceptum dum ſomnus habet, crudo enſe trucidat:
Hic fureret dum dira fames, ut bobus & agnis
Parceret, occidit matrem, natosque voravit:
Pro! Quæ flagitia! exclamas, quæ monſtra! Sed unde
Monſtra vocas? Si non ratio, quæ reprobat, ulla eſt,
Immerito reprobas; ſi qua eſt, lex inſidet ergo
Talia quæ damnat. Quænam eſt? Eadem illa profecto,
Quæ monet ac prohibet, ne bis duo quinque putentur.

Reſpondes forſan, tibi juſtum hoc omne videri
Primitus, atque ipſa rationis luce probatum,
Quod magis arridet: quia te nativa voluptas
Huc impellit, & hortatur nil cetera cures.
Sed mala doctrina quot deriventur ab illa,
Utile quæ grato, & grato confundit honeſtum,
Usque novis augens animorum incendia flammis,
Jam ſatis oſtendi. Quod ſi hæc rationis ab ipſo
Lumine monſtrantur, ratio ſit cauſa malorum
Omnigenum, toto quæ parturit orbe voluptas.

Illam autem ſcelerum, aut errorum dicere matrem
Æque deſipere eſt, ac ſi quis diceret, eſſe
In cauſa fabricæ canonem, cur fabrica peccet.

Natura eſt adeo veri juſtique magiſtra:
Hoc a principio, Quinti, hoc a fonte petivit,
Quas humana dehinc poſuit ſapientia leges,
Naturam & legem rationis ubique ſecuta.
Nec vetat a recto lex ſicubi prava receſſit:
Ut ſunt humanis homines qui carnibus eſcam
Non dubitant coxiſſe ſibi, interdumque paternis;
Quales Braſilii nuper, Leſtrygones olim:
Nam ſtulti quamvis a vero ſemper aberrent,
Non exinde probes verum nihil eſſe reapſe.
Ut veri, in cunctis inerant ſic ſemina juſti:
Conſopita quidem, graſſante libidinis æſtu
Per populos; tandem prudentibus excita juſſis.
Sed quæ cauſa dedit rationem, habuiſſe neceſſe eſt;
Et quæ juſtitiam inſpirat, juſta ipſa profecto eſt.
Nam quocunque caret, certe hoc dare nulla poteſt res.
Lex igitur primæva, Dei mens atque voluntas:
Et legem hanc ſentire, Deum eſt audire loquentem.
Nec verum, aut juſtum ſterilis fortuna creavit.

Si caſum abjicias, & ineluctabile fatum
Subſtituas, in materia nihil eſſe neceſſum
Vidimus; atque alia quam qua nunc ſede refulget,
Almæ fecundam lucis potuiſſe creari
Congeriem, vel multiplici glomeramine cogi.
Sidera ſunt præter ſolem & viſuntur Olympo
Innumerabilia. Hæc propriis, a vortice noſtro
Secretis, late cumque indigena comitatu

Vorticibus

Vorticibus regnant, & ibi diverſa rotantur
Privatim; at motus quos illic incita ſervant,
Vel nulli prorſus, nullo impellente, fuiſſent;
Aut alii quam ſunt, alios ſi cauſa dediſſet;
Vel ſi ſponte ſua, motus foret unus eorum.
Et tu, nos rapido, tellus, quæ turbine verſas,
Cur placida non ſede ſedes; Ptolemæus ut olim
Juſſerat? Hoc quianam potius quam volveris illo
Exagitata modo, circumlabentia diſcors
Sidera vel ſuperans curſu, vel tarda relinquens?
Sic neque vulgares motus per corpora leges
Demonſtrant, cur ſol hac cœli parte, vel orbis
Conſiſtat quam ſemper habet, cur primitus ire
In latus hoc, illi lateri quam obvertere frontem
Maluerit. Volvi cœlum ſi credis ab Euris
Ad Zephyros, quidni a Zephyris decurrat ad Euros?
Par utrique modo eſt: neutro cœlum ire repugnat.

Quæ ratio pariter, quam ſola ducere poſſis
Ex vi materiæ, tam firmo cardine mundum
Transfixit, tantoque veru cœlum, aëra, terram
Perterebrata tenet, rerum ſit ut unicus axis;
Dum reliqui proprios axes habuere planetæ,
Sol etiam ipſe ſuum, quem circum tota rotando
Verſari moles maculis oſtenditur ipſis?
Nil igitur ſine mente putes in ſidere factum:
Nil a principio motum ſine mente. Quot errant
In cœlo ſtellæ, ac projectum lumen opacis
Corporibus prorſum æquato moderamine ſumunt;
Quotque faces liquido nox clara accendit Olympo

Quid juvat ulterius commenta referre Lucret

At nunc difficiles conemur ſolvere nodos.
Ex nihilo nil fit: lex inviolabilis eſto:
Nil ruit in nihilum, clamat ſchola tota Epic
Ergo ſi quæ ſunt, æterna fuere; nec unquam
Ceſſatura manent. Intermoriuntur ubique
Corpora, materies autem quæ corpora fundat
Semper erit, fuit, eſt: finemque ignorat & o
Si Deus eſt, ſi materies exordia ſumſit,
Unde illam Deus? et quando? Si fecit ab æve
Eſſe ea non cœpit; ſi longo tempore, poſtqua
Ipſe erat, ecquo conſilio mutata voluntas
Numinis æterni? Nam ſi non eſſe decebat
Materiem ac mundum; cur tot, cur tanta cre
Si fieri decuit; quidni prius? An ſibi famam
Et cultum voluit? Quis credat honoris aventer
Naturam, ſibi quæ ſatis eſt, nihil indiga noſtri,
Sorte beata ſua? Quid erat mortalibus ægris

Ac genus humanum vitiis permittere vellet
Omnibus, inque ſua pateretur imagine ludi.

Præterea quamvis vaſtum disjecta per orbem,
Quæ redolent mentem artificis, ſunt corpora quædam;
Non tamen infinitam adeo, ſummeque potentem,
Aut ſumme cautam. Siquidem vel plurima nævis
Turpia ſunt paſſim & mendoſe condita; vel ſi
Partibus ac numeris dicas completa, videmus
Augeri potuiſſe: manum ſpectator avaram
Arguit, inque bono melius deſiderat ipſo.
Ut ſunt arborei fructus campique feraces,
Sic etiam horrendæ cautes & inhoſpita ſaxa,
Sic Libyæ, fluctusque leves undantis arenæ.
Quid juvat aſſiduum ſolem vigilare ſub arcto
Menſibus æſtivis, portasque occludere nocti;
Quandoquidem concreta gelu per cetera torpet
Tempora, nec civem patitur nive conſita tellus?
Verberibus quot ſunt radiorum aut victa repenti
Frigore; quot rabie venti, aut rubigine cæca,
Aut fluviis magno late erumpentibus alveo,
Intempeſtivis aut imbribus, atque procella
Grandinis intereunt ſata læta, hominumque labores?
Quot necat atra lues populos? quot partubus ipſis
Denatæ matres? Vitæ quot ubique parantur
Inſidiæ? Rem quamque ſuus circumvenit hoſtis,
Ut nec ſecura, miſeri, brevitate fruamur.

Si Deus eſt bonus, omnipotens, ſi cuncta gubernat;
Cur mala quæ totum fœde graſſantur in orbem
Non averruncat? Si quæ medicamina morbis
Inſtituit; quibus hæc plerumque incognita ſervat?

Si fruges homini; num toxica tetra novercis?
Si terram, ut colerent mortales; cur mare terras
Exſuperat? Cur nulla pati vult littora, frenum
Sæpius indignans; cur audet diluviare,
Et totas haurire refuſis fluctibus urbes?
Cur adaperta tremit, cæco vexamine mundi
Non nunquam, & piceos niveis e montibus ignes
Ejaculatur hians tellus, ac murmure magno
Susdeque ipſa ruit, vaſtaque voragine ſorbet
Incautum genus, & lacubus ſola mergit obortis?
Cur pelago pluit, interea ſitientibus arvis?
Quosque peruſta libens bibat Africa, Caucaſus imbres
Accipit, emturus Libyci partem ipſe caloris?
Cur vorat ignis opes, hominum ſi natus in uſus?
Cur feriuntque pios, & omittunt cæca nocentes
Fulmina? Nequitiæ patiens cur optima noſtræ
Mens peccare ſinit? Si tantus criminis horror;
Impediat: vel cum toleret, non ardeat ira.
Si prohibere poteſt, nec vult; virtutis amore
Non capitur: ſi forte velit, nec poſſit; inermis
Eſt illi virtus, nec jam infinita poteſtas.
Denique ſi mentes nullo delebilis ævo
Vita manet, mercesque bonis æterna paratur,
Unde voluptatis tantæ promulſide nulla
Illexit miſeros; imo cuppedine rerum
Implevit, quas ſpernere fas, & amare nefas ſit?
Quin nos inſontes, immortalesque creavit:
Et quantum inſtabilis vitæ leviumque bonorum,
Naſcendo tantum ipſe ſui ingeneravit amorem?

Venimus ad Syrtes. Alto cum gurgite primum,
Et cum turbinibus ventorum, atque æquoris æſtu
Lucta fuit: nunc ad ſcopulos allidere, portus
Ipſo in conſpectu, Proretæ dedecus eſſet.
Ergo jam totis opus eſt incumbere remis,
Et ſuprema viæ ſuperare pericula noſtræ.
Qui nihil e nihilo fieri pleno ore tonabat,
Credidit e nihilo ſic omnia facta putari,
Ut nihilum quaſi materies foret unica rerum:
Ceu ſcamnum e trunco facimus, ſtatuamve rotamve?
Aut quaſi ſeminium, ut minimo de germine pinus
Alta venit? cenſes ſi talia, docte Lucreti,
Jure putas nihil e nihilo potuiſſe creari:
Namque his in rebus nil fit; mutatur earum,
Quæ jam prorſus erant, ratio, poſitura, locusque.
Sed non eſt ea lis inter nos. Quærimus, utrum
Per ſe ſint quæ ſunt; atque illa ſit eſſe neceſſum.
Nam ſi ſunt per ſe, non ſunt aliquando creata:
Si per ſe non ſunt, cœpiſſe aliquando fatendum eſt.
Quærimus hoc unum, hoc igitur ſiſtamus in uno.

At lis transacta eſt. Atomos non eſſe, ſed ipſam
Materiem e multis concreſcere partibus, antehac
Oſtendi: nullis nativo jure figuris
Inſtructam, nullo natam ſe impellere motu
Delectuque loci. Quin mentes eſſe probavi
Quiddam incorporeum; ſolaque a mente petendam
Vim motus, quæ materiæ ſubrepat inerti.
Supremam hinc docui mentem conſiſtere per ſe,
Quæ moveat cuncta omnipotens, quæ cuncta crearit,
Atque etiam ex nihilo. Sic emerſiſſe fatemur

E tenebris lucem (quamvis primordia lucis
Haut tenebræ fuerint) cum lux ſplendeſcere cœpit,
Lux ubi non fuerat. Sibi nam dare nulla poteſt res
Surgat ut e nihilo, vel ſi infinita putetur:
Si finita, nequit per ſe conſiſtere; quando
Nil perfectius eſt, nil excellentius, imo
Nil tam infinitum, quam taliter eſſe, nec ulli
Principium debere ſui. Cur cetera deſunt
Illi quod per ſe eſt? ſi non ab origine limes,
Unde erit? Eſte procul miſera argumenta Lucreti,
Argumentorum larvæ. Quid in arma reſurgit,
Et lacero noſtros umbone repercutit ictus
Nequicquam? Qui materiæ primordia vana
Seminat in nihilo, e nihilo qui corpora fingit,
In nihilum nexus omnes formasque refundit,
Et non erubuit, quod cogitet aut velit alta
Mens hominum, ex nihilo factum id natumque fateri;
Jam toties fautor nihili, nunc omnia naſci
Ex nihilo potuiſſe negat; mavultque minutas
Particulas, quarum virtus eſt nulla, vel ipſo
Judice, nec natura ullo conamine poſſit
Deſcribi, quin principiis extrema repugnent,
Eſſe tamen per ſe, & toto genuiſſe quod orbe eſt;
Quam per ſe numen ſummum eſſe, & cuncta creaſſe.

Sit rata res igitur ſemel, ac firmata perenni
Judicio inter nos, Quinti, cauſam eſſe potentem
Materiæ: facile jam cetera luce patebunt.
Non enim ab æterno, ſed mundum ea cauſa creavit,
Cum voluit. Nec propterea mutata voluntas,
Aſt eadem ſemper fuit, hoc ut tempore mundus

Conficeret.

Conficeret. Quo conſilio, neſcimus: honorem
Certe haud affectans; ſatis eſt, ſi condidit orbem
Se propter, non externa ratione coactus,
Seu cauſa quadam præeunte operumque magiſtra;
Qualia agunt homines alieno lumine ducti.
Nam Deus ipſa quidem ratio eſt, nec legibus ullis
Vinciri potuit, leges qui condidit omnes.
At quæ mens illi fuerit, dum cuncta crearet,
Quasque ſit ille vias, quo fine modoque ſecutus,
In multis facta ipſa docent, oculisque loquuntur,
Facta epicureis melius facunda ſuſurris.

Verum hæc forte tibi quondam detecta patebunt,
Quando revelati vegetus ſacra dogmata veri
Hauſeris, atque novo mirabere lumine victus,
Quanta Dei in noſtram fuerit clementia gentem.
Namque parum eſt, Quinti, tot per miracula rerum
Numine ab æterno cuncta eviciſſe creari:
Aggrediar poſthac (& me labor iſte juvabit)
Dictatos afflante Deo producere libros;
Legitimi normam cultus monſtrare; diuque
Promiſſi mundo myſteria pandere Chriſti:
Quo duce ad æternam via ſternitur unica vitam;
Quo ſine nil ipſum proſit cognoſcere numen.
Hic ſat erit ſolam naturæ attendere vocem.
Clamat enim auctorem natura, opus undique ſummum
Arguit artificem; mens abdita corpore cernit
Nunc opus, artificem mox corpore libera cernet.
Interea mirum non eſt, ſi corpora mentem
Præpediunt, ac futilia & terreſtria ſæpe

Ad

Ad bona detorquent, licet ad meliora vocatam
Immenſi teneat non unquam explebilis ardor,
Et ſitis implacata boni, & nativa cupido:
Quam ſi multivagis erroribus applicat ultro
Viles ad nugas, irritamenta malorum,
Hoc hominis vitium eſt, ſe ſe ipſum ſponte moventis,
Qui labefactavit naturam, & captus inani
Perſona, ſpecieque boni, rem liquit, & umbram
Arripuit; dono qui libertatis abuſus
Depreſſit proprias pravo moderamine vires,
Reſtitit in ſola defixus imagine, veri
Impatiens, tandemque bonorum a fonte receſſit.
Sic & lucis amans pulchræ, tenebraſque peroſus,
Solis ad intuitum ſtrictis caligat ocellis,
Nec tolerare poteſt lucis caput, atque parentem:
At ſparſam cœlo potius, terriſque reflexam
Quærit, & in varios detortam hinc inde colores
Cernere amat: radios omni jam ex parte libenter
Accipit infractos, & debilitate placentes.

Anxius indagat ſemper qua ſe arte beatum
Efficiat, reperit nusquam; ut qui curvus, anhelans
Quærendis inſudat, abeſt ubi vena, metallis.
Mortales miſeri! Quos noxia corpora fallunt.
Nec titubant ipſa tantum caligine veri,
Sed magis intendunt aciem, ne cernere poſſint:
Incerti gratis, rerum per opaca vagantes,
Venantur dubitare, umbrasque in lumine quærunt.
Mox ubi nocte atra ſe ſe obduxere volentes,
Jam quaſi colluſtrati umbris & fluctibus ipſis
Firmati, tandem caput altum ad ſidera tollunt:

Quod

Quod renuunt vidiſſe, negant, ac ſponte receptam
Noctem oculis, audent ipſis affingere rebus.
Interea, nec longa quidem ſibi gaudia prenſant,
Nec nitida, at multo vix ſcintillantia fumo.
Attamen haud ceſſant maria omnia, ſtagna lacusque
Verrere, ſi poſſint prædam expiſcarier undis:
Rete venit multa vi tractum, at piſcium inane.
Confeſſi ſe tandem inopes aut undique luſos,
Stultitiæ mutant ſpeciem, reſipiſcere nolunt.
Lethargum potius captant, mentique remorſæ
Pacem aliquam & ſcelerum ſociis ſolatia curis.
Pax erit hanc tibi letiferam turbare quietem,
Et conſopitos ſtimulo acri pungere ſenſus.

Computat hic nummos, & gaudia fundat in arca;
Cum tandem ad cumulum vis auri maxima venit,
Non venit alma quies, auri ſitis acrior ardet.
Illum alienus honos torquet, popularis & auræ
Stridor in arma vocat generoſum, & gloria mortis
Lena; rapit cita mors, aut ſi victoria læta
Contigerit, confeſtim alios meditatur honores;
Mercedemque nimis parcam, meritisque minorem
Conqueritur. Studet hic villæ, nec villa quietem
Sufficit, atque domum tandem faſtidit & hortos.
Nulla voluptatis demum pacata libido,
Dum bona proſequimur ſtulti pereuntia, quorum
Quantus inarſit amor, tantum jactura remordet.
Adde metum hærentem, ne mox rapiantur amata:
Namque ubi nullus amor, nihil effloreſcit amœni;
At metus it ſocius, mœrorque affinis amori eſt.

Nec

Nec tamen ipſe ſibi ſatis eſt homo: ſemper inanis,
Si felix velit eſſe, foras ſe effundat oportet.
At non incaſſum certe cupit eſſe beatus;
Quod natura animis inſevit, futile non eſt:
Unde igitur, Quinti, felix erit? Unde beari
Explerique poteſt? Quidnam hunc ſatiabit amorem,
Ni genus omne boni? ni fons Deus ipſe bonorum?
Ergo aliquis Deus eſt: quanquam illius immemor erras,
Frivola venatus toto ludibria mundo;
Et breve, nil ſolidi reputans, depaſceris ævum.

Non venit iſta tibi divina ab origine labes.
Unde profecta? ſcies; & cujus numine priſcum
Inſtaurare decus, veræque reſumere guſtum
Virtutis, patrio purgatus crimine, poſſis.
Quod ſi hominem melius peccare haud poſſe fuiſſet,
Dic hominem melius ſine libertate futurum.
Nam bene vel male agat, fuerit ſi liber, oportet.
Si non liber erit, ſed vi cogente feretur,
Nec bene, nec male aget: quamvis bona vel mala fiant.
Si vitium nequit eſſe, nequit conſiſtere virtus.
Arbiter e ſummo nos hic deſpectat Olympo,
Nec menti invidet arbitrium. Quo vadimus, ille
Semper adeſt: quo ſe fert ultro noſtra voluntas,
Illuc ad poſitas motus in corpore leges
Auxilio ſequitur; pœnasque aut præmia ſervat.

Hinc ſacro haud ſemper feriuntur fulmine fontes,
Secura & creſcunt dilatis crimina pœnis.
Illi exſultantes irato ſæpe fruuntur
Numine; ſed fruſtra: quoniam Deus imminet ultor,

Inque

Inque caput vindex filo ſuſpenditur enſis.
At non humanis odiis hæc ultio fervet;
Seu ſubito lapſu cælo ruat acta tonanti,
Seu claudo pede ſera apprenderit antevolantem.
Regula nam recta eſt, ſummi natura parentis;
Quod curvum reprobat; ſibi nec ſinit omne per ævum
Congruere: & falſa ut ſemper contraria veris,
Sic animi per ſe vitio contrarius ille eſt.
Nec dum peccamus, dolet aut percellitur ira;
Sed ſua virtuti, ſceleri ſua præmia reddit,
Illæſus ſcelere, haud noſtra virtute beatus.

Jam quod natura hæc tam multa prædita culpa
Arguitur; mundumne tibi, tibine organa mundi
Facta putas? Diſce, heu! tumidos compeſcere flatus.
Quantula pars rerum, vortex, quo currimus, ille eſt!
Vorticis & pariter noſtri pars quantula tellus,
Ac noſtræ telluris homo! Sunt plurima nobis
Dedita, ſunt aliis quoque multa; ſed omnia ſoli
Sunt ſubjecta Deo. Si navibus æquora tentes,
Et mare concuſſum tetris aquilonibus obſtet,
Involvatque ratem, quereris: tibi quid mare debet,
Aut maris ipſe opifex? domus eſt tibi cara; crematur,
Fortunæque ruunt, atque it tua machina peſſum;
Mortiferæ nobis peſtes, noſtrisque minantur:
Scilicet huic vitæ non eſt homo natus, at illum
Altera vita manet: paucos utcunque per annos
Degentem terris, ſuſpiriaque ægra trahentem,
Tot mala debacchata monent & quis ſit, & unde;
Nec veram eſſe ſibi patriam, quam transmeat exul:

Ut bona circum effuſa docent ſimul eſſe parentem
Largificum, qui dum mutantur cetera, perſtat:
Sic mala mixta bonis, perituro corpore mixtum,
Et mente haud peritura hominem, ne flagret amore
Corporis, erudiunt; vel nobilitate tumeſcat
Immemor auctoris, ſtolidoque ſuperbiat auſu.
Jam vero in pelagus cadere & deſerta locorum
Aut pluviam, aut rorem, quando ſitit arida tellus,
Incuſas fruſtra. Sunt legum eventa minora,
Quas toti poſuit generales conditor orbi.
At non propterea terris prodeſſe calorem,
Aut opportunos venturis frugibus imbres,
Aut fruges aptas animantibus eſſe negabis;
Multaque de genere hoc jam carmine prodita noſtro.

Aſt auctorem operum tantorum & cuncta regentem,
Quo jure inſimulas? Tu ne illum vincere poſſe
Conſilio ſperas, faber ipſe peritior orbis;
A quo, nil in te eſt, quod non acceperis; imò
Quo fine, quæ verſas animo, verſare nequires?
Utrùm ego crediderim, bene ſe geſſiſſe creantem,
Omnia qui potuit; meliusne creanda fuiſſe,
Si tu, vilis homo, qui nil potes, illa creaſſes?
O ratio humanæ mentis, quam cæca ſuperbis!
Hæc in mente Dei, ſi quondam carcere rupto
(Atque utinam) adſpiceres, pro! quam tibi juſta repente
[illegible] viderentur, quæ nunc male cognita damnas!
[illegible] vides incompoſitas aliquando figuras
[illegible]gi plana in tabula; nec forma nec ordo eſt,
[illegible]bi reſpondent partes, temere omnis in arcum

Linea

Linea curvari, ſeriem nec habere putatur:
Levis at in medio ſteterit cum forte cylindrus,
Tunc terſam in faciem confuſos artè colores
Colligit, & vultus reddunt vaga monſtra decoros.

Obſervas, quid ventus atrox aut pinguibus arvis
Aut tectis noceat, quid nimbis concita grando:
Sed tempeſtatum vicibus quæ norma quotannis
Servetur, qua quisque fide revolubilis annus
In ſe ſe redeat, promiſſaque dona reportet;
Utque canorum ver flores, frumentaque fundat
Æſtas, & ſudans autumnus dulcia vina,
Non curas. Neque in id conſtanti ſidera lege
Conſpirare putas, ſit uti viventibus omnem
Per terram cibus, & ſegetes renoventur alendis.
Attamen hæc alias nanciſci corpora formas
Debuerant, aut his, quæ nunc datur eſca parari.
Non ruit e nimbis igitur temerarius imber;
Nec nimbi ſurſum e pelago ſine lege feruntur;
Nec ſine more leves inſtigant nubila venti.
Sic & vitales poſſint ut carpere ſuccos,
Arboribus ductæ radices, floribus, herbis;
Et liber, ut plantæ fibras ſuccique canales
Veſtiat, impediens hauſtus ne defluat humor.
Sic proprio ſua cuique modo ſunt organa plantæ,
Ut communi ab humo ſumtos variare liquores,
Inque ſui generis valeant convertere formam;
Et lignum & frondes una recreentur ab eſca.
Sic data, progeniem quæ ſervent, ſemina cunctis
Ac toga ſeminibus, quæ protegat undique clauſa.
Sic robur trunco, ſic vis accommoda ramis,
Ut patulum vel procerum eſt cujusque cacumen.

Haud magis ex aliquo credes errare planetas
Conſilio, ſolemque ſuis lucere planetis,
Ut quo ardore carent, orbes fœcundet opacos,
Uniusque foci ſemper volvantur ad ignem:
Saturno atque Jovi comites adnare propinquos,
Ceu terræ lunam; ut noctes quaſi ſole retento
Sublustres facere, atque abſentem reddere poſſint:
Totque alios itidem ſoles, quot ſidera fixa
Sunt cœlo, atque illis ſua colluſtranda ſubeſſe
Corpora, quæ comites alii majora ſequantur;
Una ſit, ut toti lex, unaque regula mundo.
Vis iterum caſu hæc, aut vi contingere cæca,
Quas non agnoſcunt, vel parva mapalia cauſas?

O demens Epicure! Dei veſtigia paſſim
Effugis, at delere nequis; te, te illa ſequuntur!
Quidquid agis, quodcunque vides, ars ipſa fatetur
Artificem. Deus hic, certe Deus! Haud timor ergo
Fecit in orbe deos primus, nec Jupiter uno
Creditus ex tonitru terris regnare minaci.
Noſtra ſed in cunctis ſibi conſcia rebus egeſtas,
Multaque totius mundi ſpectacula, noſtris
Circumfuſa oculis, quæ non fabricavimus ipſi,
Auctorem fœcunda ſuum, noſtrumque perinde
Vulgarunt: ſuetique homines, miracula rerum
Obvia cum ſpectant, primas inquirere cauſas,
Ocius ad numen ſe convertere paternum.
Notities tum cœpta ſui, tum cognita mentis
Nobilitas, ſocia cum debilitate, bonique
Indefeſſus amor, nulla hic in parte reperti,
Quale animo capitur votiſque optatur anhelis
Inſatiabiliter, precibus tentare parentem

Compulit,

Compulit, afflatu quem cuncta fovere benigno,
Et noſtras audire preces, & velle juvare,
Velle & poſſe ſimul, natura ſuaſerat auctor.
Huc timor acceſſit: quis enim bona fervidus ardet,
Quin mala continuo metuat? mens inter utrumque
Jactatur; pariterque animos contraria tangunt.

At quia terrarum Dominis lex utilis illa eſt,
Quæ mortale Deo genus aſſerit, atque minatur
Sacrilegis pœnas, & ſpondet gaudia rectis,
Atque in ſubſidium venit, omni mente ſubacta,
Legibus humanis, fuge credas regibus inde,
Securum ob regimen, tot relligioſa reperta
Deberi: ne ſit crebro jactata tumultu
Publica res; aut infrenos diſcordia cives
Urbibus exagitet; vel compita ſanguine manent;
Atque ipſum ruat in ſolium furibundus atroxque
Libertatis amor. Nam quamvis legibus adſit
Suffragata bonis, regum fidiſſima cuſtos
Relligio, tamen ante fuit, quam ſceptra tenendi
Jus foret, inque greges hominum conceſſa poteſtas.
Sic laudum famæque ſitis, ſic ardor habendi,
Et noſtræ opprobrium maleſuada ſuperbia mentis,
Sic pudor, & recti, naturæ dona, voluntas,
Ante in privatis fuerant, ſapientia regum
Provida communes quam vertere noſſet in uſus.
Ut ratis inventor, liquidum qui currere princeps
Auſus iter, tabulaque necem ſibi diſtulit una,
Non velis Zephyros, Zephyris ſua vela paravit.
Nil creat ars; rebus ſolum utitur illa creatis.

Si Deus haud eſſet, nec ſe paſſim ipſe videndum
Præberet, quonam hunc poterant ſibi fingere pacto
Mortales? Mera mens ſenſus non afficit; illam
Reddere quæ poſſit, non ulla occurrit imago.
Non hunc adſcivit ſane in ſua vota libido,
Quem potius veluti cenſorem exoſa ſeverum
Detrectat. Supereſt ut homo vi luminis ipſa,
Agnorit lumen ſummum, & ratione coactus.

Inde per humanas gliſcente libidine mentes,
Vera Dei ſenſim ſpecies ſqualeſcere cœpit.
Nam populi Dominum veriti, at quis funditus eſſet
Obliti, non jam æternum, non ſimplicem & unum,
Multiplici fœde pictum coluere figura:
Membratim in varios auſi diſcerpere divos,
Atque Deas; prout uſus erat, ſuaſitve cupido.
Venit adulatrix & fallax turba clientum:
Huc acceſſerunt Sophiæ myſteria tectæ,
Et mirabilium inventrix facundia rerum;
Hiſtoriæ male tuta fides, & carmina vatum
Ingenioſa, vel affinis pictura poëſi.
Qui quondam in rebus numen videre creatis,
Thure ſalutabant res ipſas: victima trunco
Plurima, vel monſtro, lapidique hominique cadebat.
Et latratorem ſapiens Ægyptus Anubim,
Simiolum atque bovem, caulesque & vilia cepe,
Et peſtem Nili Crocodilum in vota vocavit.
Ac velut infecta deducti ab origine rivi,
Effundunt peſtem late. Ceu flamma vagando
Creſcit, & innumeros prorumpens excitat ignes,
Unde nova, inque horas majora incendia ſurgunt:

Sic

Sic totum inſulſis deceptum fraudibus orbem,
Stulta ſuperſtitio pro relligione ſubivit.
Illam, Epicure, tuis merito convellere dictis
Fas erat; illa tuos verſus, argute Lucreti,
Promeruit; jam tunc poteras proludere vero:
Sed furor eſt, divûm impuras dum ſubruis aras,
Una ſancta Dei templa involviſſe ruina.

An quia mente ſequi rem non potes infinitam?
At tibi materies eſt infinita: neque ipſe
Finiti quidquam caperes, niſi ſemper adeſſet
Nota infiniti, teque illuſtraret imago:
Ut tenebras nemo, niſi noto lumine, noſſet.
Namque infiniti tantum eſt abſentia finis;
Qui monſtrat, non id quod adeſt, ſed plurima deeſſe.
Ut tenebræ nil ſunt, niſi notæ abſentia lucis.
An quod ab immenſo refugis? ſed materiæ vis
Eſt immenſa tibi. Forte omnipotentia lædit?
At tibi materiæ non eſt finita poteſtas.
Æternumne? Æterna tibi ſunt ſemina rerum.
Jam video quid ſit; nimirùm numen abhorres,
Quod tibi ſit teſtis, dominus, judexque; negaſti
Propterea mentem, cum cetera ſponte profeſſus
Tota non dubites in rerum agnoſcere ſumma.
Quî tibi fas mentem e rebus delere ſupremam,
Dum tibi mens ipſi eſt, menti & conjuncta voluntas?
Nec modo tu, ſed cuncti homines, noſcuntque voluntque.
Ergo quam dotem res non immenſa, ſed arctis
Limitibus concluſa tenet, quam debilis atque
Invalida, hanc Reji, cunctis quam excellere rebus,

Et vi ſtare ſua ſine fine modoque fateris,
Non tribues? Apage indocilis deliria ſectæ!

Jam ſi infinitum ex finitis partibus omne
Dixeris, ut tibi ſit rerum infinitus acervus,
Non res, quæ toti ſuperedita præſit acervo;
Deſipis. Id ſupra vero pugnare docebam:
Cum de materiæ numero punctiſque minutis
Diſſererem. Simplex, unum ſimul eſſe probavi,
Omne infinitum; non conſtat pluribus unis.
Sic æternum haud innumeris componitur horæ
Momentis; nec præterito, præſente, futuro:
Præſens perpetuum eſt. Solis ſuccedere rebus,
Quæ pereunt, ſua nec ſumunt primordia per ſe,
Finitumque datur carptim percurrere tempus.
Non capis hæc, inquis? Tua mens finita profecto
Tantum finitas potis eſt comprendere moles:
Verum ex finitis aut mole aut tempore rebus,
Infiniti aliquid ſe ſupra intelligit eſſe:
Cujus ad effigem (quæ nobis inſita, rerum
Fit velut exemplar) quidquid proponitur, illa
Parte vel hac mancum, ſubito revocare ſolemus.

Quod ſi ita non eſſet, tanto durabilis ævo,
Tanta mole tumens, vel tam perfecta videri
Res, animo ſaltem & meditandi robore quiret,
Tantaque vi numeri, nihil ut perfectius unquam,
Aut durabilius, majus, numeroſius eſſet;
Vel genere in quovis cumulatius eſſe poteſſet.
Id vero, ſi corpus erit, nunquam accidit. Imo
Addimus oblatis ſemper. Nam quolibet ævo
Percipimus confeſtim aliud diuturnius ævum,

Et

Et numerum numero majorem, & corpore grandi
Grandius. Expleri nec mens, nec noſtra voluntas
Usque poteſt, niſi re infinita. Si nihil eſſet
Hoc infinitum, noſtra non mente ſederet
Primitus: effigies nihili non ulla relucet.
Ergo eſt infiniti aliquid ſine corpore; nobis
Quod nunc percipere eſt licitum, comprendere nunquam,
Effari nondum: quo ſe irrequietus amando,
Dum nec opinatur, contemplandoque viciſſim,
Fert animus noſter; nec, dum potiatur abunde,
Stare poteſt; quamvis illum finita retardent
Interea, & veris inhiantem falſa morentur.

Tu quoque, qui mundo nævos offendis in ipſo,
Et meliora bonis atque integriora requiris,
Perfecti effigiem geris alta mente repoſtam.
Iſta ſed unde tibi nata eſt perceptio, & usque
Progrediens deſiderium ulteriora fruendi?
Sane hæc perfecti quædam exemplaris imago eſt.
An venit ex te ipſo? Non tu perfectus. An ipſis
A rebus quæ ſunt? neque enim nihilum intulit illam:
Sed ſi a corporeis; perfectas eſſe negaſti.
Ergo a perfecta, quæ ſit ſine corpore, cauſa:
Corporaque atque animos ſupra, celſiſſima noſtros.

Nunc age, quæ noſtra capiuntur mente, vel ipſis
Senſibus obvia ſunt, vel nullo prædita ſenſu.
Quinam intelligeres, quæ ſenſus acumine nullo
Aſſequitur, quæ ſponte tibi ſimulacra faceſſis,
Corporeos extra fines aliquando vagatus,
Æternum, immenſum quoties meditaris, & unum;

Has niſi mens ideas tibi ſumma effingeret intus,
Mens incorporeos ſolers miſcere colores?
Jam vero referunt ipſi quæ corpora ſenſus,
Quî ſe depingunt animis, ut cognita fiant?
Notities etenim non eſt vicinia, motus,
Formaque materiæ, nec progeneratur ab illis;
Diverſum genus; haud radix communis utriſque
Eſſe poteſt: ſi non ad eam mecum ipſe recurres
Quæ rerum genitrix cunctarum & cauſa profecto eſt,
Inſinuans arcana tuæ in penetralia mentis.
Denique, nec per ſe mens ullo corpore tangi,
Nec quocunque modo connexum impellere corpus
Noſtra poteſt. Unde eſt igitur, quod mutua ſe ſe
Commoveant; certiſque in corpore motibus ortis,
Notities menti adveniat, tum certa cupido:
Atque ex notitia certaque cupidine mentis,
Quidam enaſcantur motus, & corpore gliſcant?
Naturas adeo duplices quæ fibula nectit?
Quidquid enim nectit partes, ad utramque neceſſe eſt
Pertineat: ſic vitta manus, ſic lora jugales,
Vincula ſic ulmo vitem, ſic ſtamina pannos.
At vinclum, ſi corpus erit, quî prendere mentem;
Et ſi incorporeum, quî prendere membra valebit?
Ergo Infiniti conjunxit ſola voluntas.

Propterea non mundi animam mentemve putabis
Eſſe Deum; quaſi ſit commixtus corpore magno,
Tanquam immenſus homo, ceu nos compendia mundi.
Nam ſi materiæ ſummam pollere ſagaci
Conſilio velles, jam te memorata refellunt,

Omni

Omni quæ noſtram ſecernunt corpore mentem.
Nec mens una foret: ſed quot ramenta, tot eſſent
Materiæ mentes; quarum diſcordia nullos
Ad numerum, rectoris egens, componere motus
Poſſet; & ipſa ſuis rueret diſperdita membris.
Vel ſi privatis conflatam ex omnibus unam
Credideris mentem, ceu totum e partibus, etſi
Corporis expertes non inficiabere cunctas;
Haud minus errabis: quia mens ex mentibus eſſe
Nulla poteſt; nec habet varias concordia mentes.
Quæque ſua vi freta, ſuo quoque libera ſeorſum
Cenſet agitque modo, nil comparis indiga prorſus;
Neſcia quod reliquæ celent. Non ulla ſenatus
Naturam conſulta, aut plebiſcita gubernant:
Nec regit unanimis totum reſpublica mundum.

Denique ſi mundo junctam concedere mentem
Sic libeat, qualis noſtro mens corpore degit,
Falleris haud dubie. Nullo ſociabile nexu
Maxima quî potuit ſibi mens adſciſcere corpus?
Non etenim, ut noſtro de corpore diximus antehac,
Vis juſſit major diſcordia vincula necti.
Præterea, vel non omnes in corpore mundi
Illa reget motus, ut mens non dirigit omnes
Corpore in humano; multos, licet accola, neſcit;
Unde, (nefas) Deus ex alio fit numine pendens;
Et cum materia regnum partitur inerti:
Vel nihil in mundo geritur, quin ille ſit auctor.
Tum rurſus quæram: fuerit num primitus orbis
Abſque Deo; dederitne Deus primordia mundo?
Si dedit, hic Deus eſt, quem cernuus orbis adorat;
Nec

Nec proprii conſors operis, verum arbiter & rer
Dicetur nobis: quis & aſſentire negabit?
Quod ſi non dederit, duo ſunt æterna. Quid ergo;
Alterum ab alterius, quod per ſe eſt, numine pendet?
Quod per ſe eſt, parte ex aliqua pendere repugnat.
Quo pacto niſi materiæ penetralia noſſet,
Tantos materiæ motus, tanta arte cieret?
Nam neque fas nobis ita noſtrum ſubdere corpus,
Quos hujus ſtructura latet, quos organa fallunt.
Et qui pernoſcet, ſi non etiam ipſe creavit?
Ergo non aliter Deus eſt quam credimus. Ille
Solus per ſe ſe eſt. Ex illo cetera rerum
Suntque, manentque; ex ſe in nihilum reditura
repente,
Ni teneat, ſervetque volens. Hæc unica cunctis
Cauſa potens & prima. Hinc omnes corpore motus;
Hinc ideæ noſtris oriuntur mentibus omnes.

O felix nimium! ſi jam exitiabilis error
Excidit; o felix! tua ſi bona denique noris:
Macte animo, Quinti; nova te via ducit Olympo.
Si Deus eſt; ſi tota Deum natura parentem
Concelebrat, nonne hunc & gens humana fateri,
Et colere, & numen debet redamare paternum?
Et quid amabilius perfecto? Quidve placebit
Menti hominum, ſi non placet infinita venuſtas;
Innumerabilium ſumma, & conſtantia dotum;
Et ſuperexcellens, atque immutabilis; ipſum
Omnino, vereque quod eſt? Nam cetera tantum
Nonnihil, ac potius defectu cognita, quam re:
Quæ vix eſſe putes, nihilo contermina ſemper.

Ten'

Ten' moveat dulci natura precaria ſenſu,
Nec natura movet, quam per ſe ſtare neceſſum eſt?
Quandoquidem ſola eſt, quam non ita ſtare repugnet.
Rivum admiraris, mare non miraberis ipſum?
Hunc etiam docili ſic mente ſequamur. oportet,
Ut, ſi quid credi velit, id credamus: origo
Nam veri eſt; & ſi mendax, jam non Deus eſſet:
Tum, ſi quid fieri velit, id faciamus: ab omni
Nam famulos nutu Domini pendere fatemur.
Hinc omnis ſtat relligio: quam ſpurca Lucretî
Rejicit impietas, & diro carmine delet;
Ut regnet ſancto pro numine fœda voluptas.

Jam ſi humanarum, quam ſit confuſa tuemur
Conditio rerum, nova mentibus inde micat lux.
Juſtus enim Deus eſt: hominum gens libera. Merces
Debetur cunctis adeo; & quæ debita, tandem
Redditur. Id planum eſt. Sontes autem eſſe beatos,
Cuncta bonis adverſa, vetat lex ipſa parentis
Naturæ, nec juſtitiæ ſinit inclitus ordo.
Recte igitur factis ſua reddi præmia verum eſt,
Pœnas flagitiis. At non ita ſemper utriſque,
Dum vivunt homines & mortis regna frequentant,
Evenit. Ergo aliud merces differtur in ævum.
Nam cum incorporeæ mentis natura ſit expers
Interitus, atque æternæ ſibi conſcia vitæ,
Hoc fieri nequit, ut qui ſervat corporis ipſam
Materiem, juſto indotatas munere mentes,
Immemor anteacti, perdat, nihiloque reportet.
Sic animis innata Dei ſuper omnia juſti
Notities, hanc ſacrilego ſpem tollit iniquam,

Impunita

Impunita ſuis deleri crimina fatis,
Æquatamque ſibi ſortem cum inſonte futuram.

Quapropter geminis fundatur noſtra columnis
Relligio; quas non timor aut maleſuada cupido,
Ipſa ſed ante oculos prudens natura locavit:
Eſſe Deum auctorem rerum, juſtique tenacem;
Eſſe animos nullo perituros temporis ævo.
Sed quia non poterant hominum diverſa per orbem
Tot capita inter ſe concordi degere ſenſu;
Ac primam veri effigiem turpavit in horas,
Qui paſſim infecto de fonte ſcaturit error;
Naturæ vox conciderat, lex victa fluebat
Naturæ, humanis niſi vox divina ſonaret
Auribus; & ſanctam cui nos ſubmittere vellet,
Amoto Deus ipſe daret velamine, legem:
Ut fax naturæ, meliori lumine fulgens,
Jam dubiæ noctis malefidas vinceret umbras.
At te vix natum, Quinti, atque a matre recentem
Non auſim extemplo ſaturare valentibus eſcis:
Suſcipies, cum te firmarit robore adulto,
Recti aſſuetudo conſtans & caſta voluptas:
Interea leve de noſtro lac ubere ſuges.

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM
QUÆ IN HOC POEMATE TRACTANTUR.

A.

Ætheris, qui Vacui vicem peragit in movendis corporibus, naturam explicat Poëta 68 & ſeq. Ab æthere terram ambiente, gravitatis cauſam repetit 143 & ſeqq.

Alexandri Magni impotens bellandi cupiditas 15

Alites. Mira in eis membrorum compoſitio 276 & ſeqq.

Amor virtutis multum diſtat a pœnæ formidine 12

Anaxagoras. Epicuri de Atomis commentum cum Anaxagoræ homœomeria confertur, nec minus abſurdum eſſe probatur 119, 120

Anima. Eſſe Deum, eſſe animam immortalem, hæc duo fundamenta eſſe religionis 436. Vide *Mens*.

Anima belluarum, vide *Belluæ*.

Animantia. Ridiculam Epicuri de ortu ac nutritione primorum animantium opinionem Poëta exagitat 286 & ſeqq. Deſcendit ad Epicuri & aliorum Atheorum ſententiam de generatione animantium, quæ nunc naſcuntur; eamque per ſolas motus leges explicari non poſſe affirmat 294 & ſqq. Animantium primum ſemen, nec a ſe ipſo, nec caſu, factum eſſe demonſtrat 314 & ſq. ergo a mente aliqua ſumme perita, & æterna, procreatum eſſe 315 & ſeq. Animalium cujuſque generis ſemina omnia in primo animali maſculo concluſa fuiſſe probat 319 & ſeqq. Cauſam exponit infœcunditatis eorum animalium, quæ ex gemina ſpecie conflantur 323 & ſeqq. Inſitam propagandæ ſobolis curam 326. innatum animalibus ſemen ib. & ſq. in eoque tuendo providentiæ diligentiam oſtendit 329 & ſeqq. Nulla animalia niſi e conjugio orta eſſe, præter unum

cujuſque

mam 276. Miram exhibet in alitibus, in piſcibus, in quadrupedibus membrorum compoſitionem ibid. & ſeqq. Animalia caſu procreata non ſunt 280 & ſeq. Deus ergo auctor belluarum eſt 282. Mira brutorum, ſeu minimorum, ſeu grandium, natura, opificis induſtriam teſtatur, 310 & ſqq. Vide *Animantia*.

Bombycum deſcriptio 310 & ſqq.

Bonum. Si nulla boni malique natura ſtet ante leges, jus nil juris habet 24 & ſeq. Summum quidem bonorum eſt voluptas, modo ſcilicet inde petatur, unde petenda eſt 36. Deus omnium bonorum fons, ſolus beatitudinis deſiderium ſatiare poteſt 416

C.

Cæſaris ambitio 15

Carteſii doctrina de motu, cum Neutoni ſententia comparatur 161 & ſeqq. Carteſii doctrinam de belluis per hypotheſim opponit Poëta his, qui brutorum animam defendunt 242 & ſeq. Carteſii laus 347

Caſſinus, magnum Pariſinæ Academiæ decus 347. Kepleri regulam in quatuor Jovis Satellitibus explorans, eamdem in Satellitibus Saturni reperit 361, 362

Caſus. Ex ipſa Epicuri doctrina ruit caſus ille, Epicuro ſi creditur, divum pater atque hominum rex 135 & ſeq. Probat ſemina caſu, nec fieri, nec fœcundari poſſe 292 & ſq. Animantium primum ſemen nec a ſe ipſo, nec caſu factum eſſe demonſtrat 314 & ſq. Oſtendit non a caſu, ſed a Deo, petendam eſſe mirabilem univerſi orbis fabricæ induſtriam 395 & ſeqq.

Chriſti myſteria pandere ſibi proponebat Poëta 419

Citharæ ac citharœdi exemplo diverſa & propria illuſtratur corporis et mentis officia 204, 205 & ſqq.

Cœlum. Cœleſtium corporum ſyſtema ex mente Copernici deſcribit 351 & ſeqq. Cauſam diverſitatis cœleſtium motuum explicat 364 & ſeqq.

Cometæ. Varias de Cometis conjecturas profert 374 & ſeqq.

Copernicus, Boruſſus ſpeculator, cujus ſtudio ad ſummos honores aſcendit rediviva Ariſtarchi & Philolai doctrina 346. Hujus de mundo ſyſtema ſummatim exponitur 348 & ſeq. Veritatis amore opinionem Copernici defenſurum ſe, profitetur Poëta 350, 351. Copernicanum ſyſtema adverſus Ptolemaïcum propugnat ibid. & ſeqq. planius exponit 351, 352 & ſeqq. inſtantius defendit 355 & ſeqq. Kepleri regulam affert, cui adverſari ſyſtema Ptolemaïcum, Copernicanum vero conſentire demonſtrat 361 & ſeqq.

Corporum perluciditas, mollities, fluor, raritaſque, a vacuo non oriuntur 79 & ſqq. Vide *Materies*.

Corpus

Corpus humanum. Mens humana cum corpore conjuncta quidem eſt; at non ejuſdem naturæ 203 & ſeqq. Mentis & corporis diverſa & propria ſunt officia 205 & ſeq. Mentis & corporis fœdus 210, 211 & ſeq. Motus in corpore voluntarii humanæ mentis quidem juſſu fiunt, at & iidem & naturales motus divinæ mentis arte procreantur 222 & ſeqq. Ut oſtendat non ſine opificis induſtria, fabricatam eſſe hominis machinam, in ejus deſcriptione immoratur 297 & ſeqq. Ex corporis ac mentis affectuum inter ſe communitate probat Deum, eſſe 425 & ſeqq.

D.

Deiſtas impugnare ſibi proponebat Poëta 413

Democritus Atomis gravitatem ſine declinatione tribuit, Epicurus declinationem cum gravitate 128 & ſeqq. Utrumque figmentum refellitur 129 & ſeqq. Ridiculum Democriti commentum, de Atomis in eas, quæ cogitatione pollent, & eas, quæ carent, partitis 189 & ſeq.

Deus. Quam magnum ſit opus de numine ſummo dicere 4. Diverſæ opiniones, in quas trahuntur hominum mentes de numine ſummo ibid. & ſq. Ipſum numen Poëta invocat de numine dicturus 5. Vitiis iter ſtravit Lucretius, cum ſemel Deos exegit 6, 7. Demto numine, nil ſupereſt quod contineat hominem voluptati deditum 7, 8 & ſeqq. Numine ſublato, nil juſti permanet uſquam 21, 22. Quantum interſit athei, Deum, an ſit, inveſtigare 40. Ars Epicuri in Diis convellendis perſtringitur 48 & ſeq. Deus materiæ auctor & moderator, materia ipſe caret 121 & ſeq. Quod Epicurus quærit in atomis, id in ſolo Deo ineſt 122. Motus in corpore voluntarii, humanæ mentis quidem juſſu fiunt, at & iidem, & naturales motus divinæ mentis arte procreantur 222 & ſeqq. Ab operum humanorum induſtria probatur, quanto major eſſe poſſit divini artificis ſolertia 272 & ſeq. Cuncta Deum produnt 273, 274. Nihil aliud ex miro brutorum artificio inferri poteſt, niſi mentem eſſe ſummam 276. Deus auctor belluarum eſt 282. Ad demonſtrandam divini artificis manum, ab animalibus ad ſemina progreditur Poëta 285 & ſeq. Ut oſtendat non ſine opificis induſtria, fabricatam eſſe hominis machinam, in ejus deſcriptione immoratur 297 & ſeqq. Deinde tranſit ad bruta 310 & ſeqq. Animantium primum ſemen a mente aliqua ſumme perita & æterna, procreatum eſſe, demonſtrat 315 & ſeq.

& ſeq. Semina niſi a cauſa provida, communi, valida, & æterna formari non potuiſſe probat 316 & ſeqq. In conſervando animalium ſemine providentiæ diligentiam oſtendit 329 & ſeq. Maximus in minimis Deus 331. Mundi ſyſtema inveſtigaſſe, ſi magnæ ſit artis, feciſſe, quanto ſit majoris 387 & ſeq. Naturam, niſi hoc nomine Deus intelligatur, rerum artificem eſſe non poſſe, 393. Mundum a mente ſuprema factum eſſe, ibid. & ſeqq. Auctorem ſuum ex ipſo adſpectu natura fatetur 395 & ſeq. Mundi auctor probatur ex ipſius lunæ conſtanti motu miraque proportione 396 & ſeqq. ex imbrium fluviorumque fœcunditate 398 & ſeqq. ex certis anni tempeſtatum vicibus 400. Exinde oſtendit Poëta, non a caſu, ſed a Deo, petendam eſſe mirabilem tam multiplicis fabricæ induſtriam ibid. & ſeq. Veri & Juſti certam eſſe regulam, mente noſtra priorem 401 & ſeqq. Veri & juſti magiſtram eſſe Dei ipſius mentem 406. Mundi cauſa, non fatum, ſed Dei voluntas ibid. & ſeqq. Cuncta Deum prædicant 408. Proponit Poëta id, quod ab Atheis objici ſolet, multa eſſe in moribus, quæ Deum, aut non ſumme bonum, aut non ſumme potentem arguunt 410 & ſeq. Huic objectioni reſpondet 414 & ſeqq. Confutat impiam illam ſententiam: *Primus in orbe Deus fecit timor* 420 & ſeq. Non [illegible] tiam eſſe ideam Dei oſtendit 422. Idololatriam hæreſin quamdam eſſe a religione naturali divertentem ib. & ſeq. Atheum ſuis ipſum armis debellat 423 & ſeq. Ex perceptionibus noſtris, & ex corporis ac mentis affectuum inter ſe communicatione probat Deum eſſe 425 & ſeq. Deum non mundi mentem eſſe mundo commixtam 426 & ſeq. non mentem ex omnibus privatis mentibus conflatam 427. non mentem mundo junctam ibid. & ſeq. Deum eſſe, animam eſſe immortalem, duo fundamenta eſſe veræ religionis 430. Vide *Religio*.

Diviſibilitas materiæ in infinitum, variis argumentis probatur 105 & ſeqq. Epicureorum ea de re ſolvuntur objectiones 109 & ſeqq.

E.

Epicurus ſectam recentem infamare fruſtra veritus, infirma omnino frena cupiditatibus injecit 6, 7 Epicuri inſtitutum de ſubvertenda religione, & unice colenda voluptate, libidini quidem eſt amicum ac ſceleribus, at moribus, humanæ ſocietati, virtuti & rationi infeſtum ibid. & ſeqq. Fruſtra juſſit Epicurus

rus pacatos vivere, quos juſſit vivere lætos 10. Non in virtute voluptatem, ſed in voluptate virtutem ponit 19 & ſeq. Fruſtra voce tenus virtutem laudat, quam re interficit ipſa 20 & ſeq. Si Virtutis erat amicus, quid illi nocebat religio? 21. Everſa religione, evertit ſimul regulam omnem, non Virtutis ſolum, ſed etiam Veritatis 21, 22 & ſeq. Ejus doctrina de voluptate, exitioſa eſt & inſana 26. nec ulla confert in mortale genus bona, ibid. & ſeqq. Cum nil religionis amore ſit utilius, nil commentis Epicuri pejus, vincere debet religio 29 & ſeq. Epicuri doctrina nullum efficit beatum 32 & ſeq. nullum in adverſis præbet auxilium, nullum ſolatium 34 & ſeq. Epicuri totum Philoſophiæ corpus breviter exponitur: Vacuum & atomi ex ipſo explicantur 44 & ſeqq. Ars Epicuri in Diis convellendis perſtringitur 49 & ſeq. Inane Epicureum refellitur 50 & ſeqq. Epicuri fraus aperitur, Vacuum adſtruentis, ut Deum deſtruat 63 & ſeq. Epicuri conſilium in fingendis Atomis 87 ingenioſum quidem, ſed vanum, iſtud Epicuri commentum 88. refellitur 88, 89 & ſeqq. cum Anaxagoræ homœomeria confertur, nec minus abſurdum eſſe probatur 119. Quod Epicurus quærit in atomis, id in ſolo Deo ineſt 122. Democritus Atomis gravitatem ſine declinatione tribuit, Epicurus declinationem cum gravitate 127, 128. utrumque refellitur 129 & ſeqq. Ex declinatione atomorum fruſtra vult Epicurus mentis humanæ libertatem explicare 133 & ſeqq. Democritus atomos in mente præditas & mente carentes partitur, Epicurus omnes mente carere affirmat 189 & ſeqq. Quid de mente fingat Epicurus 190 Ridiculam Epicuri de ortu primaque nutritione animantium opinio exagitatur 286 & ſeqq. Invitus Deum commentis ponit in ipſis Epicurus 285, 286. Quomodo de origine rerum diſtant Epicurus Ariſtotelesque 292. Epicurus cauſas mundi fortunæ tribuens refellitur ibid. & ſeq.

Epicurei. His bellum indicit Poëta 4, 5. Epicureo nil ſolidum, nil verum, niſi voluptas 16, 17. Dei cultores in hac etiam vita Epicureo beatiores ſunt 37, 38. Quanta vero infelicitas poſt hanc vitam, Epicureo, ſi decipitur, imminet 38. Religio nihil Epicureo ſuadet dimittendum, niſi quæ ipſe potitus plerumque faſtidit 38. Nullus Epicuri præceptorum obſervantior diſcipulus, quam ipſa bruta, ſi mente prædita ſint, 270

F.

Fatum deteſtatus ipſe adſtruit Epicurus 134 & ſeqq. Mundi cauſa, non fatum, ſed Dei voluntas 406 & ſeqq.
Felicitas. Epicuri doctrina nullum efficit beatum 32 & ſqq. Vide *Beatitudo*.
Fluvii non omnes ex imbribus oriuntur: aliquot ex ipſo mari profluunt 398 & ſeqq.
Fœcunditatis & ſterilitatis terræ cauſa 333 & ſeqq.
Formam artificem Ariſtotelis explodit Poëta 290 & ſeqq.
Formido pœnæ multum diſtat a virtutis amore 12
Fortuna. Vide *Caſus*.
Foſſilia. Probat ab abſurdo Poëta, non magis belluis, animam concedendam eſſe, quam ipſis foſſilibus 246 & ſeqq.
Futurum. Quantum diverſa ſors in futuris Epicureum exſpectat, & religionis amantem 38. etiamſi de futuris eſſet dubium, in dubiis porro pars tutior ſequenda eſt 40. Futurum ævum probat ipſa rerum humanarum confuſa corditio 435 & ſeq.

G.

Galilæus, Etruſcæ gentis honos: ejus induſtria laudatur 347
Gaſſendus, quo duce freti quidam Epicurum male defendunt 19. Gaſſendi ſolers ingenium, male ſequitur numinis hoſtem Epicurum 64. Vacuum a Gaſſendo perperam propugnatum 73. Gaſſendi commentum de diverſa Atomorum velocitate confutatur 136 & ſeqq.
Genii. Unde veteres paſſim Genios ſparſerunt 245
Gravitas corporum. Nullum per ſe corpus grave ſeu leve eſt 141 & ſeqq. Gravitatis cauſam enuntiare aggreditur Poëta, quam repetit ab æthere terram ambiente 143 & ſeqq. Admonet hypotheſim ſuam a ſe non pro certiſſima adduci, ſed tanquam Epicurea ſaniorem 145. Diviſa ſubtili, quæ terram circumfluit, materia, in plures pyramides, ex earum vi centrifuga oriri putat corporum gravitatem, ac præterea ex æquali terreni vorticis preſſura ibid. & ſeqq. Corpus nullum per ſe aut grave, aut leve eſſe probat variis exemplis 149 & ſeqq. Gravitas Neutoniana in attractu poſita refellitur 157 & ſeqq.

H.

Heroës. Habet ipſa ſuos Heroas religio 28
Hobbeſii fallax de juſtitiæ religionisque origine ſententia obiter refellitur 23 & ſeqq.
Homœomeria. Epicuri de Atomis commentum cum Anaxagoræ homœomeria confertur, nec minus abſurdum eſſe probatur 119
Huygens, aſtronomiæ ſtudio illuſtris 347

I.

Idololatriam hæreſim quamdam eſſe a religione naturali divertentem oſtendit Poëta 428 & ſeq.
Ignis phænomena explicantur, 193 & ſeqq.
Imbres. Ex imbrium fœcunditate, Mundi auctor probatur 399 & ſeq.
Impietas ſolo rationis lumine devicta cadit 164. Impietas & ſuperſtitio per inanes fabulas ſeſe pariter protegunt 288
Inane ex Epicuro explicatur 44 & ſeqq. Inanis refutationem aſſumit Poëta, 50 Inane aut Deum, aut corpus, aut nihil eſſe oſtendit, ibid. & ſeqq. Inane nihil eſt, niſi abſentia corporis omnis 62. Inane adſtruit Epicurus, ut Deum deſtruat 63 & ſeq. Moveri corpora poſſunt ſine Inani 65 & ſeq. Inanis vicem peragit æther 68 & ſeqq. Omnia plena eſſe probat Poëta 71 & ſeq. Inane Neutoni refellit 72 & ſeqq. Nihil in mundo non preſſum eſſe, variis oſtendit experimentis 77 & ſeqq. Corporum perluciditas, mollities, fluor, raritasque, ab Inani non oriuntur 79 & ſeqq. Inane Epicureum, mera fabula 82. Vide *Spatium.*
Infinitum aliquid eſſe oſtendit vates 424
Inſtinctus vulgare nomen velut inane profligatur 268 & ſqq.
Iphigeniæ mortem non ſuaſit religio vera, ſed cæca ſuperſtitio 31 & ſeq.
Jus. Si nulla boni malique natura ſtet ante leges, jus nihil juris habet 24 & ſeq. Si jus fasque frenum fuit coërcendæ voluptati neceſſarium hinc patet, quam per ſe exitioſa ſit voluptas 25
Juſtitiæ nullus locus, dum nil præerit, quod æquis legibus homines contineat 6, 7 & ſq. Fallax Hobbeſii de juſtitiæ origine ſententia obiter refellitur 23 & ſeqq. Juſti & veri certam eſſe regulam oſtendit Poëta 401 & ſeqq. Veri & juſti regulam mente noſtra priorem eſſe 402 & ſeqq. Veri & juſti magiſtram eſſe naturam, hoc eſt, Dei ipſius mentem 406

K.

Keplerus verum planetarum curſum inveſtigat 347. Affert Poëta Kepleri regulam, cui ſyſtema Ptolemaïcum adverſari, Copernicanum vero conſentire demonſtrat 361 & ſeqq.

L.

Levenhockius, microſcopii inventor, laudatur 320
Libertas. Ex hominis libertate oſtendit Poëta, & mentem eſſe, & a corpore prorſus diverſam 219 & ſeqq. Mentis

humanæ vitia, non ex Deo, ſed ex libertatis abuſu oriuntur 414 & ſeqq. Sublata peccandi libertate, nec bene agere homo poſſet 416

Lockii de vacuo inſtantia refellitur 65. Objicienti Lockio, ignorari materiæ naturam, ac proinde neſciri, utrum cogitatio in materiam cadere non poſſit, reſpondet Poëta 213, 214 & ſeqq.

Locus cujusque rei, quid ſit 56 & ſeqq. Vide *Spatium.*

Lucretius, Poëta celebris, quo ſe jactant Epicurei 5. Hunc refellere ſibi proponit Poëta ibid. Illi dulce quidem melos & gratia cantus; at mendax ſapientia, fugiendæque illecebræ 5 & ſeq. Quid ſtrueret Epicurus, ipſe Lucretius libens aperit, & ſine pudore confitetur 6. Poſita ſemel Lucretii impietate, exundat nefas 25. Secum ipſe pugnat Lucretius, dum immenſo ſuperas imasque partes fingit 51, 52. Vanus Lucretii triumphus 126. Doctrinæ ejus conciliatrix cupido ib. Quam ſit abſurda ejus doctrina 127. Secum ipſe pugnat, 139. Quam longe vero diſſita ſit Lucretii ſententia 163. Everſa Lucretii fundamenta, 168. Lucretius in hortis Epicureis relinquendus 180. Poëtæ nomen, non ſapientis, ipſi concedendum 181. Sibi diſcors, religionem, quibus fruſtra convellere tentat, armis protegit 181. Demens pugnantia miſcet 221, 222. Cauſas mundi cum Epicuro fortunæ tribuens refellitur 292 & ſeq. Iis viris, qui aſtronomiæ illuſtrandæ inſignem dederunt operam comparatur, 347, 348

Lunæ curſum explicat Poëta 385. Lunæ & ſolis eclipſis 387. Ex ipſius lunæ conſtanti motu, & mira proportione, mundi auctor probatur 396 & ſeqq.

M.

Magnetis virtus 246

Malum. ſi nulla boni malique natura ſtet ante leges, jus nil juris habet 24 & ſq.

Mare. De iis, quæ terra marique continentur, diſſerere ſibi proponit Poëta 391 & ſq.

Materiem in infinitum dividi poſſe, variis argumentis probatur 105 & ſeqq. Epicureorum ea de re ſolvuntur objectiones 109 & ſeqq. Materiæ adventitia res eſt quicunque modus, quæcunque figura 118 & ſeqq. Materia e nihilo creari debuit, 121 & ſeqq. Motum ab auctore aliquo, a materia diverſo, afflari Materiæ debere, concludit Poëta 170 & ſeqq. Si materies per ſe mens eſt, omnis pars materiæ, pars mentis erit 188 & ſeqq. Mixtura materiæ mentem efficere non poteſt 190 & ſeqq. Nihil eſt

in

in vi materiæ, quod non exponi poſſit, adductis tantum poſitura, mole, figura, motu & requie 193 & ſeqq. Mentem nullus materiæ efficit textus, nulla materiæ figura 197 & ſeqq. Quamvis ignota eſſet materia, mentem cognoſcere liceret 200, 201. Materiæ dotes cum dotibus mentis nil commune habent ibid. & ſeq. Mens motus cauſa Materiam neceſſario prævertit 202. Objicienti Lockio ignorari materiæ naturam, ac proinde neſciri, utrum cogitatio in materiam cadere non poſſit, reſpondet Poëta 213 & ſeqq. Materiæ, non mentis natura eſt, extendi 215 & ſeq. Mens a materia perſpicue ſejungitur, etſi non omnes utriusque vires liquido pateſcant 217 & ſeqq. Ex hominis libertate oſtendit Poëta, mentem a materia prorſus eſſe diverſam 219 & ſeqq. Vide *Motus*.

Mentis humanæ libertatem, fruſtra vult Epicurus ex declinatione atomorum explicare 133 & ſeqq. Mentes aliquas eſſe, ex ipſis humanæ mentis officiis oſtendit Poëta 182 & ſeq. Sibi quisque ſuæ mentis conſcius eſt 182 & ſeq. Mens exquirit rerum cauſas, aſtrorum curſus, terrarum diſtantias, æquoris tractus 183 & ſeq. Mens varias condiſcit aut excogitat artes 184, 185. Mens occultis de rebus diſputat, vivendique leges ſtatuit 186. Mens corporis artus dirigit ibid. & ſeq. A mente ſola petenda eſt motus cauſa 187 & ſeqq. Mentem corpoream non eſſe ipſa materiæ natura probat 188. Ex humana mente ſupremæ mentis natura perſpicitur ibid. & ſeq. Mens humana cum corpore conjuncta quidem eſt, at non ejusdem naturæ 203 & ſeqq. Mentis et corporis diverſa & propria ſunt officia, 205 & ſeq. Mens varios ſimul percipit & comparat ſenſus 207 & ſeq. Mens una ac ſimplex eſt, nec partibus ullis conſtare poteſt 209 & ſeqq. Mens, res quædam una eſt, cum corpore juncta; ſed quæ ſine corpore vivere poſſit 211. Mentis & corporis fœdus ib. & ſeqq. Objicienti Lockio ignorari materiæ naturam, ac proinde neſciri, utrum a materia Mens ſejungenda ſit, reſpondet Poëta 213 & ſeqq. Materiæ, non mentis natura eſt, extendi 215 & ſeq. Mens a materia perſpicue ſejungitur, etſi non omnes utriusque vires liquido pateſcant 217 & ſeq. Ex hominis libertate oſtendit Poëta, & mentem eſſe, & a materia prorſus diverſam 219 & ſeqq. Motus in corpore voluntarii humanæ mentis juſſu quidem fiunt; at & iidem & naturales motus divinæ mentis arte procreantur

tur 221 & ſeqq. Animam brutorum aut nullam eſſe, aut incorpoream: utrumlibet affirmari poteſt, ſalva mentis humanæ dignitate 239 & ſqq. Ex mirabilibus brutorum factis infertur, non ſuam feris ineſſe mentem, ſed mentem aliquam adeſſe 254 & ſq. Belluarum motus ex eadem cauſa naſci poſſunt, ac motus noſtri ſpontanei, vel non ſpontanei: nec inde infertur, hominem ipſum propria mente carere 256 & ſeq. Si belluis propria mens adeſſet, in his affulgerent quædam certi delectus veſtigia 257 & ſeq. Ex variis exemplis probatur, belluis non inhærere mentem, ſed præeſſe 260 & ſeq. Vult Epicurus brutis concedere mentem humanæ menti inferiorem 261. Mens omnis, cujuscunque ſit ordinis, incorporea & immortalis eſt ibid. & ſeq. Varia mentis nomina pro diverſis ejus officiis 262. Si mens concedatur brutis, humanum genus non deprimitur, ſed ferinum evehitur ibid. & ſeq. Contra adverſarios retorquet Poëta plurima ſolertiæ animalium exempla, quibus evincitur mentem humana præſtantiorem belluis non ineſſe, ſed adeſſe 264 & ſeqq. An inſtinctus nomine mens aliqua in bruto ſignari poſſit 268 & ſeqq. Ex mirabilibus brutorum geſtis, mentem illis externam præeſſe arguitur 271. 272 & ſeq. Ab operum humanorum induſtria probatur, quanto major eſſe poſſit divini artificis ſolertia 272 & ſeq. Epicureorum de belluis objectiones mentem noſtram non lædunt 275 & ſeq. Nihil aliud ex tanto brutorum artificio inferri poteſt, niſi mentem eſſe ſummam 276. Animantium primum ſemen a mente aliqua ſumme perita, & æterna, procreatum eſſe demonſtrat Poëta 315 & ſeq. Veri & juſti certam eſſe regulam, mente noſtra priorem 401 & ſeqq. Veri & juſti magiſtram eſſe naturam, hoc eſt, Dei ipſius mentem 406. Mentis humanæ vitia, non ex Deo, ſed ex abuſu libertatis oriuntur 414 & ſeqq. Ex perceptionibus noſtris, & ex corporis ac mentis affectuum inter ſe communitate, probat Poëta Deum eſſe 425 & ſeq.

Metempſychoſis ipſa doctrina probabilior eſſet, quam Epicureorum doctrina de brutorum anima 270 & ſeq.

Microſcopii inventio & uſus laudatur 320

Modorum mutatio naturam rerum non mutat 191 & ſeqq. Modus rerum nihil eſt, niſi res hac prædita forma 192. Quidquid conſtituit rem, ſine hoc res eſſe non poteſt: quidquid vero rei modus eſt, ſine hoc res eſſe poteſt,

hoc

hoc ſine re non poteſt 215, 216

Mortis prava libido, qua quidam volunt animo mortales eſſe, ſicut & corpore 215. Fruſtra cupit ille mori, cui vivere fatum eſt 230

Motus corporibus tribui poteſt ſine Inani 65 & ſeqq. De motu quærendum proponit Poëta 127. Materies omnis mobilis eſt per ſe, non per ſe mota 143. Neutonianus motus in attractu poſitus refellitur, 157 & ſeqq. Carteſiana ſententia de motu, cum ſententia Neutoniana comparatur 161 & ſeqq. Spinoſæ ſententia de motu æterno, & in ipſa materiæ natura inhærente, evertitur 169 & ſeq. Motum ab auctore aliquo a materia diverſo afflari materiæ debere, concludit Poëta 170 & ſeqq. motus continuata ſitus eſt mutatio 175. A mente ſola petenda eſt motus cauſa 187 & ſeqq. Mens motus cauſa, materiam neceſſario prævertit 202. Motus animalium omnes mechanice fieri poſſe indicat Poëta 250 & ſeqq. Belluarum motus ex eadem cauſa naſci poſſe, ac motus noſtros ſpontaneos, vel non ſpontaneos, contendit 255 & ſeqq. Per ſolas motus leges, animalium generatio explicari non poteſt 295 & ſeqq.

Mulorum infœcunditatis cauſa 323 & ſeqq.

Mundi totius machinam, qua forma conſtet, & quomodo regatur, dicendum proponit Poëta 345 & ſeqq. Quintium hortatur ad inquirendam mundi cauſam 346. Exponit breviter tria de mundo ſyſtemata 348 & ſeqq. Tria hæc parem vim habere dicit, ad aſſerendum ſupremum Artificem 350 & ſeq. ſe tamen amore veritatis Copernici opinionem defenſurum 351. Copernicanum ſyſtema adverſus Ptolemaicum propugnat ibid. & ſeqq. Affert Kepleri regulam, cui adverſari ſyſtema Ptolemaicum, Copernicanum vero conſentire demonſtrat 361 & ſeqq. Cauſam diverſitatis motuum cœleſtium, ſolis in centro vertiginem, variorum vorticum inter ſe libramen explicat 363 & ſeqq. Proponit eas conjecturas, quas fert ſyſtema Carteſianum, de periheliis & apheliis Planetarum, eorumque varia a ſole diſtantia 368 & ſeqq. Terræ circa proprium centrum rotationem, tum tertium ejus motum, quo ſtellæ magnum 26000 annorum orbem conficere videntur explanat 371 & ſeqq. Varias de cometis profert conjecturas 374 & ſeq. Cur planetæ diverſa velocitate diurnum orbem conficiant, cur terræ axis inclinetur, item æquinoctiorum, ſolſtitiorum, quatuor anni

anni tempeſtatum rationem ſigillatim exponit 375 & ſeqq. Terræ proprium verticem, lunæ curſum, ſolis & lunæ eclipſes, explicat 384 & ſeqq. Hæc omnia inveſtigaſſe ſi magnæ ſit artis, feciſſe quanto ſit majoris concludit, 388 De iis, quæ terra marique continentur, diſſerere ſibi proponit 391 & ſeqq. Mundum a mente ſuprema factum eſſe oſtendit 393 & ſeqq. Mundi auctorem, ex ipſo adſpectu natura fatetur 395 & ſeq. Mundi auctor probatur ex ipſius lunæ conſtanti motu & mira proportione 396 & ſeqq. ex imbrium fluviorumque fœcunditate 398 & ſeqq. ex certis anni tempeſtatum vicibus 400. Exinde oſtendit Poëta, non a caſu, ſed a Deo petendam eſſe mirabilem tam multiplicis fabricæ induſtriam ibid. & ſeq. Mundi cauſa, non fatum, ſed Dei voluntas 406 & ſeqq. Proponit ea, quæ ab atheis objici ſolent: mundum debere eſſe æternum; multa eſſe in mundi opere vitia 408 & ſeq. Reſpondet mundum per ſe non eſſe, ſed a Deo creatum, cum voluit, ac ſe propter 411 & ſeqq. ea quæ in mundo mendoſa videntur, haud ſine cauſa ita conſtituta eſſe 417 & ſeqq. Temeritatis eſſe carpere ſingula, dum univerſa ſe belle habent 418 & ſeqq.

N.

Natura. Per naturam ad na… rae principium ſurgend… 85 & ſeq. natura, niſi hoc nomine, Deus intelligitur, rerum artifex eſſe non poteſt 393 & ſeqq. Mundi auctorem ex ipſo adſpectu natura fatetur 395 & ſeq.

Neutonii laus 72, 73. Vacuum ejus refellitur 72 & ſeqq. Refellitur gravitas Neutoniana in attractu poſita 157 & ſeqq. Carteſiana ſententia de motu cum ſententia Neutoniana comparatur 161 & ſeqq.

Numerus. Spatium cum numero & tempore comparatur 54 & ſeqq. Tria hæc mera nomina ſunt, & adſpectus rerum, non res ibid. Quidquid a numero incipit, in numerum deſinit 94

O.

Oceani æſtus reciprocus 399

P.

Philolai neglecta doctrina, Copernici ſtudio rediviva 346, 347

Piſcium mira ſtructura, 278 & ſeq.

Planetæ. Proponit vates eas conjecturas, quas fert ſyſtema Carteſianum de periheliis & apheliis Planetarum, eorumque varia a ſole diſtantia 367 & ſeqq. Cur diverſa velocitate diurnum orbem conficiant 375, 376

Plantæ

Plantæ. Probat ab abſurdo Poëta, non magis belluis animam concedendam eſſe, quam plantis plurimis 243 & ſeqq. Exponit cur plantæ quædam ex ramo aut radice repullulent 337 & ſeq. cur inſitione fœcundentur 338 & ſeq. Ex ſeminibus oriri eas ipſas, quæ ſponte ſua ac temere oriri videntur 339

Platonis laus 86

Pœnæ ſontibus ſemper ſunt, ſed interdum ſeræ 416 & ſeqq.

Ptolemæus, aſtronomiæ ſtudio celebris. Hujus de mundo ſyſtema breviter exponitur 347 & ſeq. Copernicanum ſyſtema adverſus Ptolemaïcum propugnat Poëta 350 & ſeqq. Ptolemaicum ſyſtema inſtantius impugnat 356 & ſeqq. Kepleri regulam affert, cui adverſari ſyſtema Ptolemaicum, Copernicanum vero conſentire demonſtrat 362 & ſeqq.

Pythagoræ laus 86

Q.

Quadrupedum mira ſtructura 279 & ſeqq.

R.

Rationis frenum voluptati ſe injeciſſe fruſtra jactat Epicurus, quod inane vanumque putari ipſe jubet 16 & ſeq. Si ratio moribus præſit, fit voluptatis domitrix; ſi voluptas, fit rationis domina 18 & ſeq. Rationis lege peremta, nil juſti, nil veri permanet uſquam 22 & ſeq. Impietas ſola vi rationis devicta cadit 164. Ratio ſenſus judex eſt, non ſerva 241 Ratione prior ſtat rationis regula 402 & ſeqq. Rationis magiſtram eſſe, non voluptatem, ſed naturam, hoc eſt, Dei ipſius mentem, oſtendit Poëta 405 & ſeqq.

Religio. Epicuri inſtitutum de ſubvertenda religione, & unice colenda voluptate, libidini quidem eſt amicum ac ſceleribus; at moribus, humanæ ſocietati, virtuti & rationi infeſtum 6 & ſeqq. Gaudenti vitiis aſperrima eſt Religio, non virtutis amanti 21. Everſa religione, evertitur ſimul regula, non ſolum virtutis, ſed etiam veritatis 21 & ſeqq. Quanta in mortale genus conferat bona religionis amor 27. Cum nil religionis amore ſit utilius, nil commentis Epicuri pejus, vincere debet religio 29 & ſeqq. Iphigeniæ mortem, non ſuaſit religio vera, ſed cæca ſuperſtitio 31 & ſeq. Religionis amantem, dulcia non emolliunt, aſpera non frangunt 35. Qui ſincere religionem colunt, puram habent fruſtraque aliis quæſitam, voluptatem 36 & ſeq. in hac etiam vita, Epicureo beatiores ſunt 37 & ſeq. poſt

hanc

hanc vitam, etiamſi falleretur, nullas erroris darent pœnas 39. Nil Epicureo ſuadet dimittendum religio, niſi quæ ipſe potius plerumque faſtidit 38. Quantum præſtet religionis amor, voluptatis ſervitio 39 & ſeq. Religionem non ex arte politica natam probat Poëta 421 & ſq. Deum eſſe, animam vero eſſe immortalem, hæc duo eſſe veræ religionis fundamenta 430

Revelatio. Ad revelatæ veritatis indagationem adhortatio 430

S.

Sardanapali miſer exitus 35

Semina. Ad demonſtrandam divini artificis manum, ab animalibus ad ſemina progreditur Poëta 285 & ſeq. Probat ſemina, caſu nec fieri, nec fœcundari poſſe 293 & ſeqq. Animantium primum ſemen, nec a ſe ipſo, nec caſu factum eſſe demonſtrat 314 & ſeq. ergo a mente aliqua ſumme perita, & æterna, procreatum eſſe 315 & ſeq. Ex conſtanti generationum ſimilitudine, earumque arte eximia, probat, ſemina niſi a cauſa provida, communi, valida & æterna, formari non potuiſſe 316 & ſeqq. Semina omnia animalium cujusque generis, in primo animali concluſa fuiſſe probat 319 & ſeqq. Innatum animalibus ſemen 326 & ſeqq. in eoque tuendo providentiæ ſapientiam oſtendit 329 & ſeq. Supra fidem non eſſe, tantum ſeminum numerum tantulo ſpatio contineri, demonſtrat exemplo florum ac plantarum, 331 & ſeq. In omni vegetabilibus generis ſui ſemina inſunt 332 & ſeq. Sunt eſſe in ſeminibus fœtus, ſic in fœtibus ſemina probat Poëta 335 & ſeqq. Exponit cur ſine ſolito ſemine plantæ quædam ex ramo aut radice repullulent, vel infime fœcundentur 337 & ſeq. Ex ſeminibus oriri eas ipſas, quæ ſponte ſua, ac temere oriri videntur 339

Senſus. An brutis concedi poſſit ſenſus, a mente ſejunctus 261 & ſeqq. Epicurus, dum ſenſum concedit brutis, plus quam putaverat, concedit 263 & ſeq. Solvit Poëta id quod objicitur, inutilia fore brutis ſenſuum organa, ſi ſenſu bruta careant 273 & ſeq.

Sinæ. Quod apud Sinas fama quoſdam refert, nullo mercedis amore virtutem colere, non tamen eſt aliqua ſine religione, ſpecioſa hæc morum regula 17

Solem inter planetas ponit Ptolemæus, terram in mundi centro 348. In centro ſolem, terram inter planetas ponit Copernicus 348, 349. Solem, non terram, moveri exiſtimavit Tycho; at ſoli terræque comites diſtribuit planetas

tas

tas 349, 350. Rurſus de ſole, ex mente Copernici, tractat Poëta 353 & ſeqq. Solis in centro vertiginem explicat 366, 367. Explicat ſolis & lunæ eclipſes 387, 388

Spatium cum numero & tempore comparatur 54 & ſeqq. tria hæc mera nomina ſunt, & adſpectus rerum, non res, ibid. Spatium nihil eſt, niſi corporis ipſa menſura 60. Nil refert ſpatium immobile poni 61 & ſeq. Si deſtruantur res, ſpatium ſimul deſtruetur 64 & ſeq. Vide *Inane*.

Spinoſa, omnigeni Dei fabricator. Abſurdam eſſe ejus unitatem oſtendit Poëta 112 & ſeqq. Sententia ejus de motu æterno, & in ipſa materiæ natura inhærente, evertitur 169 & ſeqq. Sententia ejus de mente refellitur 214 & ſeqq.

Sterilitatis & fœcunditatis terræ cauſa 333 & ſeqq.

Superſtitio & impietas per inanes fabulas ſeſe pariter protegunt 288

T.

Tempus. Spatium cum Numero & tempore comparantur 54 & ſeqq. Tria hæc mera nomina ſunt, & adſpectus rerum, non res ibid.

Terram in mundi centro ponit Ptolemæus, ſolem inter planetas 348. Terram inter planetas, in centro ſolem, ponit Copernicus 346 & ſeq. Solem, non terram, moveri exiſtimavit Tycho; at ſoli terræque comites diſtribuit planetas 349, 350. Terræ circa proprium centrum rotationem, tertiumque ejus motum, quo ſtellæ magnum 26000 annorum orbem conficere videntur, explanat Poëta 370 & ſeqq. Cur terræ axis inclinetur 378 & ſeq. Terræ proprium vorticem explicat 385 & ſeq. De iis, quæ terra marique continentur, diſſerere ſibi proponit 391 & ſeq.

Tycho, aſtronomiæ ſtudio celebris. Hujus de mundo ſyſtema breviter exponitur 349, 350

V.

Vacuum. Vide *Inane*.

Vegetabilia. In cunctis vegetabilibus generis ſui ſemina inſunt 332 & ſeq.

Veritas. Rationis lege peremta, nihil amplius verum eſſe neceſſe eſt 21 & ſeq. Veri & juſti certam eſſe regulam oſtendit Poëta, 401 & ſeq. Veri & juſti regulam mente noſtra priorem eſſe 402 & ſeqq. Veri & juſti magiſtram eſſe naturam, hoc eſt, Dei ipſius mentem 406. Ad revelatæ veritatis indagationem adhortatio 430

Virtus. Epicurus non in virtute voluptatem, ſed in voluptate